8
3-d
6

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
6
12 F
36



8.- 3. d

XXV. 11. rr

AND. SCHOTTI ANTVERP.

SOCIETATIS IESV

DE NODIS CICERONIS VARIORVMQ. LIBRI IIII.

CICERO A CALVMNIIS VINDICATVS.

EVLOGII FAVONII CARTHAGIN. in CIC. Somnium Scipionis DISPVTATIO.

E ditio altera.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE



ANTVERPIAE
Apud Gaſparem Bellerum
CIↃ. IↃC. XIII.

Superiorum permiſſu.

NOBILI VIRO

D. HENRICO VAN-ETTEN

EQVITI AVRATO
SVMMO MILITARIS
ANNONAE
PRAEFECTO
QVAESTVRAE AERARII PRINCIPIS
A CONSILIIS &c.

AND. SCHOTTVS ANTVERP.
DE SOCIETATE
IESV
Sálut. in Dom.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

DVM PROVERBIORVM Graecorum opus ingens atque operoſum, Vir ampliſſime, è Zenobio, Diogeniano hactenus in-edito, & è Suidae atque Heſychij Collectaneis edendo ad exitum adducere para-

rem, cuius iam partem Chriſtophoro filio tuo Senatoriae dignitatis inſcripſiſſem; viſum eſt faciendum, vt parenti quoque multis pridem mihi nominibus caro Iuuenilium mearum vigiliarum partem aliquam offerrem, quam ad hanc aetatem, quo illae lucubrationes matureſcerent magis, domi clauſam aſſeruaſſem, & in Tuo nomine nunc proferrem. Primò, quia pueritiae memoriam repetens vltimam, memini nos vnà ferulae manum ſubieciſſe, doctore in primis illis ſtudiis, ſine quibus magna conſtare non poſſunt, Theobaldo Hellio, viro opt. Quae pòſt neceſſitudo inter nos arctiſſimo ſtudiorum vinculo copulata (nam & M. Quinctilianus Rhetor egregius, vt ſacris, ſic & ſtudiis initiatos iiſdem immortalē agere amicitiam cenſuit) cum aetate accreuit, vt fit, etiam inter abſentes: cùm & honorum tuorum incremētis non modò

non

non inuiderem, tacitus etiam gratularer. Mox enim ad Remp. adminiſtrandam vocatus es ; ego in Galliam, indeque in Hiberiam negotiorum, ſtudiorumque gratia à parente miſſus, ita diuulſi corpore ſumus, animus vt vnus concorſque in ſtudiis perduraret. Nec enim locorum interuallo dirimi vera ſolet amicitia, quae litteris animi interpretibus foueri indies, augerique poſſit. Tu adhaec merito tuo à Principe in aulam accitus, ea munia ſingulari fide obiuiſti, vt quod dici Prouerbio conſueuit, Magiſtratus Te virum oſtenderit; non retrò, Magiſtratum exhibueris. Annonae enim militari Catholici exercitus praefectus es, in difficili illa ac diuturna in Batauos expeditione Regis Catholici, pòſt Alberti Archiducis Auſtriae auſpiciis, ductuque Ambr. Spinolae, fortiſſimi ducis ſuſcepta curam illam geſſiſti, vigilantiaque tua id es con-

ſecutus, ne quid commeatus inopia, neruique bellici egeſtate exercitus Belgici robur, belli fulmina, reſque publica caperent detrimenti. Cuius rei praemium, ſi homines calumniâ inducti deficiant, mercedéque caelo trãſſcribe. Erit enim Deus, vt Abrahamo quondam patrio digredienti ſolo, merces tua nimis. Et haec quidem militiae abs te geſta; domi verò ſtudia & tractas ipſe, & tua benignitate

Reſpiciens triſtes hac tempeſtate Camenas

foues ſtudioſos atque eruditos: tum verò maximè Religioſas familias, in his & ſingulari Societatē beneficiò Tibi deuinxiſti. Filium etiam relinques, defuncta nuper coniuge lectiſſima femina, praeſtantis iudicij, ac doctrinae, rebuſque gerendis ac legationibus in ſumma Repub. idoneum. Generum quoque aſciuiſti D. Gaſparem Taium, Do. in Goicq vt nobiliſſ. atque eruditiſſimi parentis

tis

tis filium, ſic & Graecis libris inui-
gilantem: apud quem Graecorum
Patrum, Greg. Nazianzeni, & Cy-
rilli Alexandrini ἀνέκδοτα nuper cum
gaudio vidimus. Me verò, (ſi quis
fortè reprehendat) cur pudere ac pi-
gere debeat non video, ſi has vel ſe-
nex iuuenilis aetatis in M. TVL-
LIVM NOTAS, in quibus mihi
cum ceteris non ſatis conueniat, tan-
dem aliquando proferam in lucem
tuis auſpiciis, efflagitantibus à me
talia quotidiano paenè conuicio
familiaribus; cùm & Societatis no-
ſtrae iam ſeptuagenarium videam
P. Laelium Biſciolam *Subſeciuarum
Horarum*, hoc eſt, rerum ad Philolo-
giam pertinentium libros xx. Ingol-
ſtadij edidiſſe, totidemque promit-
tere: Sic & ipſe Superiorum permiſ-
ſu, quaſi conuaſans mea, *Obſeruatio-
num Humanarum, Diuinarumq;* libros,
in omni Philologiae, Poëticae, Hi-
ſtoriae, Rhetoricae, ac denique Phi-

loſophiae genere exire patiar, in apertumq́ue proferam, ſi & haec qualiacumque Tibi,tuiq́ue ordinis, hoc eſt, eruditis hominibus non vſquequaque diſplicuiſſe cognouero, & longiorē vitae vſuram Dei O. M. benignitas largietur. NODOS autem inſcribere placuit, non Herculeos, aut Gordios, quales machaera Alexander ille Macedo facilè diſſecuit; ſed Democriti Abderitae vocabulo,quo vinculorum nexus,quibus alios irretitos tenerent, texentes ἐριδαντέας, ϗ ἱμαντελικτέας, teſtibus Clemente Alex. Stromateo I. & in Sympoſiacis Plutarcho,nominabat: quos & Romae M. Cato Cenſor grauiſſimus *Vitilitigatores*, auctore C. Plinio, ſolitus erat appellare. Ita NODOS inquam vocamus. Incidunt enim non raró digni vindice nodi,Delio egentes natatore,in ipſis etiam CICERONIS ſcriptis; locis nonnullis poſt tot tantorumq́ue conatus

natus

natus adhuc obſcuros ac deprauatos aeui vitio, & nimia Criticorum in caſtigando prurigine: qui ſub omni, quod aiunt, lapide, ſcorpium latere rati, omnia, etiam meridiana luce clariora, ſollicitāt, nodum in ſcirpo, quod aiunt, quærētes. Quorū equidem conatum non damno, immo iuuare in partem cupiam, modò eam moderationē adhibeant, vt non niſi depoſita ac deplorata tentent emendare, partim veterum exemplarium fide, partim εὐστοχίᾳ quadam: lucemque obſcuris adferant, nodoſque expedire ſtudeant; à ſanis verò clariſque locis manum abſtineant, ne laureolam in muſtaceo quaeſiiſſe videantur. Valeat itaque valeat ſollemne illud Dionyſij Lambini, hominis cetera accurati: *Inuitis ac repugnantibus libris omnibus lego, emendo*: cùm ferè tunc à ſcopo aberret. Quandoquidem arbitrarij eſt res haec tota Critica, non autem certi ac definiti

Iuris. Quare, vt Iureconſulti veſtri *Recepta Iuris Ciuilis* ſaepiùs pronunciant, recentioreſque hac tempeſtate eius interpretes, *Receptarũ Lectionum* Commentarios edant quotidie; liceat mihi quoque, pace Tua doctorumque hominum, hoc ſyntagmate receptis plerumque in CICERONE lectionibus patrocinari, ac tutari pro virili, contra nimiam quorundam Criticorum, & quidem maiorum gentium, audaciam, ſine conuicio tamen, & contumelia, (à quo vitio maximè abhorreo) ſine fuco, more maiorum, & Ex fide bona: vt etſi ſententiis in re leui diſſentimus, amici cetera ſimus. Te igitur harum vigiliarum iudicem ſine prouocatione capio, & aequi boni vt facias, etiam atque etiam precor. Vale. Antuerpiae CIƆ. IƆC. XII.

PET. VICTORIVS FLORENT.

ANTONIO FLOREBELLO,

LIB. I. EPIST. V.

VNVM *velim (idq́ ex animo peto, atque oro) reliquos, qui elegantiſsimis* M. TVLLII *ſcriptis delectantur, aliquid operae, laboriſque in illis perpurgandis ponere. Dedecus enim eſt, in libris illis vllam maculam reperiri, quos ſemper in manibus habent, & ex quibus omnem ſermonis nitorem, verborumq́ elegantiam mutuantur. Multa autem ſunt menda, quae faciliùs à pleriſque indicari poſſunt, quàm tolli, ſed quod vni non conceditur, alij datum eſt: ac nulla prorſus errata ſubterfugere poſſent tantam doctorum & ingenioſorum hominum in hanc rem conſpirationem. Quod ſi hoc factum fuerit, quamuis ſine laudis meae detrimento eſſe non poſsit, ſi quam in hoc negotio meruimus; (illi enim & plura, & meliora facilè adferent) tamen incredibili laetitia afficiar. Antiquum namque illud meum conſilium ſic adiuuabitur, atque exitum reperiet, quod ego ſolus ad finem perducere non potui: atque id, quod tantopere expetiui, & in quo tantùm laboraui, perficietur. Cur autem me pudeat auxilia aliorum in difficili, atque honeſta re implorare? cùm ipſe nihil ceſſauerim, neque vllum laborem recuſauerim. atque etiam profitear quidquid potero in reliquum tempus, me libenter ac ſtudioſe eſſe facturum.*

APPROBATIO.

FRANCISCVS Flerontinus Praepoſitus Prouincialis Societatis IESV in Belgio, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R. P. N. Praepoſito Generali Claudio Aquauiua, facultatem concedo, vt NODORVM CICERONIS LIBRI IIII. à P. Andrea Schotto compoſiti, & eiuſdem Societatis eruditorum hominum iudicio examinati & approbati, typis excudantur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas dedimus Tornaci die 28. Aprilis, anni M. DC. X.

FRANCISCVS FLERONTINVS.

HI NODORVM CICERONIS LIBRI IIII. *à P. Andrea Schotto Antuerpiano Societ.* IESV *conſcripti, magno Reipub. litterariae commodo in lucem emittentur. Antuerpiae in Seminario Epiſcop. 29. Auguſti* M. DC. X.

LAVR. BEYERLINCK
Sacrae Theolog. Licent. Canon. & Cenſor librorum.

CVM Priuilegio ſex annorum ALBERTI Archiducis Auſtriae, Ducis Burgundiae & Brabantiae, &c.

Subſcriptum

Buſſchere.

INDEX CAPITVM

NODORVM CICERONIS.

LIB. I.

CICERO II. *de Oratore de* Democriti riſu *ex Hippocrate explicatus.* Cap. I.

Si quid eo fiet. Humanitus accidere. *Illuſtrata apud Ciceronem Maniliana.* Cap. II.

Vaſarium *quid, &* Catillatio? *Ciceronis loca duo ab ingenio reſtituta.* Cap. III.

Q. Ennij de P. Scipione elogia. Cicero in Liciniana & Trebellius Pollio illuſtrati. Cap. IV.

De Luculli militibus Ciceronem & Horatium non eadem tradidiſſe. Cap. V.

In hoſtium eſſe poteſtatem. In medium relinquere. *Tullij alter pro lege Manilia poſt Agellium correctus locus.* Cap. VI.

Ciceronis lectio in Maniliana à Lambini correctione vindicata. Traducere *quid?* Cap. VII.

Seges *prò agro, & frugibus. Maro illuſtratus & Citero: Tibullus etiam caſtigatus.* Cap. VIII.

Dignitas & venuſtas. *Ciceronis lectio defenſa in Liciniana.* Cap. IX.

Superſtites præſentes. *Inſignis Ciceronis locus in Muræniana illuſtratus.* Cap. X.

Pars mei melior. *Gloſſema in orat. pro Archia ſublatum: alter item locus illuſtratus.* Cap. XI.

Ciceronis Philippicæ prima, & item altera, quà illuſtratæ, quà emendatæ. Cap. XII.

Iulius Seuerianus Rhetor è Cicerone, & Cicero Philippicis emendantur. Cap. XIII.

Cicero-

Ciceronis loca aliter atque vulgò leguntur, ab antiquis allata. Cap. XIV.

Reſpectum habere, agere. ὤρην ἔχειν *Philippica Tulliana illuſtrata.* Cap. XV.

Vincta per ὑφὲν *dictiones antiquis vſitatæ.* Nec-opinanti, Nec-opinato, ἀπροσδοκήτως. *Ciceronis retenta lectio.* Cap. XVI.

Idem Græcis, Latiniſque Poëtis vſitatum oſtenditur. Cap. XVII.

Clodij Prætura. Boues Lucæ, *elephanti. Gloſſema in Oratione Cic. pro domo ſublatum, Lactantius & Claudianus Mamercus emendati.* Cap. XVIII.

Mos vetus explicatur. *Cicero* I. *de Orat. &* II. *de Legibus è Lyſia & Platone illuſtratus.* Cap. XIX.

Conſilio regere. *Recepta Tullij lectio defenſa.* Cap. XX.

Vltima & media terræ. Nec vola nec veſtigium, *Varronianum Prouerbium. Ciceronis in Maniliana vnus & item alter locus explicatus.* Cap. XXI.

Belli impetus nauigauit. Ventorum pennæ, & nauium volatus. *Cicero in Maniliana è Demoſthene, aliiſque illuſtratus.* Cap. XXII.

Falcidia lex. *Ciceronis locus illuſtratus, gloſſema in Euſebij Chronico ſublatum.* Cap. XXIII.

Aries ſubiicitur. *Cicero in Topicis contra aliorum ſententiam explicatus.* Cap. XXIV.

Stratagema Mithridatis. Maniliana Cicer. illuſtrata. Cap. XXV.

LIB. II.

CICERONIS *Officia illuſtrata. Mendum à coniectura, & Hiſtoriæ fide ſublatum.* Cap. I.

Horten-

Hortenſius Ciceronis, qui de laudibus eſt Philoſophiæ, fragmento nouo auctus. Cap. II.

De tollenda iracundia *L. Seneca idem quod Ciceroni conſilium in mentem veniſſe. Aurea Epiſtola* I. *ad Q. Fratrem lux allata.* Cap. III.

Videndum *pro verendum Ciceroni familiare. Imitatus & Ciceronem Perſius.* Cap. IV.

Claudianus poëta ſæpius emendatus. Cap. V.

Teſſera, *frumentaria, gladiatoria, & Hoſpitalis.* Cap. VI.

Democriti Ἀπειρία Infinitio, Infinitaſque mundorum *& atomorum concurſio. Cicero in Philoſophicis ex Hippocrate & Laërtio illuſtratus.* Cap. VII.

Medicina *corporis & animi. Cicero illuſtratus Tuſcul.* III. *Corporis medicina triplex: Auſonio in Gripho lux allata. Auarorum ingenium. Hippocratis Coi Epiſtola de Democrito ſæpius correcta.* Cap. VIII.

Hippocratis ad Demagetum Epiſtolæ pars reliqua emendando percurritur. Cap. IX.

Medici præmiis honorandi. Honor *pro mercede interdum, vt Græcis* γέρας. *Cur curatis iam corporibus ingratos plerumque experiantur ægros Medici, vt magiſtri diſcipulos. conſentiens Democriti & Hippocratis ſententia.* Cap. X.

Ciceronis liber I. *Tuſcul. Quæſtionum illuſtratur & emendatur, Plutarchus item correctus.* Cap. XI.

Gladius furioſi. Migrare iura communia. *Cicero in Officiis caſtigatus.* Cap. XII.

Dignitas & honeſtas. *Cicero* II. *Tuſculana contra aliorum ſententiam ſæpius emendatus.* Cap. XIII.

Ennij apud Ciceronem verſus. Ducere, *in actionibus vſurpatum. Magni Dij.* Cap. XV.

Tres illos Tragœdiæ principes Philoſophos fuiſſe, è

Cicerone demonſtratum. Euripidem Anaxagoræ dogmata tradidiſſe. Cap. XV.

Ciceronis lectio in Epiſt. ad Famil. retenta atque defenſa. Cap. XVI.

In quinta Ciceronis Tuſculana quædam correcta. Cap. XVII.

Epiſtolarum ad Familiares loca contra Lambini ſententiam. Cap. XVIII.

C. Trebatius, & Cn. Matius Epicurei. Aſtute cogitare, & agere *Cicero dixit ex Epicureorum ſenſu.* Cap. XIX.

Tuſculana quinta Notis variè percurritur. Cap. XX.

Viriligatores *apud Plinium. M. Cæliÿ apud Ciceronem locus expenſus, antiquitatis nimium ſtudioſi.* Cap. XXI.

Cicero Tuſculana III. *ſæpiùs emendatus.* Cap. XXII.

LIB. III.

PERDITVM ire; comparare ſe. *Ciceronis Epiſtolæ aliquot gloſſis ſublatis emaculatæ.* Cap. I.

Craſſus, & Caſſius. *Cicero & Macrobius emendati.* Cap. II.

Nerui ſapientiæ. *Cicero illuſtratus. Epicharmus expreſſus, eiuſdemque Poëtæ allata plurima.* Cap. III.

Fidem domino probare. Patre, auo, maioribus. *Elegans Tulliÿ in Epiſtolis locus caſtigatus.* Cap. IIII.

Spes, *non* res *in pueris laudata. Ciceronis de Rep. libri cur* Dialogi *inſcripti.* Cap. V.

Alienſis pugna, Religioſus dies. *Vrbis captæ annus. Ciceronis ad Atticum locus defenſus. Varro emendatus, & Nonius à Turnebi caſtigatione vindicatus.*

dicatus. *Cap.* VI.

Sagum. Res commodæ: *Ciceronis è Xenophonte Oeconomia qua correcta, qua illuſtrata.* *Cap.* VII.

In eo poſita eſt Fortuna. In eo ſunt omnia. *Tullius lib.* XV *ad Famil. illuſtratus.* *Cap.* VIII.

Beneficium, *pro culpa, apud Iuriſconſultos. Ciceronis in Timæo locus vnus & item alter emendatus.* *Cap.* IX.

Comè dicere, *Auſonius è Cicerone illuſtratus.* P. *Terentius laudatus.* *Cap.* X.

Homerus è Platonis Repub. educitur vnctus, & coronatus. Ciceroni lux allata. Minucij Felicis tentatus locus. *Cap.* XI.

Cicero, & Claudianus Mamercus emendati. Plato in Phædone conuerſus.. *Cap.* VII.

Requirere, Terror. *L. Domitius. Q. Arrius.* P. *Varius. Nympharum ædes à Clodio incenſæ.* Scantia & Sentia. *Apronius & Aponius. Miloniana ſæpius aduerſus Lambini ſententiam caſtigata.* *Cap.* XIII.

Stemma Clodianum. In Orat. pro Caelio obſcuris lux data. *Cap.* XIIII.

Sex. & P. Clodij, Tribb. pleb. impuri. Ligurrire, Ligurritio. *Ciceronis pro Domo ſua illuſtrata oratio. I. Lipſij coniectura confirmata.* *Cap.* XV.

Ligus & Pætus *gentis Aeliæ cognomina.* Aelius Ligus *Trib. pleb. improbus. Ciceronis Sextiana illuſtrata.* *Cap.* XVI.

Singularia Tullij. Minuritio. Volaticus. Expiatio religionum, portentorum explanatio, Nouiſſimus. Coæuus. Manſues. *Cicero variè emendatus.* *Cap.* XVII.

LIB. IIII.

INEPTVS, Ineptire quid *Craſſo apud Ciceronem primo de Orat. Et Horatio* Trans pondera dextram porrigere. Cap. I.

Dionyſij Halicarnaſſei locus contra aliorum ſententiam emendatus. Cap. II.

Cicero pro Archia poëta emendatus. Animi auerſio. Cap. III.

Mactare Deum hoſtia. *Plautus Amphitruone illuſtratus. Ciceronis in Vatinium lectio edita comprobata.* Cap. IIII.

Iugula, *Orionis gladius. Cicero in Arati Phaenomenis explicatus. Gloſſarium vetus emendatum.* Cap. V.

Thenſæ, *vehiculi quale genus. Verrinis Tullij lux allata.* Thenſarum Nomenclator. Cap. VI.

Opida & vrbes interire. Ser. Sulpicius ad Ciceronem illuſtratus. Cap. VII.

Ciceronis loca cum Aeſchinis Oratione contra Cteſiphontem comparata. Cap. VIII.

Contentiùs ambulare. *Cicero Tuſculanis expoſitus. Nonius Marcellus bis caſtigatus, & L. Siſennæ Hiſtoria.* Cap. IX.

Choragium, Domuitio. *Cicero primo de Diuinatione : Appuleij fabula Mileſia è Fulgentio aucta.* Reuerſionem facere & reditionem. Cap. X.

Silentium *ſuperbiæ argumentum. Ciceroni lux: L. Floro medicina interpunctione allata.* Cap. XI.

Auerruncus Deus. Dij meliora. Dij perduint.

duint. Aritinæ mentes. *Cicero illuſtratus: Nonius, Fulgentius, & Appuleius ſæpius emendati.* Cap. XII.

C. *Plinij Præfatio Poëtarum verſibus, &* M. *Tullij loca declarata.* Cap. XIII.

CICERONIS LOCA
QVÆ EMENDATA,
QVÆ ILLVSTRATA,
Librorum CIC. ordine.

Romanus numerus prior eſt noſtrorum li-brorum, Barbaricus verò Capitum.

TOMO I. RHETORIC. CIC.

I. *de Oratore: Lib.*I.*cap.*9.*&* 19.III.12.IV.1.
II. *de Oratore* I. 1.
In Oratore I.7.
Topicis I.24.*ſæpiùs.*

TOMO II. ORATIONVM CIC.

Pro P. *Quintio* I. 6. bis.
Pro Sex. Roſcio Amerino I. 14.
Pro Q. Roſcio Comoedo III. 17.
Diuinat. in Verrem.I.6.
II. *Verrina* I. 6.
III. *Verrina* III. 2.
IV. *Verrina de ſignis* I. 14. III. XI.
V. *Verrina de ſupplicus* I. 6.
Pro M. Fonteio I. 7.
Pro Aulo Caecinna I. 6.
Pro Lege Manilia I.2.bis 3.5.bis 6.7.20.21. bis 22. 23.& 25.
Pro L. Muraena I. 10.

Pro

Pro L. Flacco IV. 4.
Pro Archia poëta I. 4. 9. 11. bis IV. 3.
Pro domo ſua I. 18. III. 15.
De Aruſpicum reſponſis. I. 16.
Pro Cn. Plancio I. 7.
Pro P. Sextio III. 16.
Pro M. Caelio III. 14.
De Prouinciis Conſularibus I. 21.
In L. Piſonem I. 3. ter & 14.
Pro T. Annio Milone I. 14. III. 1. *& corrigitur* III. 13.
Pro M. Marcello I. 14. IV. 13.
Pro Q. Ligario IV. 13.
Pro Rege Deiotaro I. 14.
I. *Philippica* I. 12. 13. 14. 16. & 17. II. 5.
II. *Philipp.* I. 12. *ſaepiùs*. 13. 14.
V. *Philipp.* I. 15.

TOMO III. EPISTOLARVM.

Ad Familiares II. 10. 16. 18. 19. III. 1. 2. *corrigitur*. 3. 4. *caſtigatur*. 17. 18. IV. 7. 8. 11. bis
Caelius ad Cicer. II. 21. IV. 13.
Ad Atticum III. 3. 6. 17. IV. 12.
I. *Ad Q. Fratrem* II. 3. III. 1.
Ad M. Brutum I. 15.

In Academicis II. 7. bis.
De Finibus bon. & mal. I. 16. II. 7.
I. *Tuſculan.* II. 7. & 11. III. 3. IV. XI.
II. *Tuſculan.* I. 8. II. 13. III. XI.
III. *Tuſculan.* I. 7. 14. II. 8. 15. 22.
IV. *Tuſculan.* II. 22.
V. *Tuſcul.* II. 6. 7. 17. 20. IV. 9.
I. *De natura Deor.* I. 6.
II. *De nat. Deor.* III. 6.
I. *De Diuinatione* I. 15. IV. 10.
II. *De Legibus* I. 16.
I. & III. *De Officiis* I. 16. II. 1. 4. 12. 14.
Catone maiore I. 17.

De Repub. III. 5. & IV.
Oeconomia ex Xenophonte III. 6.
Timaeus ex Platone III. 9.
CIC. *Hortenſius* II. 2.
Arati Phaenomena IV. 5.
Q. Tullius de petitione Conſul. III. 3.

VARII HIS ETIAM LIBRIS EMENDATI.

Plutarchus in CIC. *Lib.* I. C. 10. & *alibi* II. XI.
Hippocratis Epiſt. ad Demagetum. I. 1. II. 11. 7. 8. & 9.
Euſebij Chronicon. I. 23.
Lactantius lib. de Opificio I. 18.
Claudianus Mamercus Vienn. I. 18.
Claudianus Poëta I. 22. II. 5.

Q. Ennij

Q. Ennij Elogia I. 4. & 32. II. 14. & 20.
P. Virgilius III. *Georg.* I. 17. IV. *Georg.* I. 7. & 8.
ex Ennio I. 22.
A. Tibullus I. 7. & 8.
Euripides emendatus II. 18.
Iulius Seuerianus Rhetor correctus I. 13.
Varronianum Prouerbium, Nec vola, nec veſtigium I. 21.
& *Ad Veſta confugere* I. 19.
Epicharmi plurima III. 3.
Macrobius correctus III. 2.

ERRA-

ERRATA *operarum, priuſquam legas, ſic emenda.*

*5. v. 1. lege: *adhuc obſcuris ac deprauatis.* Pag. 6. verſ. 5. *Lege* C. Caeſar. non L. Sic enim lib. III. Belli Ciuilis: *Si quid durius accideret, ſi victi erimus.*

P. 7. v. 17. deferenda. 22. 9. inſomnem. 13. 2. pro *vero*, repone *voci.* 45. 15. Prytaneo. 49. 15. L. Caeſare. 17. L. Iulius Caeſar. 56. 22. breuius. 60. 20. *ſcribe* CDIII. *pro* 403. p. 65. 7. Sex. 79. v. *penult.* tranſcurrere 64. 21. Elogio. 103. 10. aequus, *Lege* aequo. III. v. 5. *à fine* Vitilitigatores 148. 22. vacuum. 160. 7. *à fine*, Minuritio 147. v. 13. προαπίσασιν. 165. v. 5. *à fine*, quibuſcum. 167. v. 11. *à fine* ἀνωχϑι. 169. 4. μετατιϑῶ. 177. 9. thenſarum. 178. 8. lib. IIII. 179. v. 11. *à fine*, auorum. 180. v. 11. *à fine* ſiue. 181. v. 6. *à fine* Πρὶν. κἀν. 182. 6. *ſudore parandam.* 183. 5. cibarium. 191. v. 7. *à fine adde ad marg.* Lib. XII. cap. XXXII. ex I. Catilin. & pro Deiotaro.

AND. SCHOTTI NODORVM CICERONIS LIBER I.

CICERO II. *de Orat. de Democriti riſu ex Hippocrate explicatus.*

CAPVT I.

DEMOCRITVM, quoties prodiret, ridere omnia ſolitum referunt; Heraclitũ contrà, qui ab obſcuritate ſermonis σκοτεινὸς ſit appellatus, flerè aſſiduè miſeram rerum humanarum conditionem conſueuiſſe. De illius riſu M. CICERO lib. II. de Oratore ad Q. Fratrem de *Iocis* agens (quibus idem Orator excelluit, & libros illos perdifficiles reddidit) hæc attulit: *Quid ſit ipſe riſus, quo pacto concitetur, vbi ſit, quomodo exſiſtat, atque ita repente erumpat, vt eum cupientes tenere nequeamus: & quomodo ſimul latera, os, venas, vultum, oculos occupet, viderit Democritus.* Sed cur quæſo, de riſu agens, cauſſam eius, rationéque è Democrito inueſtigandam relegat? Hadr. Turnebus, præſtanti vir doctrina, & ſingulari in corruptis emendandis, atque obſcuris illuſtrandis εὐστοχίᾳ, quòd huius rationem rei obſcuram eſſe non ignoraret, Ciceronem ad Democritum,

ſollertem Naturæ inueſtigatorem homines remittere arbitratur. Quid ſi ad Democriti puteum, quo latêre Veritatem Prouerbio iactatum, reſpexit? ſic enim in Lucullo Tullius: *Naturam accuſat, quae in profundo veritatem, vt ait Democritus, penitus abſtruſerit.* Siue, quia riſui aſſiduè deditus erat, quod verius puto. Studium enim in animalium naturis per anatomen excutiendis poſuiſſe, diſcas ex Hippocratis Epiſtola benè longa atque erudita ad Demagetum: vnde lux his adferri tenebris queat. Scripſerat enim de Natura, quae in Phyſicis problematis laudari video à Theophylacto Simocatto, quæſt.x. Itaque à vulgi conſuetudine ſecedens Democritus, ſeque abdens, inſanire viſus eſt Abderitanis, cùm ſupra omnes mortales, rerum omnium deſpicientiâ ſaperet, inſanirentque ipſi potiùs quàm Philoſophus. Publica igitur Abderitanorum legatione accitus Hippocrates, vt amentem ac delirantem curaret. Quem hominem vbi conuenit, egitque de ſaeculi ſui vitiis meritò ridēdis, ciuibus dixit, quod res erat Hippocrates, valere illum ac ſapere paenè ſolum, quod de Tireſiâ vate Homerus, & de P. Scipione Cato ait, reliquos verò velut vmbras volitare; & non niſi doctiores, ſapientioreſque ab illo dimitti profeſſus, domum reuertit Hippocrates, omnemque adeò ſermonem vltro citroque habitum diſertis ſanè litteris conſignauit; teſtatus adhaec, vno ſe Philoſophi congreſſu fructum retuliſſe non vulgarem. Pauca de multis Hippocratis apponam: οὐκ οἶσθά πω τοῦ ἡμετέρου γέλωτος αἰτίην.

αἰτίην. μαθὼν δὲ εὖ οἶδα ὅτι χρέσσονα τῆς πρεσβείης ἀντιφορτισάμενος ἀποίσεις θεραπείην τὸν ἐμὸν γέλωτα τῇ πατρίδι, καὶ ἑωυτέῳ, καὶ τοὺς ἄλλους δυνήσῃ σωφρονίζειν. ἀνθ᾽ ὧν ἴσως κἀμὲ διδάξεις ἰατρικὴν ἀμοιβηδόν. γνοὺς ὅσῃ σπουδῇ περὶ τὰ ἀσπούδαστα φιλοτιμεύμενοι πρήσσειν τὰ μηδενὸς ἄξια πάντες ἄνθρωποι τὸν βίον ἀναλίσκουσι γελώτων ἄξια διοικεῦντες. *Riſus noſtri cauſſam nondũ noſti: quam cùm didiceris, certus ſum, quòd meum riſum meliorem curationem pro tua legatione patriae, tibique ipſi viciſſim ſis reportaturus, qua etiam alios prudentiores reddere poteris. Pro quibus fortaſſe me etiam medicinam viciſſim docueris: cùm ſcias, quanto ſtudio omnes ad ea quae potius negligenda eſſent, & nihili facienda conuertantur, & in his quae riſu digna ſunt, conſectandis vitam conſumant.* Et pòſt non longè: τί δὲ τὸν ἐμόν, Ἱππόκρατες, μέμεμψαι γέλωτα; οὐ γὰρ αὐτὸς τῆς ἰδίης ἀνοίης, ἀλλὰ ἄλλος ἄλλου καταγελῆται. οἱ μὲν τῶν μεθυόντων, ὅταν αὐτοὶ δοκέουσι νήφειν. οἱ δὲ τῶν ἐρώντων, χαλεπωτέρην νόσον νοσεῦντες αὐτοί. οἱ δὲ τῶν πλεόντων. ἄλλοι δὲ τῶν περὶ γεωργίην ἀσχοληθέντων. οὐ συμφωνέουσι γὰρ οὔτε τᾶις τέχναις, οὔτε τοῖς ἔργοις. *Qua vero in re riſum meũ, Hippocrates, reprehẽdiſti? Neque enim quiſquã ſuam, ſed alter alterius amentiam deridet. Hi quidẽ ebrios, cùm ipſi ſibi ſobrij videntur; alij amantes, cũ ipſi tamẽ grauiore morbo laborẽt; hi verò nauigãtes; alij agriculturae deditos. Neque enim omnes artibus, aut operibus inter ſe conſentiunt.* De hoc autem Democriti riſu facetiiſque Timonis hoc exſtat apud Laertiũ epigrãmatiõ.

Οἷον Δημόκριτόν τε περίφρονα, τριμένα μυθῶν
Αγχίνοον λέσχην ἐν μετὰ πρώτοισιν ἀνέγνων.
Qualis erat prudens Democritus, auctor amoeni
Sermonis, lepidique ioci, inprimiſque facetus.

 Epi-

Epigramma quoque Graecorum Antholog. lib.I.cap.XIII. εἰς ἀνθρώπινον βίον.

Τὸν βίον Ἡράκλειτε πολὺ πλέον ἤπερ ὅτ' ἔζης
  Δάκρυε, νῦν ὁ βίος ἐστ' ἐλεεινότερος.
Τὸν βίον ἄρα γέλα Δημόκριτε τὸ πλέον ἢ πρὶν,
  Νῦν ὁ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος.
Εἰς ὑμέας δὲ καὶ αὐτὸς ὁρῶν τὸ μεταξὺ μεριμνῶ,
  Πῶς ἅμα σοι κλαύσω, πῶς ἅμα σοι γελάσω.

Quin magis hanc lacrymes vitam Heraclite licebit:
  Haec, prae quàm fuerat, nunc miſerabilior.
Olim iure quidem, nunc plus Democrite ride,
  Quin rides? vita haec nunc mage ridicula eſt.
Preſsiùs intuitus vos, mecum cogito ſaepè,
  Qui ſimul illacrymem, riſu itidem emoriar.

CAP. II.

Teſtamenti formula: Si quid me fiet. Humanitus accidere. *Illuſtrata Ciceronis Maniliana.*

Q. HORTENSIVS, & Q. Catulus, viri Conſulares, vt anteà legi Gabiniæ, quæ de piratici belli; ſic & Maniliae, quae de belli Mithridatici imperatore deligendo latæ erant, contradixerunt. In Gabinia quidem diſſuadenda Q. Catulus, cùm ex populo Rom. quaereret, ſi in Cn. Pompeio omnia ponerent, *ſi quid de eo factum eſſet, in quo ſpem eſſent habituri?* cepit hunc ſuae virtutis fructum ac dignitatis, vt omnes perpetua

voce

voce in ipſo ſpem habituros ſeſe dicerent. Sic ferè M. TVLLIVS in ea, quâ Maniliam legem ſuadendam putauit. Quibus in verbis vna expuncta *de* particula, nata è ſuperiore, venuſtius fore, magiſque ex vſu CICERONIS, videatur, ſic reſcribendo: *ſi quid eo factum eſſet*: vt alibi noſter orator: *Quid illis factum eſt hominibus? Quid hoc homine faciam? Quid meo filio, quid pecunia fiet?* Velleius autem Paterculus eadem de Catulo narrans ſic extulit: *Si quid ei acciderit.* Itemque Valerius Maximus lib. VIII. cap. 16. formulā explanans: *Si*, inquit, *in vno Pompeio Magno omnia ponere perſeueraſſet, abſumto illo ſubiti caſus incurſu, in quo ſpem eſſet habiturus?* Plutarchus quoque in Pompeio: ἢ τίνα, εἶπεν, ἕξετε ἄλλον, ἂν ἀπολέσητε τοῦτον. *Quem alium habituri eſtis, hunc ſi amiſeritis?* Frequens autem ea Comicis formula: Plauto quidem in Poenulo Act. v. Sc. 2. ſic enim lego.

Quin mea ille quoque habebit, Si quid me fuat.

Editur enim paſſim. *Si quid de me fuat.* Aut priſco more ſic lege: *ſi quid med' fuat*, pro, *ſi mortuus fuero.* Et in Trinummo Act. I. Sc. 2. v. 119.

Si ille ſaluos huc reuenit. reddam ſuum ſibi;
Sin quid eo fuerit, certò illius filiæ.

Vbi Dionyſ. Lambinus addit non neceſſario, *fuerit factum.* Terentius ſaepenumero vt in Hecyra: *Quid faciemus puero?* Et alibi: *Quid illo facias?* venuſtius quàm *de illo.* vt eſt olim à Petro Bembo etiamnum iuuene, ingenioſè obſeruatum. Dicebant & in hac ipſa re: *ſi quid humanitus ipſi acciderit*, vt Tuſculana I. TVLLIVS, *Vellème Clazomenas, ſi quid ipſi accidiſſet, referri.*

& Philipp. II. *Si quid mihi humanitus accidiſſet, multa enim impendere videbantur.*
Ennius antea Annali. II. apud Feſtum:
Si quid me fieret humanitus, vt teneatis.
Et L. Caeſar, ac Propertius:
Si quid forte mihi durius inciderit.
Vſi autem priſci hac forma in vitanda mortis mentione, cuius mortis ſcaeuam fugiebant antiquitùs memoriam, ne ominari male, ac *δυσφημεῖν* viderentur. Hinc & *Abiit, Fuit, Vixit,* ſimiliaque vſurpaſſe libentius à pleriſque animaduerſum. Phaedrus Fab. LXXVII.
Abiturus illuc quò priores abierunt.
Et Grçci *πλείονας, ἀντὶ τῶ τεθνηκότας* dixerunt.
Adhibueruntque in Teſtamentis. Romanis quidem ſollemne, vt Pomponio L. In vulgari 162. D. de verb. ſignif. *Si quid filio meo acciderit.* Et Iuliano in L. Quidã. D. ad S.C. Trebell. *Si quid ei prius acciderit:* Graecis autẽ, vt Ariſtoteli initio teſtamẽti apud Laertium: *ἔςαι μὲν εὖ, ἐὰν δέ τι συμβαίνῃ, τάδε διέθετο Ἀριςοτέλης. Rectè quidẽ ſic fiet: ſin verò quid euenerit, Ariſtoteles ita legauit.* Ibidem: *Ἐὰν δὲ τῇ παιδὶ συμβῇ τι, ὃ μὴ γένοιτο. Si quid filiae, quod nollem, acciderit.* Idem Laertius in Stratonis vita eodem ſenſu extulit. *ἐάν τι πάσχω.* & Homerus Iliad. φ.
Ζεῦ πάτερ, ὡς οὔτις με θεῶν ἐλεεινὸν ὑπέστη
Ἐκ ποταμοῖο σαῶσαι; ἔπειτα δὲ καί τι πάθοιμι.
& Odyſſea Δ.
Τοῦ δὴ ἀμφιτρομέω, καὶ δείδια μήτι πάθησιν.
Quod ad mortem referri ſequentia ſatis declarant. Ceterùm eo ipſo Tullij loco, quem recito: *Mea quidem ſententia, Quirites, vnus A. Gabinius belli mari-*

maritimi, rerumque geſtarum auctor, comes Cn. Pompeio adſcribitur; vt Lambino vocem *auctor* verſo hic ſtylo expungenti libenter aſſentior, ſic à Manutiana editione diſcedo, qua Venetijs *comes Cn. Pompeius* euulgandum curauit.

CAP. III.

Vaſarium *quid*? Catillatio, Propola. *Ciceronis loca duo ab ingenio reſtituta.*

VETVS Romae eorum, qui de Rep. benè ſentirẽt, querimonia fuit de iniuriis & cupiditate hominũ, qui cũm imperio in prouincias mitterentur; præſertim in Aſiam ceteris opulentiorem, vectigalibuſque magis opimam. Quod vel ex Maniliana CICERONIS parebit: *Nunc qua cupiditate homines in prouincias, quibus iacturis, quibus conditionibus proficiſcantur ignorant videlicet iſti, qui ad vnum deferenda eſſe omnia non arbitrantur.* Qui locus me torſit, non ſecus atque ille, qui proximè anteceſſit; *Videbat enim populus Rom.* doctiſſimos homines exercuit: vbi natum mendum è notis P. R. Accuſandi enim caſu Hotmanus *Populum Romanum* legit. Panagathus verò, homo Romæ doctiſſimus, & libris reſtituendis natus, *Prætores paucos*, ex *Præter*, conformabat. Ant. Auguſtinus v. cl. legendum hoc modo cenſuit: *Videbat enim populus Rom. locupletari quot annis pecunia publica paucos.* aliter enim Paullus Manutius emendandum coniecerat. Quid igitur vetat meam hic quoque proferri ſen-

tentiam de loco, quem alij non attigerunt, ac mendoſum eſſe ne ſuſpicati quidem ſunt? Sanè vox illa *iacturis* aures mihi feriens ſtatim offendit, in eamque tandem cogitando ſententiam veni, vt credam corruptam vocem ex *verſuris*, quae & ipſa detorta fuerit ex *vaſarijs*. Itaque emendo: *quibus vaſarijs, quibus conditionibus*, ſenſu probo; non *iacturis*, quae nondum factae erant, profectis nondum in prouinciam imperatoribus. Sic in Piſoniana L. Piſonem ait *vaſarij nomine* attributam pecuniam, Romae fenori occupaſſe, hoc eſt, in quaeſtu reliquiſſe. Verba Oratoris apponam: *Nonne HS centies & octogies, quod quaſi vaſarij nomine in venditione mei capitis adſcripſeram, ex aerario tibi attributam, Romae in quaeſtu reliquiſti?* Quod vitium in hac ipſa Oratione, quae de Cn. Pompeij laudibus eſt, reprehenderat CICERO, Lucullum, Piſonem ceteroſque id genus ſic perſtringens: *Quid hunc hominem magnum aut amplum de Rep. cogitare, qui pecuniam ex aerario deprompt am ad bellum adminiſtrandum, aut propter cupiditatem prouinciae, magiſtratibus diuiſerit, aut propter auaritiam Romae in quaeſtu reliquerit? Vaſarij* autem nomine intelligitur omnis ſupellex, omneque inſtrumentum, quo magiſtratus in prouinciam proficiſcens inſtruebatur. Vnde hodiéque Vaſalli nomen, pro nobilium clientibus, conformatum, quaſi in vaſario aut vaſa eorum cenſeantur, vidit doctiſſimus Turnebus libro XXI. Aduerſariorum. Dictum autem ea forma

Vaſa-

Vaſarium, vt *calcearium* Suetonius extulit in Veſpaſiano cap. VIII. & *Clauarium* Tacitus lib. III. Hiſtoriarum quod pro calceis & clauis caligarum vectigal ſoluebatur: & *Camelarium*, quod pro alendis camelis pendebatur, apud Ammianum libro XVII. CICERONI verò noſtro familiare hoc *Vaſarij* verbum fuiſſe, ſed in paucis locis integrum relictum, incertum librariorúmne inſcitia, an correctorum audacia, vel ex hoc Lampridij loco in Alexandri Imperatoris vita diſcas: *Iudices cùm promoueret exemplo veterum, vt & CICERO docet, & argento, & neceſſariis inſtruebat, ita vt praeſides prouinciarum acciperent argenti pondo vicena, phialas ſenas, annulos binos, equos binos, veſtes forenſes binas, domeſticas ſingulas, balneares ſingulas; aureos centenos, cocos ſingulos.* Plinius verò tralatè libro VII. Natur. Hiſtor. cap. XLIX: *Neque excutienda ſunt vaſaria omnia.* Aliter M. Cato in re ruſtica, capite CXLV. hanc vocem adhibet in præmio ac mercede factorum, nomine ducto à vaſis torcularibus, quibus oleum. exprimitur. *Catillatio* quoque à *Catillo* in eadem re, probri nomine dicebatur in eos, qui prouincias in magiſtratu diripuiſſent: quod tanquam prouincialium bona abliguriſſent: auctore Feſto & Macrobio libro III. Saturnalium, capite XVI. A Catino autem ὑποκοριστικῶς *Catillae* dictæ patinæ, quibus eſcae apponebantur, atque interdum etiam opera dulciaria: quaſi in catillis bona aliorum

A 5 fortu-

fortunaſque comeſſent. Plautus Caſina: *Vt properarent catillorum more.* Sed priuſquam Orationem de manibus depono, alterum mendum, quà potero, diluam, è gloſſa, vt ſuſpicor, natum: *Quare nolite dubitare, quin huic viro credatis omnia, qui inter annos tot vnus inuentus ſit, quem ſocij in vrbes ſuas cum exercitu veniſſe gaudeant.* Hic vocem *annos* vt intruſam ac ſuperuacaneam iugulo. Nec enim vſitata Oratori noſtro, niſi quid iudicans fallor, illa anaſtrophe pro *inter tot annos.* Quare τὸ *annos*, vt alienum, reiicio. Tale & *Propola* qui & Graecis ἔμπορος, de quibus CICERO I. Officiorum, & *Inſtitores* vulgo opponuntur. Idem Orator in Piſonem: *Panis & vinum à propola & de cupa;* quod Lambinus mutauit in *propola*, ſecutus, vt ait, H. Turnebum, atque in eumdem traxit errorem Hadr. Iunium, quaſi ſit qui res propalam, & palo ſuſpẽſas vendat. At ego vulgatam cum And. Dunaeo Britanno tueor: qua *propolae* voce & vetus ſic vtitur poëta:

Ac veluti pretio ingenti propola recentes
Cum dare conatur ficus, dat primitu' paucas.

Ab eiuſmodi autem priſcis vocibus non planè abhorruiſſe Tullium, ſed condimenti loco interdum, in Philoſophicis potiſſimũ, adhibuiſſe, in Tullianis Quaeſtionibus diſputo; obſeruatque vir eruditiſſ. M. Ant. Muretus Variarũ lib. VI. cap. 19. & 20. & libro IX. cap. 19. & lib. XV. cap. 20. è Seneca epiſt. LIX. & Sidonio docens *Eſſentiam* dixiſſe, quam in Ser. Flauio dictionem vt nouam notarat M. Fabius lib. II. III. & VIII. Inſtitutionum Oratoriarum. Sic & *Ens*, τὸ ὄν

C. Caeſa-

C. Caeſarem in libris de Analogia dixiſſe Priſcianus monet, & Acro, ſeu quis alius Horatij vetus interpres. Sed nos de his mox pluribus extremo libro tertio.

CAP. IV.

Q. Ennij de P. Scipione elogia. Cicero *in Liciniana & Trebellius Pollio illuſtrati.*

M. TVLLIVS in Liciniana, quæ eſt pro A. Licinio Archia poëta habita: *Carus,* inquit, *fuit Africano ſuperiori Ennius. Itaque in ſepulcris Scipionum putatur is eſſe conſtitutus è marmore.* Elogia ſibi & Scipioni Maiori conſtituit verſibus Elegiacis Q. Ennius, quae apud Senecam Epiſtola CIX. ſed mutila leguntur, ſuntque à doctiſſimis hominibus in Ennianis ſuppleta:

Hic eſt ille ſitus, quoi nemo ciui' neque hoſtis
Quiuit pro factis reddere oprae-pretium.

Aliud eiuſdem Epitaphium laudat ibidem Seneca, & Orator noſter Tuſculana V. & Lactantius lib. I.

A Sole exoriente ſupra Maeoti' paludes,
Nemo eſt qui factis me aequiparare queat.
Si fas endo plagas caeleſtûm ſcandere cuiquam,
Mi ſolei caeli maxima porta patet.

Lactantij codices vitioſè præferunt *caedendo, & caeleſtia.* L. Senecae vero exemplaria: *ſi fas eſt plagas caeleſtum.* In antiquioribus tamẽ: *ſi faciendo plagas*

plagas. Sed germanam hanc lectionem *ſi fas endo plagas* (*endo* enim pro *in*, Ennio familiare,) omninò conſtituendam vidit doctiſſimus Pithœus in Aduerſariis Subſeciuis, de optimis quibuſque auctoribus eruendis ſic meritus quam qui maximè.

Ennius verò ſibi elogium apud Ciceronem in Catone maiore & Tuſcul. I. hoc poſuit.

Aſpicite, ô ciueis, ſenis Ennij imaginì formam:
Heic veſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrumeis decoret, nec funera fletu
Faxit. quur? volito viuu' per ora virûm.

Sed & aptius elogiũ repperiſſe videor Q. Ennij de Scipione Africano apud Trebelliũ Pollionẽ, in Claudij Aug. vita: quod ſic ad numeros redigere tentabam: Felicius alij, cupio quidẽ certè:

Quam ſtatuam faciat populus, vel quanta columna,
Quae res ipſa tuas ſaepe loquatur, erit?

Quod huc potiſſimum Elogium pertinet. Subiungit enim M. TVLLIVS: *At iis laudibus certè non ſolùm ipſi qui laudantur, ſed etiam populi Rom. nomen ornatur.* De ſepulcro poëtae ſic in Chronicis Euſebianis: ENNII *oſſa ex Ianiculo Rhodium tranſlata fuiſſe traditum*, vbi forte *Rudium* aut *Rudias* reponendum, quae eius patria eſt, auctoribus Auſonio, Silio Italico, CICERONE hîc, atque adeo ipſomet Ennio, qui de ſe alibi cecinit:

Nos ſumu' Romanei, qui fuuimus ante Rudeinei.

Aliter tamẽ plerique ſentiũt: ſepultũ nimirum fuiſſe poëtã via Appia in Scipionis ſepulcro, qui Ennio ſtatuam in monumẽto ſuo erigi iuſſerit: de qua T. Liuius lib. XXXVIII. C. Plinius lib. VII. cap. XXXIV. & Val. Maximus li. VIII. cap. XIIII.

CAP.

CAP. V.

De Luculli militibus, Ciceronem & Horatium non eadem tradidiſſe.

Fvso ad Cyzicum fugatoque à Q. Lucullo Mithridate Ponti rege, captaque Tigranocerta, in qua octo talentorum millia prædæ illi ceſſerunt, opulentiores iam Rom. milites ſpoliiſque ditati, & donis ab imperatore acceptis, 't fieri amat, inſolentiores imperium recuſabant, nec ſatisdicto audientes domum cogitabant. Quod ita M. Tvllivs in Maniliana, modeſtè tamen, apud Quirites interpretatur, e offendiſſe quoſdam videretur, quaſi patriæ potiſſimùm deſiderio tenerentur; vtpo- qui longius à patria diutiuſque abeſſent, iàm æquo ferre animo poſſent: *Noſter, init, exercitus, etſi vrbem ex Tigranis regno ceperat, praelijs vſus erat ſecundis, tamen nimia longinquie locorum, & deſiderio ſuorum commouebatur.* Horatius verò apertius, quod res erat, endit, L. Lucullum longè parentiorem buiſſe militem, dum is inops eſſet, qui titer in hoſtem pugnaret, quàm cùm liis ditatus imperium ducis abiiceret, itaremque diſciplinam detrectaret. Ita m ſe iam carmina pangere deſiiſſe, & m ſtertere velle per iocum Poëta re-, factum iam locupletem, agris aliquot acce-

acceptis; qui antea re non ita lauta verſus quam plurimos ſtans pede in vno conderet. Sic enim ille lib. II. Epiſt. ad Florum:

Luculli miles collecta viatica multis
AErumnis, laſſus dum noctu ſtertit, ad aſſem
Perdiderat, poſt hoc vehemens lupus & ſibi & hoſti
Iratus pariter ieiunis dentibus acer
Praeſidium regale loco deiecit, vt aiunt,
Summè munito, & multarum diuite rerum.
Clarus ob id factum donis ornatur honeſtis:
Accipit & bis dena ſuper ſeſtertia nummûm.
Forte ſub hoc tempus caſtellum euertere Praetor
Neſcio quod cupiens, hortari coepit eumdem
Verbis, quae timido quoque poſſent addere mentem.
I bone, quo virtus tua te vocat, i pede fauſto,
Grandia laturus meritorum praemia. Quid ſtas!
Poſt haec ille catus, quantumuis ruſticus, ibit,
Ibit eo quo vis, qui zonam perdidit, inquit.

Diſcedit vero, vt ſolent ſaepenumero poëtae, dum omnia in immenſum augent, ab hiſtoriae veritate. Plutarchus enim in Lucullo militibus Rom. octingentas drachmas Lucullum viritim dediſſe praemij loco capta Tigranocerta refert. Poëta verò viginti millia ſeſtertiûm nummûm, qui quingentos aureos, decem drachmarum ſingulos efficiunt: quod amplius eſt octingentis drachmis.

Mox ἐν παρόδῳ admoneo, in eodem CICERONE ambigi vtro modo legatur: *Mithridates*, inquit, *& ſuam manum iam confirmauit*. Editiones enim vulgares, *Suum animum confirmauit*, quod placet magis, praeferunt. Supra enim non longè M. TVLLIVS de Tigrane ait diffidentē rebus ſuis

ſuis Mithridatem confirmaſſe. *Mentem* autem *addere* dixit Horatius in illis ipſis verſibus, praeter Salluſtium in Catilinaria, hoc modo:

Verbis, quae timido quoque poſſent addere mentem.

CAP. VI.

In hoſtium eſſe poteſtatem: in medium relinquere. *Tullij alter pro Lege Manilia poſt Agellium correctus locus.*

M. Tvllivs principio Orationis, qua belli imperatorẽ Mithridatici deligendum Cn. Pompeium, præterea neminẽ, ſuadet; *Regnum,* inquit, *Ariobarzanis, quod finitimum eſt veſtris vectigalibus, totum eſſe in hoſtium poteſtate.* Equidem accuſandi caſu legendum eſſe contendo, *Totum eſſe in hoſtium poteſtatem*: quomodo pòſt in hac ipſa oratione reponendum vidit, docuitque Agellius Noctium Atticarũ ſcriptor, lib. I. cap. VII. *in praedonum fuiſſe poteſtatem*: ἀρχαϊκῶς, concinnius nimirum & ad numeros ſuauiter cadentes aptius, quàm in vulgus editum circumfertur, *in praedonum fuiſſe poteſtate.* Ita Plautus Amphitruone; *Nec vero mihi in mentem fuit.* Terẽtius Eunucho:

Ille vbi me videt eſſe in tantum honorem.

Sex. Propertius lib. II. Eleg. IX.

Appoſitum fluuiis in Simoënta vadis,

ad οἴκοθεν μάρτυρα Ciceronem in rem praeſentem aduocemus. Sic enim in Quintiana: *Itaque ex eo tempore res eſſe in vadimonium coepit.*

Et

Et diuinatione in Verrem: *Ab exteris nationibus, quae in amicitiam ditionemque populi Romani eſſent*. Pro Quinctio, & pro A. Caecina: *Eſſe in poſſeſſionem bonorum*. Et Verrina II: *Qui illam partem vrbis non in eorum poteſtatem, & portum futurum intelligebant*. Qui locus noſtro ita geminus eſt, vt nō ouum ouo ſimilius eſſe videatur.

Sic & interdum Graeci εἶμι dicunt pro τῷ ἀρτίως πορεύομαι, & contra ἧκα, ἀντὶ τοῦ ἀρτίως ἦλθον. Sic: *In medium relinquere* & *ponere in medium* dixit Q. Claudius I. Annali apud Agellium, lib. XVII. cap. II. M. tamen CICERO *in medio ponere*, Verrina VI. & I. de Nat. Deor. ſi probi ſunt editi codices. Vt autem *In hoſtium eſſe poteſtatem* dixit, ſic Iure-conſulti veteres *hoſtium potiri* pro bello captum eſſe dixerunt, aliter atque *Victoria potiri* dicimus, vt in Emendationum libris iuuenis admodum obſeruarat aeui ſui flos Ant. Auguſtinus v. c. Sanè exilia hæc, nec infitior: verùm nihilò his meliora adferunt alij in Variis: certè ad ſimilia in aſſidua CICERONIS lectione, vel his etiam praeſtantiora obſeruanda adoleſcentes inuito.

CAP. VII.

CICERONIS *lectio in Maniliana à Lambini correctione vindicata.* Traducere *quid?*

M. TVLLIVS de rei militaris in Cn. Pompeio peritia verba faciens, quæ prima in qua-

quatuor virtutibus, quas ſummo imperatori ineſſe oportere exiſtimat, cum virtute, auctoritate, ac felicitate: *Cuius*, inquit, *adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperijs; non offenſionibus belli, ſed victorijs; non ſtipendijs, ſed triumphis eſt traducta.* Hic enim Lambinus, dum *erudita* ſupponit, fruſtra eſt, mea quidem ſententia: licet hoc loquendi genere orator in extrema Fonteiana ſit vſus: *Homo non litteris ad rei militaris ſcientiam, ſed rebus geſtis ac victorijs eruditus.* Vulgatam tamen facio libenter vt retineam, cùm veterum librorum auctoritate, tum quod ita frequentius locutum alibi obſeruem: vt in Planciana: *O adoleſcentiam traductam eleganter.* In Oratore verò paullo aliter: *Adoleſcentes*, inquit, *à minutis concertationibus ad omnem vim dicendi traducendos puto.* In Catone Maiore: *Ætatem traducere otioſam & quietam, ſine vllo aut labore aut contentione. Vitã* verò *traducere* Tuſcul. III. *Si voluerit hoc, quod datum eſt, vitæ, tranquillè placideque traducere.* Et ad Brutum: *Egregijs vitam factis traducere.* Tibullus autem elegãs Latini ſermonis poëta lib. I. qui locus plurimos de *Traducendi* verbo ambigentes adhuc exercet:

Me mea paupertas vitæ traducat inerti,

hoc eſt, ad inertem ignauamque vitam traducit: quomodo initio huius Manilianæ, omne meum tempus amicorum *temporibus tranſmittendum putaui.* Paupertatis *inertem vitam* appellat, id ingloriam, vt Maro extremo Georgic. *ſtudijs florentem ignobilis oti*, de poëtica, cuius ſtudium gloria vacaret.

Sic & Matth. I. παραδειγματίσαι, vertit inter-

pres vetus, *noluit eam traducere*, quod Græcè ſonat *exemplum in ea dare noluit*, quidam etiam pro *traducere in domum ſuam noluit*, accipiunt. B. Auguſtinus Epiſt. LIIII: vertit *diuulgare*, & Sermone XVI. de Verbis Domini in monte. Mox tamen Epiſt. LIX. *exemplare* reddit. Quod Hiberis hodie eſſet, *Saccar à la verguença*.

CAP. VIII.

Seges pro agro & frugibus. Maro illuſtratus & Cicero, Tibullus etiam caſtigatus.

PRIVSQVAM Poëtam de manibus depono, operam illi demus, vt mutuũ præſtent. Eſt enim purus & elegans, bonuſque Latinitatis auctor TIBVLLVS, Eques & ipſe Rom. qua tempeſtate, vt hodiéque, nobilium quàm plebeiorum cultior ac politior ſermo fuit. Is porro lib. II. Elegia III.

At tibi dura ſeges Nemeſin qui abducis ab Vrbe,
Perſoluat nulla ſemina terra fide.

Guil. Canterus homo doctiſſimus, non malè de poëtis illis meritus, tentauit veriùs, quàm ſanauit:

——*ſemina tecta fide.*

Ego verò ſi fas ab amico diſſentire, retineo. hic enim ait Eleg. VI. lib. II. *Spes ſulcis credit aratis*
Semina, quæ magno fenore reddat ager. Repono quoque

quoque versu qui antecedit ad *ſegetem* aſpiciens, genere ſequiore:

———quae abducis ab Vrbe,

ſenſu plano: Moleſtè enim fert poëta ruri degere Nemeſin, domoque abeſſe; ſterilitatem etiam agro imprecatur. *Seges* itaque hic pro agro & campo, vt & maiorum gentium poëtae principi Virgilio vſitatum lib. IIII. Georg.

Illa ſeges demum votis reſpondet auari
Agricolae, bis quae ſolem, bis frigora ſenſit.

Poëtae quoque veteri apud Tullium Tuſcul. II.

Etſi ſegetem ſunt in deteriorem datae
Fruges, tamen ipſae ſuapte natura enitent.

Idemque Tibullus lib. IV. Eleg. I.

Nec frugem ſegetes praebent, nec pabula terrae.

Et lib. I. Eleg. III. ad Meſſallam:

Fert caſiam non culta ſeges, totoſque per agros
Floret odoratis terra benigna roſis.

Quem ipſum locum, de campis Elyſiis illuſtro Pindari illis verſibus, quos à Plutarcho extrema Conſolatione ad Apollonium laudari video, itemque libello περὶ τοῦ Λάθε βιώσας: Τοῖσι λάμπει μὲν μένος ἀελίου τὰν ἐνθάδε νύκτα κάτω, φοινικορόδιαί τε λειμῶνές εἰσι προάστειον αὐτῶν, καὶ λιβάνω σκιερὸν καὶ χρυσοκάρποισι βέβριθε. Quae Latinis ſunt numeris reddita: *Fulget illis iubar Titanis Cùm terras nox obumbrat, Prataque puniceis ornata roſis Eorum ſunt ſuburbium Thuriferis arboribus, Et aureos ferentibus fructus opacum.*

Alias pro frugibus *ſeges* adhibetur, vt à Marone: *Quid faciat laetas ſegetes.* Et idem cultiſſimus Poëta, lib. II. Eleg. I.

Neu ſeges eludat meſſem fallacibus herbis.

CAP. IX.

Dignitas & venuſtas. *Ciceronis lectio defenſa in Liciniana.*

CONSERVATE, *Iudices; hominem pudore eo, quem amicorum ſtudijs videtis comprobari, tum dignitate, tum etiam venuſtate.* τὸ *ſtudijs*, vt gloſſema, tollendum Lambinus cenſuit, quaſi ſignificet Orator pudorē Archiae ab amicis & dignitate præſtantibus viris, & venuſtis ac politis cōprobari. Fuluius verò Vrſinus *ſtudij* vocē retinet ac *venuſtatis*. Pudor enim, inquit, dignitas, *venuſtas*, & ingeniūm ſunt in Archia omnia; *vetuſtas* neque eſt, neque eſſe poteſt. Variae itaque hîc ac repugnantes Criticorum ſententiae, quas tamen ne paginas impleam, in praeſens omitto. Muretus enim elegantiſſimi vir ingenij, lib. XII. Variarū lect. cap. XV. *vetuſtate* hic, Paullo Manutio aliter antea ſentiente, reponendum putauit. Equidem vulgatam libenter retineo, niſi ſi veteres libri, quorum magna eſt apud me auctoritas, repugnent. Scio M. TVLLIVM in Officiis vt *dignitatem* viris, ſic feminis tribuere *Venuſtatem*; non raro tamen ab ipſo diſcrimen negligi obſeruatum. Non longè abiero. In hac ipſa oratione pro Archia de Roſcio hiſtrione verba faciens: *Qui*, inquit, *cùm eſſet ſenex mortuus, tamen propter excellentem artem & venuſtatem, videbatur omnino mori non debuiſſe*: niſi fortè de actionis, geſtuumque, nō de hominis for-

ma accipias. Alios itaque teſtes dabo omni & ipſos exceptionē maiores. Terentianus Pamphilus ille in Hecyra ait:

Quis me eſt fortunatior, venuſtatiſque adeo plenus?

Alter item Pamphilus in Andria.

Adeon' hominem eſſe inuenuſtum aut infelicem quemquam, vt ego ſum?

Horatius quoque Epiſt. VI. lib. I.

Et genus & formam regina pecunia donat,
Et bene nummatum decorat Suadela, Venuſque.

Accedit adhæc, cur *venuſtatem* hic libentius retineam, quod eam fere Orator *dignitati* coniungere ſoleat, vt in Oratore: *Vultus multam adfert tum dignitatem, tum venuſtatem.* Et I. de Orat. *Ad extremum agere cum dignitate & venuſtate.*

CAP. X.

Superſtites præſentes, Libripens. Vindiciae. *Inſignis Ciceronis locus in Muraeniana illuſtratus.*

M. TVLLIVS *Coſ.* cùm L. Licinium Muraenam Conſulem cum Decimo Iunio Silano deſignatum in annum Vrbis conditae IↃCXCI. ambitus accuſatum non ſolum à Cn. Poſtumio, ſed & à Seruio Sulpiçio, & M. Porcio Catone defendendum ſuſcepiſſet; quorum hic grauitate nullius in Rep. delicto ignoſcendum eſſe putabat; ille vero competitor repulſam tuliſſe, ſeque Iure-conſultum ab homine armis dedito victum moleſtè fere-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

 bat:

bat: ita Iuriſ-prudentiam cum militari gloria iracunde, vt apparet, an cauſſæ ſeruiens, comparauit, vt militiam Iuriſ-prudentiæ longe anteferret; adeoque vel triduo, ſi ſtomachum mouerent, Iuriſ-conſultum ſe profeſſurum iactaret. Cumque illi defenſionis cum M. Craſſo, quique eloquentiæ laude tum maximè florebat, Q. Hortenſio inſtituta eſſet contentio, totam, vt vinceret, inſommem lucubrando noctem traduxerit; vſque eo vt nimiis curis, vigiliiſque afflicta valetudine inferior Hortenſio, ipſique in actione concedere viſus ſit. Ita enim reddenda illa Plutarchi: ὡς ὑπὸ τῦ σφόδρα φροντίσαι καὶ διαγρυπνῆσαι κακωθεὶς, ἐνδεέστερος αὐτῦ φανῆναι. Non, vt quidam mutarunt, αὐτου pro αὐτῦ: neque vt alij, μὴ ἐνδεέστερος αὐτῦ φανῆναι. In ea igitur oratione conſulari, maximeque illuſtri Iure-cōſultorum formulas irridens CICERO, Vindiciarum hoc carmen exagitat, in quo variae ſunt & repugnantes doctorum hominum ſententiæ, vt & ipſe, qui ferè de plano pronunciat Lambinus, hic animi dubius ἐποχὴν illam Academicorum laudet, probetque. Sic itaque CICERO: *Praetor*, inquit, *interea ne pulcrum ſe ac beatum putaret, atque aliquid ipſe ſua ſponte loqueretur, ei quoque carmen compoſitum eſt, cum ceteris rebus abſurdum, tum vero nullo vſui,* VTRISQ. SVPERSTITIBVS PRAESENTIBVS ISTAM VIAM DICO. ITE VIAM. *praeſto aderat ſapiens, qui ire viam doceret:* REDITE VIAM *eodem duce redibant.* Hic cùm olim Ant. Auguſtinus, excellenti vir doctrina, pro VTRISQ. legendū coniecisset VIRISQ. ad Fe-

d Feſtum Pompeium, quem cum M. Varrone tiamtum adoleſcens legi primus & intelligi locuit; Ant. Couarruuias Didaci frater, Senaor regius, qui-cum omnia mihi neceſſitudinis ura interceſſerunt, VIRIS QVINQ. SVPERSTITIB. non longè diſcedens, legendum ſibi videri coram affirmauit. Iure enim Quiritium, vt ſeptem in teſtamentis teſtes adhibebantur, ſic in codicillis quinque. In teſtamentis verò poſtea Leonis Imp. iunioris Conſtitutione in Nouellis, totidem adhibiti, qui hodie Iure Pontificio ad tres reuocãtur. Quinque autem illis teſtibus à Romanis *Libripens* additus. Sic enim ex lib. I. Caij Inſtitutionũ Boëtius in Topica CICERONIS lib. III. *Emancipatio adhibitis non minus quam quinque teſtibus ciuibus Romanis puberibus, praeterea alio eiuſdem conditionis qui libram aeneam teneat, qui appellatur Libripens*: & Priſcianus lib. V. extremo ex eodem Caio: *Adhibitis*, inquit, *non minus quinque teſtibus puberibus: item libripende, qui libram aeneam teneat, qui appellatur Libripẽs.* Petrus vero Ciacconius Toletanus, quem aeui ſui alterum Varronem merito dixerim, ita hunc locum concinnandum rogatus per epiſtolam reſpondit: *Tum verò nullo vſu vtriſq;* SVPERSTITIBVS PRAESENVIBVS, SVMITE VINDICIAS ITE VIAM. Ciceronis enim & Caeſaris aetate quarti ordinis nomina dãdi caſu in *u* exiiſſe, vt *vſu* pro *vſui* dixerint, monent Priſcianus, Diomedes, & Agellius lib. IV. cap. XVI. *Superſtites* autem hic teſtes nominantur. Sic enim Feſtus Pompeius: *Superſtites praeſentes, teſtes praeſentes*

 ſigni-

ſignificant. Cuius rei teſtimonium eſt, quod ſuperſtitibus praeſentibus, ſi inter quos controuerſia eſt, vindicias ſumere iubentur. Plautus in Artemone:.

Nunc mihi licet quiduis loqui, nemo hic adeſt ſuperſtes.
Priora enim Feſti idem Petrus ſic emendabat è dictione *Pubes*: *Pube* inquit, *praeſente, eſt populo praeſente.* E ſequentibus verò Sex. Pompeij verbis, quibus actorem & reum iuberi ait à Prætore *ſuperſtitibus praeſentibus vindicias ſumere*; eodem modo legendum eſſe in Cicerone putabat SVMITE VINDICIAS, ex obſcuris hiſce veſtigijs *iſtam viam dico.* Nullo itaque vſui eſſe hæc verba iactat Orator *vtriſque*, id eſt actori & reo; ideoque dicis dumtaxat cauſſa ea à Praetore dicebantur, neque vindiciae in re praeſenti ſumebantur, neque in iure manu conſertum. Alij autem VTRISQVE SVPERSTITIBVS formulae Praetoris applicant. Seruius Honoratus ad illud Virg. III. Aeneid.

——*ſuperéſtne & veſcitur aura Aetheria?*
Sic legit: *ſuperſtes praeſentem ſignificat in Muraeniana*: SVIS VTRISQVE SVPERSTITIB. *id eſt praeſentibus.* Quare τὸ *praeſentibus* ex ora in contextum CICERONIS irrepſiſſe videtur, vel, quod eſt verius, corruptum eſſe locum ac mutilum, cum pro *vſui*, *ſuis* legat Seruius. Priſcianus quoque ſua tempeſtate vitioſe lectum in M. TVLLIO lib. X. Grammatic. ſatis oſtendit. Rectius verò Iſidorus Hiſpalenſis legit libr. XVIII. Etymolog. cap. XV. *Teſtes*, inquit, *antiquitus ſuperſtites dicebantur.* Vindiciarum autem Lex ſic fere in

XII.

XII. Tabulis concepta à X. Viris apud Agellium libr. XX. cap. IX. SEI. QVEI. IN. IVRE. MANVM CONSERVNT. VTREIQ. SVPERSTITIB. VINDICIAS SVMVNTO. Seruius vero Sulpicius, qui Muraenam ambitus, vt dixi, accuſauit, in conuulſis laceriſque Feſti ſcedis, *nomine* (ſic enim ſarciri locum poſſe video) *etiam ſingulariter formato Vindiciam eſſe ait, qua de re controuerſia eſt, ab eo quod vindicatur.* Non igitur aſſentiamur iis qui *Vendico* per ſecundam vocalem ſcribendum eſſe contendunt; cum à *Vindice* nota manumiſſionis virga *Vindiciae* deriuentur: etſi *Vendito* à vendo frequentatiuum ſcribatur.

CAP. XI.

Pars mei melior. *Gloſſema in Orat. pro Archia ſublatum: alter item locus illuſtratus.*

De animorum immortalitate ex gloriae cupiditate ducto argumento diſputans extrema Liciniana CICERO: *Haec,* inquit, *ſiue à meo ſenſu poſt mortem afutura ſunt, ſiue, vt ſapientiſſimi homines putauerunt, ad reliquam animi mei partem pertinebunt, nunc quidem cogitatione quadam, ſpeque delector.*

Quandoquidem τὸ *animi* in libris quibuſdam deſiderari Muretus affirmat, aſſentior eidem veram eſſe lectionem, *Ad reliquam mei partem pertinebunt.* Superſtitibus id teſtibus comprobemus: Ouidius:

Parte tamen meliore mei ſuper alta perennis
Aſtra ferar.——

Horatius lib. III. Carminum extremo:

Non omnis moriar, magnaque pars mei
Vitabit Libitinam, uſque ego poſtera
Creſcam laude recens

Idē tamē poëta Venuſinus *animā* alibi adiecit:

——*Finibus Atticis*
Reddas incolumem, precor,
Et ſerues animae dimidium meae.

Verum in eadem ipſa Oratione ſupra occurrit: *Iam vero ille, qui cum AEtolis Ennio comite bellauit Fuluius, non dubitauit Martis manubias Muſis conſecrare.* Illud idem Orator Tuſculana I. ſic extulit. *Honorem Poëtarum generi non fuiſſe declarat oratio Catonis, in qua obiecit vt probrum M. Nobiliori, qnod in prouincias Poëtas duxiſſet. duxerat autem Conſul ille in AEtoliam, vt ſcimus, Ennium.* Et C. Plinius lib. XXXV. cap. X. *Zeuxis fecit figulina opera, quae ſola in Ambracia relicta ſunt, cum inde Muſas Fuluius Nobilior transferret.* Hic autem M: Fuluius in Faſtis triumphat Capitolinis anno poſt Ro. cond. IↃLXVI.

CAP.

CAP. XII.

CICERONIS *Philippicae, prima & item altera quà illuſtratae, quà emendatae.*

DEMOSTHENEM imitatus M. TVLLIVS ſuas in M. Antonium inuectiuas non Antonianas ſed *Philippicas* appellauit, in quas hoc capite notare quædam viſum eſt. Earum prima ſic habet: *Quod eſt Augurum antedicere ea quae vitari poſſunt.* Expreſſit, credo, Demoſthenis illud in ea quae de Corona eſt: ὁ γὰρ σύμβουλος καὶ ὁ συκοφάντης ἐν οὐδενὶ τῶν ἄλλων οὐδὲν ἐοικότες ἐν τούτῳ πλεῖστον ἀλλήλων διαφέρουσιν. ὁ μὲν γὰρ πρὸ τῶν πραγμάτων γνώμην ἀποφαίνεται. &c. Ad alteram tranſeo. *Placuit idem quod Conſularibus M. Catoni, qui cùm multa vitâ excedens prouidit, tum quòd te Conſulem non vidit.* Senſus hic commodus videatur, quaſi è vita abire atque decedere maluerit M. Cato Vticenſis, quam, quod futurum prouiderat, Conſulem te videre. Mox: *Dat natalitia in hortis, cui? neminem nominabo. Putate tum Phormioni alicui, tum Gnathoni, tum Ballioni*: nō temere id Orator dixit. *Ballio* enim quidam in Plauti Pſeudôlo dat item natalicia: *Phormio* quoque apud Terentium. Sequitur: *At etiam quodam loco facetus eſſe voluiſti.* Quid ſi *ioco* legas? nam de iocis egit antea paullò. De iocis autem M. Antonij Plutarchus. Siquis tamen vulgarē ſcripturam, vt de loco orationis Antonianae ſermo ſit, tuebitur-

bitur, animus eſt cum eo non admodum pugnare. Poſt paullum: *In te, M. Antoni, id decreuit Senatus, & quidem incolumis, nondum tot luminibus exſtinctis, quod in hoſtem togatum decerni eſt ſolitum, more maiorum.* Cur *togatum* potius quàm *ſagatum?* cum in Caeſarem armatum Senatuſ-conſultum illud latum eſſe ipſe affirmet: *Videret Conſul, ne quid Reſp. detrimenti capiat?* Fuit cum hic *rogat.* pro rogatione reſcribendum putarem. *Togatum* tamen retineo. Decernere enim, quod Senatus eſt proprium, non rogatione fit, ſed eſt auctoritatis proprium. Illud *more maiorum.* recte hic accipit Paullus Manutius, optimè de CICERONE meritus. Deinde: *Licinium Lenticulam de alea condemnatum colluſorem ſuum reſtituit.* Addit hic rurſum de ſuo nimis largus Dion. Lambinus: *non vt luderet cum reſtituto*: fruſtrà, ſiquidem cum Mureto mox legeris: *Non quaſi ludere cum condemnato.* Longius paullò: *Modo egens, repente diues.* Reſpexit eôdem M. Seneca Rhetor in Suaſoria extrema, & Muretus lib. xx. Variarum, quos libros à naufragio ſeruauimus. Omnino ex Poëta aliquo depromtum eſſe cõijcio. Anacreontici propemodum numeri ſunt, qualia ferè illa quae antecedunt: *Perſultabat gaudio perſona de mimo.* Et ſupra ſalis aliquid de mima vxore traxiſſe ait. Infrà: *Materia facilis eſt in te, & in tuos dicta dicere.* Hic gloſſemata multa ſunt, quae & in Suetonij libello, aut cuius eſt, de claris Rhetoribus hunc locum exhibente reperias: ſed vel *dicere* tantum (nec enim hic Atticiſmus ille quadrat, *dicta dicere*, vt *vitam viuere*:) vel certe niſi me aures tritae, menſque fallunt,

dicta

dicta iacere, ſcripſiſſe arbitror M. TVLLIVM. Sub finem orationis: *Vexauit Puteolanos, quòd C. Caſſium & Brutos patronos adoptaſſent, magno quidem ſtudio, iudicio, beneuolentia, caritate; non vt te & Baſilum, vt & armis & alios veſtri ſimiles.* Dion. Lambinus *τὸ patronos* delendum curauit. Sed quid illud, *Vt & armis?* Reponendum fortaſſe *vt Tamiſium*, de quo gladiatore non ſemel ſuprà, & in epiſt. ad Atticum. *Baſili* autem lib. III. Officiorum meminit. In eadem oratione: *Sumſiſti virilem togam, quam ſtatim muliebrem ſtolam feciſti.* Gab. Faernus accuratae vir diligentiae in Latinis auctoribus tractandis, de vetere cod. Rom. ſic edebat: *ſumſiſti virilem, quam ſtatim muliebrem togam reddidiſti.* At meretricum toga erat, matronarum vero *ſtola*. Horatius, lib. I. ſerm. Sat. II. v. 62.

——quid inter-
eſt, in matrona, ancilla peccesue togata?

Eademque Satyra de matrona loquens *ſtolam* attribuit:

Ad talos ſtola demiſſa, & circumdata pallis.

Adulterij quoque damnatæ impudicitiam profiteri, togamque geſtare cogebantur, vt apud Martialem, alioſque auctores legiſſe memini.

CAP.

CAP. XIII.

Iulius Seuerianus Rhetor è Cicerone, & CICERO Philippicis emendantur.

CALVMNIABATVR M. Antonius Ciceronem, quòd corpus Lentuli Surae, qui coniurationis Catilinæ conſcius fuiſſet, ſepulturæ non mandaſſet: impieque factum videri, ſumtum eſſe de eo more maiorũ ſupplicium in Tulliano, cùm tamen iure cæſum concederet. Ad quem locum reſpiciens Iulius Seuerianus Rhetor (cuius & Sidonius Apollinaris meminit, eſtque nuper è tenebris in lucem à Luca Fruterio Brugenſi reuocatus) cum de aduerſariorum argumentis dicendi ille magiſter praeceptiones tradit: *Propoſitis*, inquit, *quibus reſponſuri ſumus, quaerendum nobis erit, an inter ſe comparatae repugnantes ſint, vt ſuis armis corruant: vt* CICERO *de Antonio: Auunculum ſceleratum eſſe fatebatur; poena affectum querebatur.* Hic emendandum è M. TVLLIO cenſeo, quia μνημονικὸν eſt ἁμάρτημα, aut pro *Auunculum*, P. *Lentulum* reſcribendo: aut certe *vitricum*, non *auunculum*, qui L. Caeſar fuit. Sic enim Philippicis CICERO: *Vitricum tuum fuiſſe in tanto ſcelere fatebare, poena affectum querebare.* De hoc autem Lentulo, cognomento Sura, & in coniuratione Salluſtius, & Plutarchus commemorant. Lentulum autem Antonij vitricum fuiſſe in ea ipſa Oratione TVLLIVS docet: Iuliam ſcilicet M. Antonij

tonij matrem iterum nupſiſſe P, *Corn. Lentulo Surae*, qui poſt cum Catilina aduerſus Remp. coniurauit, poenaſque capitis dedit: *Hunc tu*, inquit Orator (Lucium Caeſarem) *cum auctorem & praeceptorem omnium conſiliorum, totiuſque vitae debuiſſes habere, vitrici te ſimilem quàm auunculi maluiſti.*

In prima autem Philippica locus eſt ſubobſcurus: *An ſi cui quid ille promiſit, id erit fixum? Quod idem facere non potuit, vt multis multa promiſſa non fecerit.* Ant. Muretus Notis ad Philippicas poſt Faërnianas editis tentabat: *Quod idem non facere potuit.* Senſus ſic erit apertus: Nihil minus ratum habendum quàm eius promiſſa, quæ tali tempore non potuit non multa facere, ne ſuos abalienaret, ſed ſibi potiùs adiungeret. At alterum deeſſe membrum Manutius credidit: *Quod autem in aes incîdit, id ratum non erit?* niſi fortè ἀποσιώπησις eſt, iratis familiaris.

CAP. XIV.

CICERONIS *loca aliter, atque vulgò leguntur, ab antiquis allata.*

NOTVM eſt Tullij vt optimi Latinitatis auctoris, teſtimonia pleroſque ſcriptores ſcriptis ſuis inſeruiſſe. Vnde enim potius hauriant, quam ex fonte illo Rom. eloquentiæ vberrimo? Si quid enim doctè, eleganter, ſciteque dictum eſt, dixit idem TVLLIVS: ſi ſenten-

ſententiarum ſplendor & nitor requiritur; eſt in Tullio: ſi Philoſophum ſubtilem, Senatorem perfectum, Oratorem optimum quis deſideret, in vno *Tullio* coniuncta haec reperientur: vt minimè mirum videri debeat ad eius ſe imitationem praeſtanti ſemper iudicio viros contuliſſe, eiuſque in re litteraria principis ſententiam ſecutos. Quod verum eſſe paret, cum doctorum hominum iudicijs, quae libro ſecundo *Tullianarum Quaeſtionum* nuper collegimus; tum multorum auctoritate Scriptorum, qui eius ſunt teſtimonio vſi, confirmare poſſumus. At ſufficiat in praeſens diuerſa ab alijs laudata, allataque verba cum ipſo fonte conferre. Vnde liquido diſcas plurima hodie in auctoribus notae melioris aliter citata legi, quàm apud *Ciceronem* reperiantur. Verbi gratia, cum in Piſoniana vulgo legatur: *Quem in hoc animali inuenire non poſſum*, Iſidorus Hiſpal. lib. II. Etymolog. cap. XXXI. legit: *In hoc maiali*. Philippica quoque II. *Seruitus eſt poſtremum omnium malorum, non modò bello, ſed morte etiam repellenda*. Sic idem Iſidorus in antiquis Originum membranis lib. II. cap. XXX. profert, Ciceronis verò editiones *repellendum* habēt, vt ad *poſtremum* referatur. Ibidemque Iſidorus ſic habet: *Gloria eſt laus recte factorum* ex I. Philippica in M. Antonium. Aliter enim M. TVLLIVS in ea pro M. Marcello. *Gloria eſt illuſtris ac peruagata multorum & magnorum, vel in ſuos ciues, vel in omne genus hominum fama meritorum*. Diſertius etiam III. Tuſculana: *Eſt conſentiens laus bonorum, incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. Ea Virtuti reſpondet*,

ſpondet tanquam imago gloriae. Vbi τὸ *gloriae* fodio, aut verò ſubiici malim: quomodo ἤχω reddidit Q. Flaccus in Odis. Pro Deiotaro quoque aliter hunc Oratoris locum legit: *Is non modo de tali periculo liberatus, ſed honore ampliſsimo ditatus domi te interficere voluerat*. Amplius enim vulgati CICERONIS codices: *Is non modo à tali periculo, ſed etiam honore ampliſsimo ornatus arguitur, domi ſuae te interfectum voluiſſe*. In Milonianae principio hic locus aliter apud Iſidorum eſt, lib. II. Originum cap. XVIII: *Etſi vereor, Iudices, ne turpe ſit pro fortiſsimo viro dicere*. Addit enim & ille *incipientem timere*: quod ſaluo ſenſu abeſſe poſſet. Et mox. *Veterem conſuetudinem fori, & priſtinum morem iudiciorum minime vident*. At M. Fabius lib. XI. Inſtitut. Orator. legiſſe eo ſaeculo videatur, *priſtinum morem iudiciorum requirunt*.

Lib. IV. in Verrem, quae de Signis eſt oratio: *Tum iſte* (Verres) *ab Equite Ro. ſplendido & gratioſo Cn. Calidio, cuius filium ſciebat Senatorem populi Ro. & Iudicem eſſe, equuleos argenteos nobiles; qui Q. Maximi fuerant, aufert*. Vbi ad oram Lamb. alleuit *eculeos* etiam ſcribi, quod & litteratoribus in vulgus notum: C enim Q & K commutari inuicem ſolent. Illud malè, neſcio an ab alio Dionyſio adſcriptum, nec enim Lambini id eſſe arbitror, *culleos argenteos* legẽdum eſſe, pro vaſis vinarijs, quae correctoris illius audaculi menſae potius quadrent, quam huic loco conueniant. Pugnant enim libri veteres, & magna Priſciani auctoritas, qui lib. III. Grammat. de ὑποκοριστικοῖς agens, in *Leus* terminantibus *eculeos* legit: ſed illud librariorum ibi vitio corruptum:

quique maximè fuerant. Sed quid ago? CICERO ipſe οἴκοθεν μάρτυς teſtimoniũ dicat: retinēdam nimirum editam ſcripturam: *Nollem* (inquit) *ſtatim dixiſſe: iactabit ſe, & in his equitabit equuleis.*

In ea pro Sex. Roſcio Amerino, hunc quóque locum Cariſij Soſipatri ope, diuini vir ingenij I. LIPSIVS noſter in Variis libr. IV. cap. VI. amplius legendum acutè vidit, etſi admodum adoleſcens tum eſſet. Sic enim in vulgus editur: *Cùm iam proſcriptionis mentio nulla fieret, & cùm etiam ij, qui antea metuerant, redirent, ac iam defunctos ſeſe periculis arbitrarentur, hominis ſtudioſiſſimi nobilitatis manceps ſit Chryſogonus.* Fl. vero Grammaticus ille pereruditus ſuo ita aeuo legiſſe videtur: *Cùm iam nulla proſcriptionis commemoratio fuerit, cum etiam ij qui autem metuerant, redirent, ac defunctos ſeſe periculis arbitrarentur, nomen refertur in tabulas sex Roſcij, hominis ſtudioſiſſimi, nobilitatis manceps ſit Chryſogonus.*

CAP. XV.

Reſpectum habere, agere: ὤρην ἔχειν Philippicae Tullianae illuſtratae.

IN diuinis illis, vt Satyricus quidem nominat, Philippicis modum loquēdi ſaepiùs obuium notabam, indictum tamen aliis eruditiſſimis interpretibus, Ferrario, Caelio, Faërno, ac Mureto. Sic enim ille lib. X. de Graecia, quae, niſi M. Bruti virtus obſtitiſſet, in M. Antonij poteſtatem facile conceſsiſſet, *Quae quidem nunc*

M. Bruti imperio, auctoritate, copijs, non inſtructa ſolùm, ſed etiam ornata, tendit dexteram Italiae, ſuumque ei praeſidium pollicetur. Quod qui ab illo abducit exercitum, & reſpectum pulcerrimum, & praeſidium firmiſsimum adimit Reip. Ita enim ex optimis & antiquiſſimis Romanis codicibus Gab. Faërnus veterum Cenſor acerrimus edendum curauit, cùm antea vulgati libri mutili eſſent, legerentque: *Quod qui ab illo abducit exercitū pulcerrimum, & praeſidium firmiſs. adimit, Reip.* Idē Orator Philipp. xi. *Decernerem planè, ſicut multa, Conſulem alterum amboſue, ni Brutum colligaſſemus in Graecia, & eius auxilium in Italiam vergere, quàm ad Aſiam maluiſſemus: non vt ex ea acie reſpectum haberemus, ſed vt ipſa acies ſubſidium haberet etiam tranſmarinum.* Editur enim vulgò malè: *Vt ex ea acie auxilium haberemus.* Hieron. Ferrarius, homo eruditus, qui in his Philippicis emendandis, Manutioque conſecrandis bonam princeps operam nauauit, explanabat *Reſpectum habere*, pro ſpem in aliquo collocare, paſsim obuiis allatis exemplis: quod quem amamus in oculis ferre dicamur, & *Ocuſsimus* eſt Plauto qui cariſsimus: & *Lumina* filij ſunt, quibus priuati *orbati* dicuntur. Faërno tamen, homini acutiſsimo, probare ſententiam nón potuit, cùm tamen ipſe meliora in praeſens adferre ſe non poſſe ingenuè fateretur: eruditiores excitaſſe, induſtriaque ſua ad opem ferendam inuitaſſe contentus. Arduū eſt enim, fuitque ſemper difficile obſcuris lucem, ac dubiis fidem, & his omnibus auctoritatem conciliare. Audax hoc igitur noſtrum facinus, nec infitior;

——*Hos inter tantas componere lites.*

Conandum tamen, ſiquid forte ſuccedat, —*quo me quoque poſſim Tollere humo* Equidem hic *Reſpectum habere* παθητικῶς vſurpaſſe CICERONEM credo, non comparatum exercitũ quem metueret Antonius, ſed qui praeſidio eſſet caeſo iam ad internecionẽ Ro. exercitu ad Mutinam. Quem enim reueremur, vt liberi parentes ſuos maioreſque ſolent; vel quem metuimus, vt ſerui dominos; identidem reſpicere, vultumque animi ſpeculum intueri, ſitne triſtis, an ad hilaritatem compoſitus, ſolemus. Iuuenalis Sat. VIII. pro metu ſumſit:

Nil ibi maiorum reſpectus, gratia nulla
Vmbrarum——

Et Naſo I. Triſt. Elegia III: *mei & ſui reſpectu,* παθητικῶς, pro eo qui reſpicitur dixit. At domeſtico eſt teſti habenda potius fides. Sic enim CICERO lib. I. de Diuinat: *Fugientibus miſerabilem reſpectum incendiorum,* pro horrendo ſpectaculo. Et Philipp. V. ſed ἐνεργητικῶς: *Vtinam C. Caeſari, patri dico, contigiſſet adoleſcenti, vt eſſet Senatui, atque optimo cuique cariſſimus. Quod cùm conſequi neglexiſſet, omnem vim ingenij, quae ſumma fuit in illo, in populari leuitate conſumſit. Itaque cùm reſpectum ad Senatum & ad bonos non haberet, eam ſibi viam ipſe patefecit ad opes ſuas amplificandas, quam virtus liberi populi ferre non poſſet.* Queritur CICERO nullam habitam à Caeſare Senatus, & Reip. ſtudioſorum rationem, ſed hos ipſos à Caeſare contemtos: idque eo ipſo tẽpore, quo habitae ſunt orationes illae in M. Antonium, noua molientem, tyrannidemque affectantem. Quo de ſta-

de ſtatu ſic ad Brutum ipſum, C. Caeſaris cum Caſſio percuſſorem, ſcribit, ſuperiorem locum mirificè illuſtrans: *Ex me illud eſt quod te velim habere cognitum, meum quidem animum in acie eſſe, neque reſpectum vllum quaerere, niſi me vtilitas ciuitatis forte conuerterit. Maiores autem partes animi Te, Caßiumque reſpiciunt.* Hic forſitan pro ſtudio rationeque, qua ad aliquid agẽdum impellimur, dixiſſe videatur, vt T. Liuius lib. xxi. Annalium ab V. C. verè & eleganter: *Sed factione reſpectuque rerum priuatarum, quae ſemper offecere, officientque publicis conſiliis, Appius vicit.* Herodotus hoc Graecè ὤρην ἔχειν extulit. Valerius autem Maximus inclinante iam ſub Domitiano aurei ſaeculi eloquentia, *Reſpectum agere* dixit lib. iv. Memorabilium cap. v. *Itaque rogabat eum, vt à ſe, dum ineptae rei deſeruiret, diſcederet, maiorem verecundiam dignitatis eius, quàm candidae togae ſuae reſpectũ agens.* Illud ἐν παρόδῳ adiicio lib. x. Philippic. *Quod qui ab illo abducit exercitum*, Faërnum non rectè mutare conatum in, *Quare qui ab illo*, contra libros veteres, veterumque auctoritatem. Sic enim M. Plautus particula *Quod*, pro *Quod attinet ad*, frequenter eſt vſus, vt in Aulularia:

Quod quiſquam ignem quaerat, exſtinctum volo.

Aſinaria: *Quod illa dicat peregre allatam epiſtolam.*

Milite: *Quod ille gallinam aut columbam ſe ſectari aut ſimiam*
Dicat, periiſtis, niſi vſque ad mortem multatis male.

CAP. XVI.

Vinctae per ὑφὲν *dictiones antiquis vſitatae.* Nec-opinanti, nec-opinato, ἀπροσδοκήτως CICERONIS *retenta lectio.*

QVAE primo & quinquageſimo aetatis anno de Haruſpicum reſponſis M. CICERO diſſeruit, poſt Ro. cond. IↃCXCVII. Cn. Lentulo,& L. Philippo Coſſ. in eius orationis extremo hic mihi nodus manum iniecit: *Niſi forte exiſtimatis hanc tantã illi colluſionem, tantamque euerſionem ciuitatis in mentem ſubito in roſtris nec-cogitanti venire potuiſſe.* Dionyſius Lambinus legendum omnino contra libros omnes contendit *ſubito in roſtris concionanti.* Aliis perſuadeat, mihi non item, qui in ea ſemper fui ſententia, veterum vt ſcripta non temere ſollicitanda, ſed religioſè tractanda eſſe exiſtimarem, ferremque potius, quoad poſſem, quæ commodum ſenſum eiicerent, quàm vt audax, aut ingenioſus in alienis interpolandis videri vellem. Scio in Roſtris ſtatuam Lepido ſtatutam, ſcio è Piſoniana ſemper in Roſtris curiam, in Senatu verò populum defendi; ſic & *Pro Roſtris* habitas orationes frequentius quam *in Roſtris* obſeruo, Adhaec cum *ſubitò* ait CICERO, equidem non video cur Dionyſium adeo hic offenderit vox per hyphen coniuncta *nec-cogitanti.* Et verò multa

multa meditātibus occurrunt, non raro etiam nec-opinantibus incidunt non pauca. Memoria itaque repetat vir bonus, cuius Manes non ſollicito, quod alias notatum memini & obſeruatum, CICERONI noſtro id eſſe perfamiliare vinctas ſeu iunctas per hyphen voces componere, & hanc ipſam qua de agitur, in Officiis: *Nec-opinata bona*. In M. Antonium, *nec-opinato cùm oſtendiſſet*. Et de finibus: *Alter alterum nec-opinato vidit*, quod Graecis eſſet ἀπροσδοκήτως. Sic Comicus in Seipſum puniente:

Vt hanc laetitiam nec-opinanti primus obÿcerem.

Quod hic Tulluis *nec-cogitanti* dixit, pro nihil tale opinanti, præterque ſpem atque exſpectationem. Sic & in XII. Tabulis: *Furtum manifeſtum* & *Nec-manifeſtum*. Item *Res nec-mancupi*. Manifeſtum enim furtum Maſurius Sabinus Iuriſconſultus apud Agellium lib. XI. Noctium cap. vlt. quaſi a manu ferendo deriuat, vt *Infeſtus*, ab inferēda iniuria. Contra *Nec-manifeſtum*, cùm fur non manu furtum ferens deprehenſus eſt. Tu vide L. 3. & ſequ. Pand. Tit. de Furtis, & Paullum, lib. III. Sententiarum, Tit. XXXI. Ad imitationem Decem-viralium Orator noſter II. de Legibus: *Magiſtratus nec-obedientem & noxium ciuem coërcento*.

CAP XVII.

Idem Graecis, Latiniſque Poëtis vſitatum fuiſſe oſtenditur.

POETIS verborum ob neceſsitatem architectis id adeò familiare, vocabula ſic vincire, vt negationes & Aduerbia nomini potiùs proximo, quàm verbo colligarentur. Quae res obſeruata, dici non poteſt quantam ſaepenumero obſcuris lucem adferat: videruntque id acutè, vt omnia, in difficili ſanè Poëta Sex. Propertio G. Canterus, & I. Paſſeratius, homines eruditiſsimi. Exemplis, age, rem repraeſentemus à Negantibus ducto initio.

P. Terentius, vt hinc auſpicemur, in Prologo:

Faciunt ne-intelligendo, vt nihil intelligant.

pro *nō intelligēdo*, vt *nefas*, *nefaſtus*, *nefrens*. Et ſi non me fugit alios *nae* pro *certè* paſſim interpretari. Maro Georgic. lib. III. v. 95.

Hunc quoque, vbi aut morbo grauis, aut iā ſegnior annis
Deficit, abde domo, nec-turpi ignoſce ſenectae.

Generoſo equo, qui Olympia ſaepè vicerit, ignoſcendum ait in aetate ſenili, *nec-turpi*, hoc eſt non ignobili aetate aut ingloriae: itaque Seruius ibidē: vt locus correctione cuiuſquam, vt Aurati & Canteri, non indigeat.

Catullus in Pelei Epithalamio:

Funera Cecropiae nec-funera portarentur.

Id eſt, corpora mox peritura & adhuc viua ferrentur. Graeci ita frequenter, Sophocles quidem ἐχθρῶν ἄδωρα δῶρα: & in Electra idem μήτηρ ἀμήτωρ, Αχαρις χάρις. χάρις βραδύπους Euripidi in Hecuba νύμφην ἄνυμφον, παρθένον ἀπάρθενον.

θενον. Item ἄγαμοι γάμοι, quod Ennius dixit *innuptas nuptias*, qui & *Mentes dementes* alibi. τάφον ἄταφον, quod prima Philipp. *Inſepultam ſepulturam*. Horatio vero *inſaniens ſapiētia* Oda XXXIII. lib. I. & in M. Plauti Epitaphio apud Agellium lib. I. cap. 24. *Numeri innumeri*. Propertio id eſt frequens admodum lib. II. Elegia XXX.

Quae non-iure vado Maeandri iacta nataſti.

hoc eſt, fiſtula immeritò abiecta à Minerua in Maeandrum fluuium. Venio ad aientia cum particulis *Semper*, *Nunc*, *Ante*, ac ſimilibus. *Nunc-Dea* Tibullo li. I. Eleg. III. Propertio & Lucano *Iſis* dicta, quaſi recens tũ Diuis eſſet adſcripta,

Euoluam buſto iam-numen gentibus Iſin

Propertius lib. II. Eleg. XXVIII:

Io verſa caput primos mugiuerat annos:
Nunc-Dea, quae Nili flumina vacca bibit.

T. Lucretio *ſemper-florētis Homeri*, lib. I. vt Maroni *Semper-Deus* in Bucol. ἀείθεος. eidemque *Ante-malorum* I. Æneid. quod & in Gloſſariis repertum. Terentio in Andria *Semper-lenitas*:

Heri ſemper-lenitas mirabar quorſum euaderet.

Propertio nihil his eſt vſitatius: *Semper-amor*, *amans*, *-amicitiae*, *-furor*, *-lentus*, *-opus*, *-viue*, *-cupidus*, & id genus alia, quae non colligo. Vt Appuleius Flo. III. *Semper-amorũ* dixit, & Naſo IV. Faſt. *Semper-parens*. Rurſum *Semper-aquas*, pro perēnibus, idē Propertius, Graecorũ haec exēplo, qui cōponunt feliciter ἀειλαλὸς, ἀειλαμπὲς, ἀείμνηστος, ἀείῤῥους, ἀείφυλλος. Et Dion Caſſius, ἀειπαρθένους ἑστιάδας Veſtales perpetuas virgines, vt hodieq; Eccleſia Catholica Deiparā ἀειπάρθενον *ſemper-Virginem* venerans meritò appellat, & θεοτόκον,

CAP. XVIII.

Clodij Praetura. Boues Lucæ, *elephanti. Gloſſema in Oratione* Cic. *pro Domo Sublatum, Lactantius, & Claudianus Mamercus emendati.*

Locvs Oratione pro Domo interpretes torſit haud dubie, ſed ſilētio diſſimulare, vt fit, ac praeterire, quàm ignorantiam profiteri maluerūt. Ecquis enim quod ignorat explanauerit? In eius Orationis parte extrema P. Clodij hominis flagitioſi, vt alibi ſaepè, vitam moreſque dum Orator recenſet; rurſum ille nobis ad partes vocandus eſt. Verba itaque apponere non pigebit: *Is poſtquam intellexit, poſſe ſe interuerſa AEdilitate à L. Piſone Conſule Praetorem renunciari, ſi modò eadem prima littera competitorem habuiſſet aliquem; AEdilitatem duobus in locis, partim in arca, partim in hortis ſuis collocauit.* Interrogatus aliquando ab eruditiſſimo amico ac diligēti Ciceronis lectore, quae haec tandem *prima littera* eſſet ἀνυικτηρίως dicta. De plano reſpondere vt non debui, ſic nolui; Non enim, vt ille aiebat, è numero ſumus vomentium; nam & Lambinum, hominem doctiſſimum hic ne haeſitaſſe quidem, verbumque nullum commutaſſe cetera non indiligentem video. οὐδὲ γρὺ γάρ. Alterum verò Dionyſium Gallū, edito Ciceronis contextu, addita Synopſi, & Pandectis Iuris egregiè illu-

illuſtratis, ad oram ſcripſiſſe video *præmaturi: talem competitorem*: quod quale ſit equidem non diuino, niſi, vt ſuſpicor, operarum culpâ mendum eſt, locumque obſcurat magis. Quid Manutius? Thomas enim Freigius Germanus, piſce & hic magis mutus eſt. Paullus verò, quid verba ſonent, ſic nos edocet, nodũ tamen non expedit; de mendo autem ne ſuſpicatur quidem: *Vt reliquae*, inquit, *nominis litterae*, *prima tantùm incolumi, corrumpi mutarique non poſſent*. Hoccine vulnus ſanare eſt? aut obſcuris lucem adferre? imo obſcurare id eſt potius. Proponam, pace lectoris, in mentem quod venit, dum locum otioſus expendo, eò nimirum inclinante tandem animo, vt aut duo illa verba *prima littera* furcis eiiciantur, fodianturue; aut certè ſi obtorto collo retinenda, atque emendanda ſunt, *Praetura* pro his ſubiiciatur. Sic enim planus euadet locus, minimeque impeditus. Haec mea mens. Plures tamen coniecturas adferre, quando libris ſcriptis ac membranis hic deſtituimur, quid prohibet, parua temporis & chartae iactura? Fuit cum ſcripſiſſe CICERONEM hic opinarer *priua lege*. *L.* enim pro *lege* antiquitus ſcriptum Val. Probus in Notis auctor eſt. *Priua* autem *lex*, quod hodie *Priuilegium* nominamus, *praerogatiuam* CICERO. Quid ſi reponas *eadem primo licentia?* Vel ſic: *ſi modo ea ademta alterum competitorem habuiſſet*. Sed verum vt fatear hariolari hoc eſt, ac diuinare. Placet, quod iam ſubieci *τὸ Praetura* reponi: nato, vt ſuſpicor, mendo, è compendiis, notiſque. Repperit forte librarius PR.ra vel *pr. trã*, quarum priora

elementa

elementa *Praetorem* deſignant, ſcriba imperitus cudit *prima littera.* hinc illæ lacrymae. His ſi quis meliora,certioraque protulerit,tantùm abeſt vt inuideã, vt etiam gratiam ſim habiturus maximam. Coronidis vice illud addam è Dialogo de Senectute, quo M. Cato Cenſorius praedicat *adoleſcentem ſe nunquam vires tauri aut elephanti deſideraſſe.* quem locum expreſſit forte Lactantius Firmianus,Chriſtianorum Cicero, lib. de opificio Dei cap. III: *Poteſt-ne igitur aliquis, cùm videat etiam boues Lucas cum immaniſſimis corporibus ſeruire homini, queri & de opifice Deo,* vbi *vaccas* pro *Lucas* vitioſè olim editũ fuiſſe,etiam in Mich. Thomaſij editione,obſeruo. Claudianus quoque Mamercus, Viennenſium Galliæ ſacerdos, lib. II. de ſtatu animae cap. IX. ex B. Ambroſio, quantum coniicio: *Nec iniuria genus humanum naturam incuſabit, quae tanto maiores hominibus belluas & boues Lucas edidit, eo videlicet beatiores, quo capaciores.* Sic enim in optimis & antiquiſsimis membranis, quibuſcum in Neruiis hunc in Martiniana bibliotheca contuli. alter enim codex *Lucas* malè omittebat. Sic enim dicti elephanti, teſte Varrone lib. VI. de lingua Lat. quod in Lucania Pyrrhi bello primum, ſint viſi. Meminitque Plinius lib. VIII. cap. VI. & Auſonius Gallus Tetradio:

Cur me propinquum Santonorum moenibus
Declinas, vt Lucas boues
Olim reſumto praeferoces praelio
Fugit iuuentus Romula.

CAP.

CAP. XIX.

Mos vetus explicatur. CICERO I. *de Oratore & II. de Legibus è Lyſia & Platone illuſtratus.*

CIC. I. de Oratore ad Q. Fratrem: *Erat Athenis mos, reo damnato, ſi fraus capitalis non eſſet, quaſi poenae aeſtimatio ex ſententia cum Iudicibus daretur; interrogabatur reus, quam quaſi aeſtimationem commeruiſſe maximè ſe confiteretur. Quod interrogatus Socrates, reſpondit ſeſe meruiſſe, vt ampliſſimis honoribus & praemijs decoraretur: & vt ei victus quotidianus in Prytanaeo publicè praeberetur: qui honos apud Graecos maximus habebatur. Cuius reſponſo ſic iudices exarſerunt, vt capitis hominem innocentiſſimum condemnarint.* Quae ſic Laërtius lib. II. extulit: Τιμωμένων τῶν δικαστῶν τί χρὴ παθεῖν αὐτὸν ἢ ἀποτίσαι, πέντε καὶ εἴκοσιν ἔφη δραχμὰς ἀποτίσειν. Εὐβουλίδης μὲν γάρ φησιν ἑκατὸν ὁμολογῆσαι. θορυβησάντων δὲ τῶν δικαστῶν, Ἕνεκα μὲν (εἶπε) τῶν ἐμοὶ διαπεπραγμένων τιμῶμαι τὴν δίκην τῆς ἐν πρυτανείῳ σιτήσεως. καὶ οἱ θάνατον αὐτοῦ κατέγνωσαν, προσθέντες ἄλλας ψήφους ὀγδοήκοντα. καὶ δεθεὶς, μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας ἔπιε τὸ κώνειον; πολλὰ καλὰ κἀγαθὰ διαλεχθεὶς, ἃ Πλάτων ἐν τῷ Φαίδωνί φησιν. Mos hic Athenienſium reo arbitrium in iudiciis deferentium, vt ſententiam ipſe ferret, poenamque arbitratu ſuo ſibi conſtitueret. Lyſias vnus in decem

Graeciae oratoribus, in Apologia pro Euphileto in caede Eratoſthenis ſic tangit: Ἐγὼ δὲ τῷ μὲν ἐκείνου τιμήματι οὐ συνεχώρουν, τὸν δὲ τῆς πόλεως νόμον ἠξίουν εἶναι κυριώτερον, καὶ ταύτην ἔλαβον τὴν δίκην, ἣν ὑμεῖς δικαιοτάτην εἶναι ἡγησάμενοι τοῖς τὰ τοιαῦτα ἐπιτηδεύουσιν ἐτάξατε. *Ego vero neglecta eius exiſtimatione ciuitatis legem potiorem duxi, & illud ſupplicium ſumſi, quod vos aequiſsimum eſſe arbitrati, in eos qui talia agunt, conſtituiſtis.*

Alter item mos ſupplicum in foco Veſtae ſacro veniam expoſcendi, ab eodem Lyſia ſic in ea ipſa Apologia refertur: οὕτως, ὦ ἄνδρες, ἐκεῖνος τούτων ἔτυχεν ὥσπερ καὶ νόμοι κελεύουσι τοὺς τὰ τοιαῦτα πράττοντας: οὐκ εἰσαρπασθεὶς ἐκ τῆς ὁδοῦ, οὐδ᾽ ἐπὶ τὴν ἑστίαν καταφυγών, ὥσπερ οὗτοι λέγουσι. *Sic ille, Athenienſes, ea pertulit, quae leges iſtorum flagitiorum auctores ferre voluerunt: non de via raptus in aedes, neque cum ad focum confugiſſet, vt iſti dicunt.* Quae poſtrema ſi ſic legas ὥσπερ λέγουσι, Prouerbium *Ad Veſtæ confugere* reſpexerit. Cuius ſupplicũ moris καθίζεσθαι ἐπὶ τὴν ἑστίαν exemplum memorabile Themiſtoclis in Admeti focum cum filio ſe recipientis apud Thucydidem eſt lib. I. Belli Peloponneſiaci, additque: ἀνίστησί τε αὐτὸν μετὰ τοῦ ἑαυτοῦ υἱέος, ὥσπερ καὶ ἔχων αὐτὸν ἐκαθέζετο, καὶ μέγιστον ἦν ἱκέτευμα τοῦτο. Pertinet huc quoque lex illa CICERONIS lib. II. de Legibus: *Terra igitur, vt focus, domiciliorum omnium ſacrum Deorum. Quocirca nequis iterum idem conſecrato.* Quae interpretatus eſt CICERO ex Platone XII. de legibus: γῆ μὲν οὖν ἑστία τε οἰκήτεος ἱερὰ καθιερούτω θεοῖς.

CAP.

CAP XX.

Conſilio regere. *Recepta Tullij lectio defenſa.*

TRIA potiſſimum cùm in rebus humanis, tum in Hiſtoria legēda conſideranda ſunt, quæ dux vitæ, morumque magiſtra merito nūcupatur: *Conſilia* nimirum, *dicta & facta*. Illa tempore priora ſunt, *Facta* autem poſtrema ſunt; è quibus de illis ſit exiſtimandum. Vtque *Dicta* ſcite & acute Apophthegmata; ſic in bello callide & opportune geſta, *Strategemata* appellata. De his M. Terentius Varro togatorum doctiſſimus, lib. VI. de lingua Lat. *Actionum trium primus agitatus mentis, quod primum ea quae ſumus acturi, cogitare debemus: deinde hinc dicere, ac facere. De his tribus minime putat vulgus eſſe actionem cogitationem: tertium, in quo quid facimus, maximum.* Coniunxit eadem in Cn. Pompeij laudatione extrema CICERO, *Talis*, inquit, *eſt vir, vt nulla res tanta ſit ac tam difficilis, quam ille non & conſilio regere, & integritate tueri, & virtute conficere poſſit*. Imperitè autem fecerunt, qui in nuperis editionibus *conſilio haerere*, contra librorum veterum auctoritatem, ſubſtituere non ſunt veriti. Duo enim orator coniungit *conſilia dictaque*: quod inuicem conſequantur. quandoquidem mētis rationiſque interpres oratio eſt, vt initio περὶ ἑρμηνείας tradit Ariſtoteles. Graecus quoque orator Olynthiaca III. duas quidem hominum actiones com-

commemorat, *dicere & facere*, vt *Conſilia dictis* comprehendiſſe videatur: τὸ γὰρ πράττειν τοῦ λέγειν καὶ χειροτονεῖν, ὕστερον ὂν τῇ τάξει, πρότερον τῇ δυνάμει καὶ κρεῖττόν ἐστιν. *Regere* autem in CICERONE retinendum eſſe ſuadet Maro de ſapiente ac diſerto viro, qui ſedare ſeditiones norit:

Ille regit dictis animos & pectora mulcet.

Comicus etiam in Eunucho:

Quæ res in ſe neque conſilium neque modum
Habet vllum, eam conſilio regere non potes.

CAP. XXI.

Vltima & media terrae. Nec volá nec veſtigium, *Varronianum Prouerbium.* CICERONIS *in Maniliana vnus & item alter locus explicatus.*

IN Cn. Pompeii laudibus belli gerendi laudata celeritas eſt, qua intra diem quadrageſimum, vel, vt CICERO numerat, vndequinquageſimum, piraticum bellum genere neceſſariũ, & magnitudine periculoſum, poſt tres ipſos & viginti annos ab aliis ducibus geſtum, confecit: *Non illum,* inquit M. TVLLIVS, *eximia vis remigum, aut ars inaudita quaedam gubernandi, aut venti aliqui noui, tàm celeriter in vltimas terras pertulerunt.* Et poſt nõ longè: *Cretenſium Legati, cum in ea inſula noſter imperator exercituſque eſſet, ad Cn. Pompeium in vltimas propè terras venerunt, eique ſe omnium Cretenſium ciuitates velle dedere dixerunt.*

Hanc

Hanc idem ſupra Orator inſulam *Pamphyliam* nominauit, vbi tum confecto bello maritimo piratiſque à mari in interiora Ciliciae traductis, Pompeius agebat: *Idem*, inquit, *Cretenſibus, cùm ad eum vſque in Pamphyliam legatos, deprecatoreſque miſiſſent, ſpem deditionis non ademit, obſideſque imperauit*. Quas hic itaque *vltimas terras* nominet quaeri video, quando magnum hic interpretum eſt ſilentium. *Pamphyliam* ergò, & *Aſiam minorem* accipio. Sic enim in Catilinaria coniuratione Salluſtius: *Catilina opprimendae Reip. conſilium capit. In Italia nullus exercitus: Cn. Pompeius in extremis terris bellum gerebat. Ipſi Conſulatum petendi magna ſpes.* Subiicit verò geſtum id anno poſt Rō. cond. IↃCXXCIX. L. Caeſar. C. Figulo Coſſ. qui in Faſtis Capitolinis nominantur C. Marcius Figulus, C. Iulius Caeſar. At alibi *medias* eas *terras*, Orator, vt & Plinius, ac Florus, appellat. Qui nodus in ſpeciem impeditus ſic expediri, temporum habita ratione, poſſit. Haec enim Maniliana à Praetore Cic. habita eſt M. Æmilio Lepido, L. Volcatio Tullo Coſſ. anno IↃCXXCVII. decimo verò pòſt anno habita eſt ea de Prouinciis Conſularibus Oratio, Cn. Corn. Lentulo Marcellino, L. Marcio Philippo Coſſ. anno IↃCXCVII. poſt confectum iam à Pompeio bellum. Deuicto enim Mithridate, & Tigrane Regibus, *media* iam Romanis *regio* fuit *Aſia minor*: *vltima* verò Pontus & Armenia ad Eufratem vſque, Romani imperij terminum. In hac CICERONIS verba ſunt: *Nationes eas quae numero hominum & multitudine ipſa poterant in prouincias noſtras redundare, iam ab eodem*

eſſe partim reciſas, partim repreſſas, vt Aſia, quae imperium noſtrum terminabat, nunc nouis tribus prouincijs ipſa cingatur. Plinius autem lib. VII. cap. XXVI. in Pompeij elogio eum ait Aſiam vltimā prouinciarum accepiſſe, eandemque mediam patriae reddidiſſe. Et L. Florus, ſiue is L. Annaeus Seneca eſt, lib. III. de bello agens Mithridatico: *Sic Pompeio duce populus Rom. totam, quà latiſſima eſt, Aſiam peruagatur, quam extremam imperij habebant prouinciam, mediam fecit*. M. itaque Tullius tempori commodam rationem attulit, Aſiamque minorem vltimam numerat, quae poſt geſto, confectoque à Pompeio piratico Mithridaticoque bellis, media facta eſt. Legitur & in eadem illa Maniliana, de diſciplina militari Pompeij: *Cuius legiones ſic in Aſiam peruenerunt, vt non modò manus tanti exercitus, ſed ne veſtigium quidem cuiquam pacato nocuiſſe dicatur*. Prouerbium illud M. Varroni familiare reſpexiſſe apparet. Sic enim ille apud Nonium Marcellum in Satyra Menippaea ταφῇ Μενίππȣ: *Hac Numa Pompilius fieri ſi viderit, ſciet ſuorum inſtitutorum nec volam, nec veſtigium apparere*. Et Ἐπιταφίῳ: *Quoniam in ſepulcris nec vola, nec veſtigium exſtat*.

CAP.

CAP. XXII.

Belli impetus nauigauit, Ventorum pennae, & nauium volatus. CICERO in *Maniliana è Demoſthene, aliiſque illuſtratus.*

QVOD Graeciae Oratorum Princeps Demoſthenes Olynthiaca dixit: ὅπως ἀσφαλῶς ἡ δύναμις πλέῃ: noſter eſt imitatus in ea pro lege Manilia, cùm *belli impetum nauigaſſe* ait: *Quis vnquam aut obeundi negotij, aut conſequendi quaeſtus ſtudio tam breui tempore tot locos adire, tantos curſus conficere potuit, quam celeriter Cn. Pompeio duce belli impetus nauigauit?* Sic & in Phaſelo Valerius Catullus, pro velocitate curſus *Impetum*, aliique Poëtae in re potiſſimum nauali adhibent:

Phaſelus ille, quem videtis, hoſpites,
Ait fuiſſe nauium celerrimus,
Neque vllius natantis impetum trabis
Nequiſſe praeterire, ſiue palmulis
Opus foret volare, ſiue linteo.

Et illo antiquior Ennius, XIV. Annali, apud Macrobium.

Labitur vncta carina, volat ſuper impetus vndas.

Et huius viciſſim aemulus Maro, lib. V. Æneid.

——Sic illam fert impetus ipſe volantem.

Claudianus quoque venuſtus poëta, in Conſulatum vt. Honorij v. 475. de Graecis equis Zephyro velocioribus:

Quorum, ſi qua fides, augentibus omnia Muſis,
Impetus exceſſit Zephyros, candorque pruinas.

Volare ergò iidem poëtae dixerunt: vt & ventis pennas ſacrae litterae attribuunt: Pſalm. XVII. v. 12. & Pſalm. 4. Et aui volanti panſis velis nauem currentem comparari, à Graecis etiam plurimis *currum* nominari, nemini nunc poteſt eſſe ignotum. Virgil. lib. III. Æneid.

Linquimus Ortygiae portus, pelagoque volamus.

Furius Antias Poëmatis:

Sicut fulca leuis volitat ſuper aequora claſſis.

CICERO itidem ac T. Lucretius *coeli impetum* pro coelerrimo coeli motu dixerunt. Ventos quoque *animas* Arnobius dixit lib. I. & Maro lib. VIII. v. 403.

Quantum ignes, animaeque volant——

Nauium autem formam, atque adeò nomē, ab auibus ductą eſſe eruditi quidam homines arbitrantur. Velis enim, remiſque alarum loco, quaſi auis ad volatum impellitur nauis. Indéque Scriptores dixerunt *nauem volare*. Contrà verò auibus *Remigium alarum* Maro attribuit. Equidem de Graecis deriuare fontibus malim, quibus ναῦς eſt *Nauis*. & ναυίτης, qui *nauita*, & conciſè *nauta* eſt.

CAP.

CAP. XXIII.

Falcidia lex. CICERONIS *locus illuſtratus. Gloſſema in Euſebij Chronico ſublatum.*

IN Maniliana M. TVLLIVS Q. Hortenſium, Q. Catulum viros Conſulares reprehendit, quòd legi Gabiniae, vt nunc Maniliae, ne ferretur, repugnarint. Quarum illa quidem de Cn. Pompeio belli piratici, haec verò belli regij & Aſiatici cum Mithridate & Tigrane, deligendo Imperatore agebat. *Quo mihi*, inquit, *indignius videtur obtrectatum eſſe adhuc, Gabinione dicam an Pompeio, an vtrique, id quod eſt verius, ne legaretur A. Gabinius, Pompeio expetenti ac poſtulanti.* CICERO id non nouo exemplo factum iri, vt A. Gabinius legis auctor Pompeij legatus, quod legibus vetitum apparet, fieret. Idque exemplo cõfirmat quattuor Tribunorum plebis, quibus idem licuit. Sic enim CICERO: *An C. Falcidius, Q. Metellus, Q. Coelius Latinienſis, Cn. Lentulus, quos omnes honoris cauſſa nomino, cùm Tribuni pl. fuiſſent, anno proximo legati eſſe potuerunt.* Vidi ego, qui cùm legibus leuiter tinctus eſſet, haec M. TVLLII ad *Falcidiam legem* obtorto collo raperet. Quare vindicias ſecundum libertatem à Praetore poſtulo. Nam quamuis tempora non pugnent, prohibéntue quò minus vnus idemque *Falcidius* eſſe potuiſſet CICERONIS aequalis eſt auctor legis *Falcidiae*

ſub Auguſto latae, verba tamen maximè pugnant. Hic enim legatus, qui vicariam operam profectis in prouinciam Praefectis praeberet, dictus eſt: alias *legatus*, qui & Orator nominatus, legationeſque obit. At in *Falcidia lege de teſtamento legatis* agitur, non à falco deriuata, vt quidam ſomniant, appellatione, ſed à C. *Falcidio*; cuius quidem legis caput ex antiquiſſimis membranis Chronicorum Euſebij, B. Hieronymo interprete, gloſſematis expunctis apponam: C. *Falcidius Trib. pl. Legem tulit, nequis plus teſtamento legaret, quam quanta pars hereditatis ſupereſſet*. In iis enim qui in vulgus editi circumferuntur codicibus, multa falsò adiecta ex Nouella Iuſtiniani Imp. Itaque legitur in Iſidoro, qui haec tranſſcripta retulit in librum v. Etymolog. cap. xv. Integrum autem caput legis Falcidiae Tit. Πανδεκτῶν *Ad L. Falcidiam* exhibet, quique de Legibus noſtra, patrumque memoria ſcripſere, Zazius, Manutius, Hotmanus, & Iuriſ-prudentiae princeps Ant. Auguſtinus.

CAP. XXIV.

Aries ſubiicitur. CICERO *in Topicis contra aliorum ſententiam explicatus.*

M. CICERO in Topicis de Cauſſarum generibus: *Ea quae fiunt, partim ſunt ignorata, partim voluntaria. Ignorata, quae neceſſitate effecta ſunt: voluntaria, quae conſilio. Quaedam autem fortuna vel ignorata, vel voluntaria. Nam iacere telum voluntatis*

intatis eſt: ferire quem volueris, fortunae, *Ex quo aries ?le ſubiicitur in veſtris Actionibus:* SI TELVM MA-?V FVGIT *magis quam* IECIT. Torſit hic ?on iniuria locus Luſitanos duos, in his Ant. Goueanum Iure-conſultum, & Achillem Sta-?ium; item Bart. Latomum Belgam. Machinam enim bellicam accipiunt, quae ab arietis figura nomen habeat, tralatè pro validiſsima defenſione ad oppugnādum iudicem. Atqui aries non defenſioni, vt baliſta, ſed Vrbium oppugnationi adhibitus, quo portae & muri, vt aeneis hodie tormentis, quatiebantur. Non rectè igitur pro defenſione ſumas. Decepti, credo, magni illi viri Boëthij Seuerini auctoritate, qui multa de Caſu & Fortuna ex Ariſtotelis Acroamatis lib. II. philoſophatus haec adfert lib. V. extremo: *Vnde etiam machinamentum quoddam atque defenſio in iuriſ-peritorum reſponſionibus inuenitur, hoc modo:* SI TELVM MANV FVGIT, *magis quam* IECIT. *Nam ſiquis caedis accuſetur, optima ſolet eſſe defenſio: ſi alia non ſuppetit fugiſſe, manu telum, magis quam iacere noluiſſe: at non voluntati, quae condemnatur in culpis, ſed ignorantiae factum tribuatur.* Sic ille. Verum mihi longè alia mens, quam erudito lectori diiudicandam propono, etſi per ſe veritas ipſa exſiſtat: vt planè *ſubiici aries* dicatur, veluti pro caede victima ad expiandum, more maiorum, Athenienſium praeſertim, mox etiam Romanorum, qui à Graecis Actiones & Cauſſas pleraſque, potiſsimùm quae ad caerimonias attinerent, acceperunt. Nam de Oreſte ſeipſum expiante, Æſchylus ait, & in reliquis illis Sex.

Pompeij Feſti fragmentis ſic legi docuit Ant. Auguſtinus, quem honoris cauſſa libenter nomino: *Subiicere arietem*: *In Commentario* XV. *Iuris Pontificij*, *Antiſtius eſſe ait dare arietem, qui pro ſe agatur, vt caedatur*. Et alibi: *Subiici aries dicitur, qui agitur vt caedatur: quod fit vt ait Cincius in libro de Officio Iuriſ-conſulti, exemplo Athenienſium, apud quos expiandi gratia aries iungitur ab eo qui ſcelus admiſit, poenae pendendae loco*. Et in Seruio Pet. Danielis hoc Numae Pompilij Regis caput legitur:

SEI QVIS HOMINEM LIBERVM IMPRVDENS
SEI DOLO MALO OCCISIT
PRO CAPITE OCCISEI ET NATEIS EIVS
IN CONCIONE ARIETEM SVBICITO.

Eodem reſpexit Q. Horatius Epod. v.

Diris agam vos: dira deteſtatio
Nulla expiatur victima.

De re ipſa quid alibi adhuc CICERO cenſeat, videndum. De Oratore lib. III. *Nonnumquam breuitas tranſlatione conficitur; vt illud*: SI TELVM MANV FVGIT, *imprudentia teli emiſſi breuius proprijs verbis exponi non potuit*. Et lib. II. *Iure defendi ſcribit, quae & imprudentia & caſu facta dicantur*. Solon quoque legiſlator bis puniebat eos qui ſe ebrietate deliquiſſe dicerent. Huc etiam forte pertineat Adraſti factũ illud apud Herodotum lib. I. & Lucianum in Ioue accuſato: quo filium Croeſi in venatione imprudens ille cum occidiſſet, expiare ſe coactus ſit. Ceterum in illis Topicorum verbis, vt multa à librariis peccantur, pro illis, *Ferire quem volueris*, reponi malim *nolueris*. Aſſentietur qui locum expenderit.

CAP. XXV.

Strategema Mithridatis. CICERO *in Maniliana illuſtratus. Fibri natura quae.*

MITHRIDATES Ponti rex, à L. Lucullo praelio victus, dum in Armeniam ad Tigranem fugit, ſiue ſocerum, vt Appianus Mithridatico, ſiue generum, vt Plutarchus in Lucullo, propius factum eſt nihil, quàm vt caperetur, viuuſque veniret in Rom. poteſtatem, abſque auaritia militum fuiſſet, qui, dum ſparſam de induſtria auri argentique magnam vim colligunt, interea ipſe dilabitur, ſaluuſque euaſit. Sed M. TVLLII id verbis potiùs audiamus: *Primùm ex ſuo regno Mithridates ſic profugit, vt ex eodem Ponto Medea illa quondam profugiſſe dicitur; quam praedicant in fuga fratris ſui Abſyrti membra in his locis, qua ſe parens perſequeretur, diſſipauiſſe, vt eorum collectio diſperſa maerorque patrius celeritatem perſequendi retardaret.* Quibus in verbis reſpexiſſe M. Tullium obſeruaui ad veteris poëtae hac ipſa de re verſus ab illo allatos lib. III. de Natura Deorum;

Vt dum nati diſſipatos artus captaret parens,
Ipſa interea effugeret, illum & moeror tardaret ſequi.

Naſo verò qui VII. Metam. fabulam Medeæ narrat, ſic breuius lib. III. Triſtium Eleg. IX.

Atque ea diuellit, diuulſaque membra per agros,
Diſſipat in multis inuenienda locis.
Neu pater ignoret, ſcopulo proponit in alto

Pallenteſque manus ſanguineumque caput.
Vt genitor luctuque nouo tardetur, & artus
Dum legit exſtinctos triſte retardet iter.

Didicerat fortaſſe hunc actum ab eiuſdem Ponti animante fibro, vel Caſtore: qui vt venatorum manus & iacula effugiat, vltro ſibi dentibus pudenda reſecat, ob quae ſe capi & quaeri nouit. Sunt enim in re medica ſalubria, vt medicorum filij, & hiſtorici φυζικοὶ norunt, de quo Iuuenalis Sat. XII.

——imitatus Caſtora, qui ſe
Eunuchum ipſe facit, cupiens euadere damno
Teſticulorum, adeo medicatum intelligit inguen.

Plura ſiquis volet, adeat Plinium lib. VIII. & XXX. item XXXII. cap. III. Apuleium lib. I. & V. Mileſiarum. Oppianum, Feſtum Pompeium, Iſidorum. lib. XII. cap. I. Strabonem, Aelianum lib. VI. cap. XXXIII. Ammianum lib. XVII. Horapollinem, Olaum magnum lib. XVIII. cap. V. (qui ait & in Septemtrionalibus regionibus non in Ponto ſolùm, contra Solinum, Caſtores reperiri;) Franciſcum Valeſium de ſacra Philoſoph. ca. III. Iulium Scaligerum exotericõn, CCX. contra Cardanum & Exercit. CCXI. alioſque: Dioſcorides tamẽ, & alij nonnulli negant: ſed euincat tot auctorum auctoritas. Non diſſimilia de Scythis & Hircanis Ponti accolis in Tigrium venatione tradit Mela Pomponius lib. III. cap. V.

AN-

AND. SCHOTTI

NODORVM CICERONIS

LIBER II.

CICERONIS *Officia illuſtrata. Mendum à coniectura & Hiſtoriae fide ſublatum.*

CAPVT I.

CICERONEM multa à Terentio mutuatum notarunt pridem eruditi viri; equidem obſeruaui, & aliter atque vulgò ſolet, eum adhibere conſueuiſſe: vt illud, longe abeam, ex ea fabula, qua Menedemus ſe ipſe puniens inducitur (ſic enim Tul. III. vertit Orator Graecam vocem ἑαυτὸν τιμωρούμενον; Comicus vero:

An cuiquam eſt vſus homini ſe vt cruciet?)

CICERO I. Offic. de Iuſtitia agens: *Eſt difficilis cura rerum alienarum; quanquam Terentianus ille Chremes humani nihil à ſe alienum putet.* Rectè vero accommodatè Comicus:

Chreme tantúmne eſt abs re tua otij tibi,
Aliena vt cures, eaque nihil quae ad te attinent?
Homo ſum, humani nihil à me alienum puto;
Vel me monere hoc, vel percontari puta:

Rectum

Rectum eſt? Ego vt faciam: non; vt deterream. Sic enim poſteriora illa interpungenda cenſuit doctiſſimus Hieronymus Surita, Caeſaraugustanus. Vulgò autẽ Prouerbij ſpecie aliter paullo hanc γνώμην vſurpamus, quaſi cuiuis nos vitio hominum more obnoxios fateamur. Ita pòſt non longo interuallo ex eadem Comoedia illud paullò aliter CICERO adfert, ſiue memoriae plus aequo confiſus, ſiue quòd ad manum Comicus non eſſet; *Summum ius, ſumma iniuria, factum eſt iam tritum ſermone Prouerbium.* At Terentius ait: *Verum illud Chreme dicunt, Summum ius, ſumma malitia eſt.* Columella verò Hiſpanus, ſed Latinitatis & ille auctor bonus, lib. I. Rei ruſticae aliter paullò detorſit: *Summum ius ſumma crux.* Nec longè hinc Orator, loco tamen, vt opinor, à librariis deprauato: *Pompilius imperator tenebat prouinciam. In eius exercitu Catonis filius tiro militabat.* qui III. Coſſ. an. v.c. CIƆIII. Gallos cecidit. Niſi error in hiſtoria eſt, aut μνημονικὸν ἁμάρτημα, aliud hic apud CICERONEM reponendum eſt. Lambinus, M. Popilius legit, vt de Popilio Laenate, quem ſcriptor Rhetoricorum ad Herennium lib. I. extremo Caij praenomine vocat, intelligatúr: at Plutarchus, qui è CICERONE haec, vt pleraque deſumpſit, in Catone minore bello Perſico militaſſe Catonis maioris filium ait, natu ſcilicet maiorem: qui Praetor deſignatus, patre viuo ſit mortuus; & egregios de Iuris diſciplina libros reliquit teſte Agellio lib. XIII. cap. XVIII. Perſicum autem ſeu

[M]acedonicum bellum geſtum fuit anno poſt [V]. C. ɪↄxxcv. quo Perſeus rex, Philippi [F]. Paullo Æmilio Conſ. captus eſt. Eâdem [te]mpeſtate Conſules quidem in Capitolinis [t]abulis; anno v. c. ɪↄʟxxx. M. Popillius [L]aenas, & P. Ælius Ligus. Malim itaque hic [le]gi: ſi mei arbitrij res eſſet, *Paullus Æmilius*, [n]on *Pompilius*. Nam mendum ex compen[d]iis; vt ſit, natum. Scriptum enim reppe[ri]t librarius. *Pau-AEmilius*: vnde factum *Pomlius*; vel *Popilius*. Si victus Popilius, quo[m]odo legionem dimiſit, quaſi finito bello [h]oneſta miſſione? Sequentia oſtendunt Ci[c]eronem de Perſeo loqui. Mox non lon[g]è: *Adeo ſumma obſeruatio erat in bello mouendo.* [V]idetur τὸ *mouendo* à gloſſa eſſe. Tentarunt alij, [A]*deo ſancta obſeruatio*: offendit illos *adeò* particu[l]a, quæ cum ſuperlatione non iungitur. Sed [i]nterpungendum, & pro *ergò* interpretandum, [v]t ſit complexio vel Epiphonema, vt dicimus *[A]deo verum eſt*. Accedit librorum veterum autoritas, qui *adeo ſumma* ad vnum legunt [o]mnes.

CAP.

CAP. II.

Hortenſius CIC. *qui de laudibus eſt Philoſophiæ, fragmento nouo auctus.*

ANd. Patricius, Polonus, homo doctiſſimus operam praeclarè nauauit, cum poſt Car. Sigonium, bone Deus quem virum? non paucas naufragij Tulliani tabulas collegit. Quoniam autem neſcio quo modo hoc oculos vtriuſque fugit, quod CICERONIS tamen eſſe germanum liquido iurē, huic chartae illinere placet, vt in libros hinc ſuos, qui volet, transferat. Sic enim B. Auguſtinus lib. XIII. Ciuitatis Dei cap. V. *Ecce autem non philoſophi quidem, ſed promti tamen ad diſputandum homines, omnes aiunt eſſe beatos qui viuant vt ipſi velint. Falſum id quidem. Velle enim quod non deceat, id ipſum miſerrimum eſt: nec tam miſerum eſt non adipiſci quod velis, quàm adipiſci velle quod non oporteat. Plus enim mali praua voluntas adfert, quam fortuna quidquam boni.* Poſtremā nos ex eodem Auguſtino addimus ē libro *De vita beata*, vbi plenius idem fragmentum legitur. Quae qui ex Auguſtini ſenſu dicta exiſtimarunt, nae illi opinione ſua falſi ſunt: haerent enim atque connexa ſunt arctiſſimè. Certe ſanctiſſimus ille Theologus lib. I. Retract. dolet ſe fortunā, etſi verbis alienis, ſcriptis ſuis ſaepiùs inſeruiſſe quàm Chriſtianum hominem deceret, quaſi cum profano Philoſophorū vulgo *Fatum* aut *Fortunam* agnoſceret.

Illud

llud addam, concinnius legendum videri: *uam Fortuna cuiquam boni*, dandi caſu *cui-uam*. Antea vero malo, *id eſt ipſum miſerrimum*, adentibus numeris venuſtiùs, & ad CICE-ONIS morem accommodatiùs.

CAP. III.

De tollenda iracundia L. Senecae idem quod CICERONI *conſilium in mentem venire. Aureae Epiſtolae* I. *ad Q. Fratrem lux allata.*

VT de dolore minuendo multi Philoſophi multa, & in his M. TVLLIVS ea quam bi ſcripſerat ſed temporum iniuria interci-it, Conſolatione in morte filiae (quae enim odie circũfertur ficta eſt, vt & Orpheus Ve-etiis, nec ſatis CICERONE digna) ita & aria ab iiſdem ἀναςαλτικὰ τῆς ὀργῆς conſilia xcogitata: quod ea furor, tametſi breuis, at-ue inſania hominis extra ſe poſiti iudicetur. VLLIVS idem Q. Fratri, homini iracundo, :tera laude digniſſimo auctor exſtitit, vt ροαιρέζει, καὶ ὑπὸ τὴν ἑωθινὴν meditationem do-ianda aut certè refrenanda iracundia vtere-ır. L. vero Seneca, vt alia plurima, ſic & hoc b. III. de Ira cap. XXXVI. ab illo eſt mutuatus, d ἑσπερινῇ ſui exploratione remedium adhi-et. Suadet enim diuinitus, vt ſeipſum quiſque l veſperum quotidie exploret ad vnguem;
idque

idq́ue Sextij exemplo docet, atque adeò Pythagoreorum more itidem ſeruatum. CICERONIS haec ſunt in aurea illâ, ac benè longâ ad Q. Fratrem Epiſtola; qua de adminiſtranda Prouincia fratri Proprætori in Aſia (quem tamen Suetonius in Auguſto, cap. 3. eandem laudans Epiſtolam, *Proconſulem* nominat) vtilia vitae ac Reip. præcepta tradit: *Sed te illud admoneo, vt ſi hoc plene vitare non potes, quod antè occupatur animus ab iracundiâ, quam prouidere ratio potuit ne occuparetur; vt te ante compares, quotidieq́ue meditere, reſiſtendum eſſe iracundiæ.* Sapiens verò Philoſophus Seneca adhunc ferè modum: *Deſinet ira & erit moderatior, quæ ſciat ſibi quotidie ad Iudicem eſſe veniendum. Quid ergo pulchrius hac conſuetudine excutiendi totum diem?* Idem quoque Plutarchus Chaeronenſis Philoſophus cenſuit, ſuaſitq́ue Commentario de audiendis poëtis: ἐπεὶ καὶ μεγάλου δοκοῦντος εἶναι καὶ ὄντος τοῦ κρατεῖν ὀργῆς, μεῖζόν ἐστιν ἡ φυλακὴ καὶ ἡ πρόνοια τοῦ μὴ περιπεσεῖν ὀργῇ, μηδὲ ἁλῶναι. Et paulò poſt. τὸ γὰρ ἐπισφαλῶς πρὸς ὀργὴν ἔχοντα, καὶ φύσει τραχὺν ὄντα καὶ θυμοειδῆ, μὴ λανθάνειν ἑαυτὸν, ἀλλ' ἐξευλαβεῖσθαι, καὶ φυλάττεσθαι τὰς αἰτίας, καὶ προκαταλαμβάνειν τῷ λογισμῷ πόῤῥωθεν, ὅπως οὐδὲ ἄκων τῷ πάθει περιπεσῆται, θαυμαστῆς ἐστι προνοίας. Quae etſi exemplis Achillis atque Vlyſſis illuſtret, nos Athenodori Philoſophi, Octauiani Caeſaris magiſtri verba in memoriam reuocemus: qui miſſionem flagitans, extremam hanc ei admonitionem ſuggeſſit: *Cùm iratus, Caeſar, fueris, nihil prius dixeris, feceriſve, quam quattuor & viginti Alphabeti litteras tecum ipſe percurreris.* quo audito

Caeſar

ſar manum praeceptori iniecit, alterum apud ſe annum manere iuſsit, docens τῆς ς ἀκίνδυνον γέρας εἶναι. Quo & Flaccus re- ;it, lib. III. Carm.

ſt & fideli tuta ſilentio
[m]erces——

Theodoſio quoque Aug. Sex Aurelius Vi- noſter: *Habuit*, inquit, *à naturae munere, quod ſtus à Philoſophiæ doctore* (Athenodoro) *didice- ui cùm vidiſſet eum facile commoueri, ne aſperū quid eret, monuit vt vbi iraſci coepiſſet, quattuor atque ti Graecas litteras memoria recenſeret: vt illa con- io, quae momenti eſt, mente alio traducta parui tem- interiectu langueſceret.* Notum autem eidem odoſio datum à B. Ambroſio ſalubre con- m, ne iratus temere, vt antea, capitis iudi- præcipitaret: quo de eiuſdem exſtat Epiſt. III. hoc principio: *Et veteris amicitiæ dulcis recordatio eſt, & beneficiorum.* plura tamen in leſiaſtica Hiſtoria, quae indicaſſe ſat eſto.

CAP. LV[I].

[Ve]lendum *pro* verendum CICERO- NI *familiare. Imitatus &* CICE- RONEM *Perſius.*

[Q]VANTA in CICERONIS Officiis do- ctrina lateat, C. Plinius prooemio teſtatur, [q]ui ad verbum ediſcenda ſuadeat: quamque [c]onditi theſauri inde eruantur doctiſſimo [q]ue notum, cum & argumento gemino

E B. Am-

B. Ambroſius exprimere non dubitarit. Nos è libro I. caput hoc concinnauimus : *Videndum eſt*, inquit, *vt non ſatis ſit, id quod apud Platonem eſt in Philoſophos dictum, quod in veri inueſtigatione verſentur*. Lambinus tentat hanc lectionem, & ſolemne illud ſuum ſeruat, vt vel repugnantibus libris omnibus, *verendum* ſubſtituat. Verum cum Varrone Cras illi credam, hodie nihil. Nam Iò *video* cum particulis *Ne* & *Vt*, non rarò eumdem, quem *Timeo*, *Metuo*, *Vereor*, vſum habere apud CICERONEM obſeruaui, vt hoc ipſo in loco, ex auctoritate codicum omnium, & lib. XIV. ad Famil. Epiſt. XIV. Terentiae, & Tullio F: *Reliquum eſt, quod ipſae optime conſiderabitu, veſtri ſimiles feminae ſintne Romae. Si enim non ſunt, videndum eſt vt honeſtè vos eſſe poſsitis.* Quod pro *verendum* accipiendum paret apertè. Subiicit enim ſtatim : *Etiam illud verendum eſt.* Illud coronidis vice accedat : vt ex Platonis Alcibiade priore Satyram V. cōcinnaſſe Perſium monuit poliriſſimus Politianus, cap. IV. Miſcellan: ſic è CICERONE mutuatū eſſe apparet elegantem hanc ſententiam. Ita enim noſter TVLLIVS, qui Latinis litteris illuſtrauit Philoſophiam, primo Offic. *Nec vero illa parua vis naturae eſt, rationiſque, quod vnum hoc animal ſentit, quid ſit ordo, quid deceat, in factis dictiſque quis ſit modus.* Satyricus vero Sat. III. qui verſus inter cetera eminent aenigmata, vtileſque ſunt hominum vitae :

Diſciteque, ô miſeri, & cauſſas cognoſcite rerum,
Quid ſumus, aut quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus, aut metae quàm mollis flexus, & vnde:

Quis

uis modus argento, quid fas optare, quid aſper
tile nummus habet.——

CAP. V.

Claudianus poëta ſaepiùs emendatus.

IBET alternare vices, vt animus legendo
tetrica feſſus, varietate reſpiret. Amant
n alterna Camenae. Claudianus Poëta mi-
ıe malus in manus venit, eius poematum
s mihi perantiquos codices olim Iac. Su-
,homo eruditiſſimus, vtẽdos arbitrio meo
quit, nec operae poenitet. His itaque char-
ſiquod forte operaepretium, illinere pla-
, quae de raptu Proſerpinae horis ſubſeci-
ıotabam, intacta Pulmanno ac Delrio no-
. Lib. I. verſ. 220.

ic cecinit longaeua Themis. nunc matre remota
em peragi tempus: fines inuade Sicanos.

lgò enim editur typis etiam Plantinianis
peragit tempus. Lib. III. prooemio v. 17.

nceladus mihi carmen erat, victuſque Typhoeus:
Hunc premit Inarimes, hunc grauis AEtna domat.

o libri Suſiani:

Hic ſubit Inarimes.——

Rufinum praefat.

hoebeo domitus Python cùm decidit arcu

malo quam *vt decidit arcu.* v. 260.

racta metu: ſolus, medioque in turbine rerum.

er codex —*medio ſolus ſed turbine rerum.* Alter

 ſic:

ſic; —*medio ſeſe ſed turbine rerum.* in quam lectionem, vt *τὸ ſolus* abſit, plurimi conſpirant libri. V.381.—*Nec vomere ſulcus adunco Finditur.* Vetuſta lectio *obunco*. Lib. II. v. 64.

Vinctas ire nurus hunc per vada caerula mergi

Suſianae membranae *Vinctas ire manus.* Statim v.91. *Aut tantis ſoluet lacrymis*—libri duo *à tantis*. V.432.

Inſultantque alacres. laceros iuuat ire per artus.

Iidem libri *vacuos* habent, id eſt exſangues & inanimes. Sic Statius lib.9. Thebaid. *Vacuorum terga leonum.*

Lib. I. in Eutropium v. 195.

Clauſtra remoliri, non vberiore rapina
Peccet in orbe manus——

Librilli veteres *nunc vberiore rapina*, quomodo & in ſuis repperit probatque Pet. Faber Toloſanus Semeſtrium lib. I. cap. XVI.

V.405:

Cyniphiiſque ferox Araris ſucceſsit ariſtis.

Reſcribe *Cinyphiiſque.*

Lib. II. v. 81:

Conuiuant domini: quod maxima praelia ſolus
Impleat & pariter miles, quod tertius vrbis
Conditor, hoc Byſas, Conſtantinuſque videbunt.

In duobus ſcriptũ repperi: *Cum viuant domini*— & mox—*Et patitur miles, quod conditor vrbis Tertius.*

Extremo libro de bello Gildonico v.521.

Tenditur in longum Caralis——

malim *Calaris* hic legi, auctoritate Pomponij Melae lib. II. *Vrbium*, inquit, *Sardiniae antiquiſſimae Calaris & Sulci.* Vide & Plinium lib. II. cap. CVIII.

Libro

ɔro de Bello Getico. v. 74.
Robur Aloidae dum vellere Pelion Othrys.
:mbranae praeferunt:
Robora Aloidae, dum vellere Pelion Otus Nititur
ſt v. 109. lege & interpunge:
Exercere dabant. Currus regumq́ue catenae
Inter abundantu fati ludibria ductae.
ſtatim:
Nec pro ſucceſſu tumidus——
: *nimiùs* pro *tumidus* in vtroque repperi.
454.
Principis, amplexus alacris quis differat aulae?
:tus liber, *deſerat aulae*, rectiùs fortaſſe.
negyrico de tertio Honorij Cōſulatu. v. 109.
Diſtulit Auguſtus cupido ſe reddere caelo.
:tus liber *ſe credere caelo*. Et mox v. 142.
ctos diſcedere tectis in eodē eſt *tutò diſcedere raſtris.*
146.
Te ſine? Quem merui te non ſuadente triumphum?
ɪres libri, *te non ſudante tropaeum?*
156. *Coniugio, ſociaq́ue virum produxit ab aula.*
irum pro *virum* eſt in duobus libris.
ɪv. Conſulatu Honorij. v. 27.
Qui medio(libri duo *medios*) *Libyae ſub caſside per-it aeſtus*. V. 38.—*quos ditat fabula ramos*. *dictat* in embranis omnibus. Sic lib. 2. de Raptu:
Eſt etiam lucis arbor praediues opacis,
54.
Flauaq́ue Biſtonios reperirent agmina campos:
rirent eſt in iiſdem libris. Et mox. v. 69.—
: *traditur illis*, non *illi*,
77.
Suadebat, tantumq́ue dabant exempla ſequenti.

Sequentem eſt in membranis omnibus. v. 98.

Illi iuſtitiam confirmauere triumpho,

rectiùs *triumphi* membranae. v. 106.

Garganum Alpinis, Apenninumque niualem
Permiſt is ſociare iugis——

libri duo—*niualem Pernices ſociare iugis*. v. 214.

Si tibi Parthorum ſolium Fortuna dediſſet.

Natura in vno codice ſcriptum vidi, vt infra. V. 308: *Quæ tibi tum natura dedit*— v. 298. *Fit populus nec ferre vetat*— *negat* eſt in noſtris libris, vt & in Gallicis Pet. Fabri Semeſtrium lib. 11. cap. xvi. in laude Serenae vxoris Stiliconis. V. 71:

Diuitijs vndaſſe Tagum. Gallecia riſit
Floribus, & roſeis formoſus Duria ripis.

Hic legiſſe *curia* memini Hermolaum Barbarum, *Turia* verò Hieron. Paullum lib. de Fluminibus Hiſpaniæ. Equidem *Durium*, etſi Feminino genere, ſignificari puto, qui Tago eſt conterminus. *Turia* vero Valentini agri fluuius eſt, cuius & in Hiſtoriis Salluſtius meminit.

CAP.

CAP. VI.

eſſerae, militares & gladiatoriae, quadratae: Frumentaria & hoſpitalis, rotundae. Rudis. Spectatus. Abacus numerorum Romanis, ſeu Tabula calculatoria. Monumenta Antiquitatis.

LVCILIVS apud CICERONEM de Oratore ad Q. Fratrem:

Quam lepidae lexeis, compoſtae vt teſſerulae omnes
Endo pauimento, atque emblemate vermiculato!

uaeri video quae hic *teſſerulae* ſint. ὑποχωρικὸν nimirum à *Teſſera*, tegula quadrata, qua ılum ſternitur, ac vermiculatum pauimenım; quod & *teſſellatum ac ſectile* Vitruuio eſt b. VI. Architecturae, & Suetonio in C. Caeıre cap. XLVII: itemque Iſidoro lib. XIX. Etyıol. cap. 13. & 14. AElio autem Spartiano *mu-um opus*, quod vulgo *Moſaicum*, corrupta leuiır voce, artifices nominant. Graecis, ἔδαφος ιαπόικιλον, & in Euangelio S. Ioannis cap. XIX. . 13. λιθόστρωτος. *Teſſera* vero ſignum olim, quo conſcijs quis dinoſcebatur: vt Militaris in *aſtris*, quae militibus, quò ab exploratoribus nternoſcerentur, dari ſolet: meminitque ʼomponius I.C. Tit. 2. de orig. Iuris. Quò perinet & *Gladiatoria* Teſſera, forma quadrata. *Frumentaria* quoque, qua nota prolata frumenum à Principe dabatur. Eadem de *Olearia*,

Cenaria & Nummaria ratio. Et hæ quidem rotūdae, vt ex Dione Caſſio apud Xiphilinū mox docebo. Sic vſitata fere hodieque, etſi diſſimili effectu, quadrangula aut rotunda ligni forma, vtrimque complanata, cui numeri inciduntur, rei credito coëmptae: quibus nũmeris aeris alieni perſolutis confringi ea ſolent, aut flammis tradi. Meminit ſaepe Plautus Teſſerae:

Suam vterque teſſeram habet: ratio conſtat.

Vidimus olim Tarracone apud Ant. Auguſtinum Archiepiſcopum, Antiquitatis longè peritiſſimum, tegulam quadratam binis inſcriptam litterris S P. ceteris oblitteratis: qua nota *Sportulam* ſignari aiebat, de qua frequens in Martiali mentio eſt, & ipſe diſſeruit Dialog. II. Antiquitatum in re Nummaria, veterumque Inſcriptionibus. Mihi, ſi diſſentire fas, potius videatur fuiſſe ſignum *ſpeculatoris Teſſerarij*, qualem fuiſſe Barbulum Proculum ſub Othone Imp. auctor Cornelius Tacitus, & Plutarchus vt emendat explicatque locum Taciti, aliter atque Lipſius noſter, Laeuinus Torrẽtius V. C. ad Othonem Suetonij cap. V. & in Caligula cap. LII. Integrã vero Teſſeram Romae videre contigit, quattuor lateribus ſic inſcriptam: PHILODAM. DOSSE. A. D. X. K. NOV. SPECT. M. TEREN. C. CAS. quae ſic legebamus: *Philodamus Doſſeni ante diem decimum Calendas Nouembris Spectatus, M. Terentio C. Caßio, Coß.* hâc, quam repraeſentamus, formâ:

PHILO-

PHILODAM. DOSSE
A. D. X. K. NOV.
S P E C T.
M. TEREN. C. CAS.

Interrogatus etiam Fuluius Vrſinus, homo linguæ vtriuſque, omniſque adeo Antiquitatis bene peritus, eò ſermonē deduxit, vt diceret, ſignificari videri, quo anno ſeu Cōſulatu, menſe, atque die, Gladiator Philodamus, ſpectatus, diu multúmque in arte verſatus, rude ſit ac teſſera eburnea donatus, quibus ſolutum ſe palaeſtrae atque arenae legibus athleta oſtenderet: vt *Spectati* vocabulum Gladiatorum eſſet proprium. Quò illud Q. Flacci referebat:

Spectatum ſatis, & donatum iam rude quaeris,
Maecenas, iterum antiquo me includere ludo.

Equidem de rudibus, quibus gladiatores virgis à Praetore percuſſi, vt vindiciis manumiſſi, ſic hi libertate exauctorati donabantur, facile aſſentiebar. Ampliare tamē cogor, quod neque Horatius Teſſerae ibi meminit, neque adeò vetus eius interpres Acro aut Porphyrio. Sic Philippica V. M. TVLLIVS in M. Antonium: *Tam bonus gladiacor, tam cito rudem accepiſti?* Et epiſt. ad Octauium, ſi eius modo eſt: *Qui veteres gladiatores reliquias ludi Caeſaris ad rudem compuliſti.* Rudibus quippe depugnare gladiatores ſoliti, teſte Lampridio in Commodi vita: quē refert in arena rudibus inter cubiculares gladiatores depugnaſſe. Hinc & tralatè *Rudis* pro libertate Iuuenali, Sat. VII. verſ. 171.

Ergo

Ergo ſibi dabit ipſe rudem——

Quo etiam loco *Nummariam* ſubiicit *teſſeram*, quae ad Frumentariam pertineret:

Summula ne pereat, qua vilis teſſera vaenit
Frumenti——

Cuius *Frumentariae* Iure-conſulti meminere: Vlpianus quidem L. 52. D. de Iudiciis: & Paullus L. 49. & L. 87. D. de Legat. 2. Suetonius quoque in Nerone. cap. xi. Teſſeras ait frumentarias populo ſparſiſſe, Congiarij vice: quod Xiphilinus ex Dione Caſſio his verbis commemorat: Διὰ συμβόλων σφαίρια μικρὰ γεγραμμένα in vulgus iacta refert. Vberiùs etiam in Tito Veſpaſiano: itemque in Domitiano, & Hadriano. Tranquillus rurſum in Auguſto, capp. 40. & 41. & Seruius Honoratus in illud Virgilij 1. Georg. v. 263:

Aut pecori ſignum, aut numeros impreſſit aceruis.

Vnde colligo, vt gladiatorum teſſeras quadratas repraeſentaui, ſit frumentarias in orbem rotundatas continere numeri ſignum ſolitas, quantum cuique praeſtari à Principe in frumento, veſte, auro, argentoue deberet. Erant enim & alia ad Frumentariam pertinentia teſſerarum, vt dixi, genera, Olearia, Cenaria, & Nummaria. Huius etiam Tranquillus in Auguſto meminit, cap. 41.

Hoſpitalis quoque teſſera in Plauto occurrit: qua oſtenſa ius hoſpitij mutuo exigerent amici ac neceſſarij. Sic enim in Poenulo: *Ego ſum ipſus quem tu quaeris*. P. *Hem quid audio?* A. *Antidamae me gnatum eſſe*. P. *Si ita eſt, iam teſſeram confer, ſi vis, hoſpitalem*. A. *Eccam, attuli.*

Qui

ui autem hoſpitij ius violaſſent, Teſſeram ꝫgiſſe vetere verbo dicebantur, ex eodem omico in Ciſtellaria:

Abi, quaere vbi tuo iurando ſatis ſit ſubſidij.
Hic apud nos Alceſimarcha confregiſti teſſeram.

ddam & coronidis vice Antiquitatis aliud ıonumentum, Abacum Romanorum, ſeu Calculatoriam tabulam, apud eumdem Vrſiıum olim à nobili & erudito viro Theodoro Reneſſio repertam, & mecũ humaniter communicatam, perutilem iis qui Aſſem eiuſque partes abundè perſpectas habent. De quibus calculatoribus haec comperi. Martialis enim lib. x. Epigrammatum:

Nec calculator, aut Notarius velox,
Maiore quiſquam circulo coronetur.

Et B. Auguſtinus lib. II. aduerſus Academicos: *Quibus duobus repertis nata eſt illa librariorum & calculatorum profeſſio, velut quaedam Grammaticae infantia.* Vlpianus quoque I. C. *tabellarios* eoſdem appellatos fuiſſe teſtatur: ſpectaturque Veronae vetus inſcriptio:

P. CAECILIVS EMPIRODIVS
VI. VIR AVG. CALCVLATOR
IVSTINAE SALENAE
VXORI ET SIBI VIV F.

IXI

$\overline{\text{IXI}}$
1000000.

O O O O	ccc I ɔɔɔ 100000.	O
4. Centies mille Denar. Simul 1600 *ſeſtertia. Aliter dicebant: Sedecies ſeſtertium.*		*500000 Denarij, vel 2000 ſeſtertia. Aliter dicebant, Vicies ſeſtertium.*
O O O O	cc I ɔɔ 10000.	O
4. Decies mille Denarij. Simul 160. *ſeſtertia*		*50000 Denarij, vel 200 ſeſtertia.*
O O O O	∞ 1000.	O
4. Mille Denarij Aliter 16. *ſeſtertia.*		*5000 Denarij: alias* XX. *ſeſtertia.*
O O O O	C 100.	O
4. Mille æris, vel 4. M. Aſſes, vel 4. centum Denarij.		*5. Mille æris, vel 500. Denarij. Aliter, Duo ſeſtertia.*
O O O O	X 10.	O
4. Centuſſes 4. centum Aſſes, vel 4. decem Denarij.		*Quinquaginta Denarij, vel quinque Centuſſes.*
O O O O	I 1.	O
4. Denarij, vel Decuſſes.		*Quinque Denarij.*
O O O O		O
4. Aſſes, vel Quadraſſes.		*Quincuſſis, vel Quinarius.*
O O O O		O
5. Vnciæ, aut Quincunx.		*Semis, ſex unciæ.*

CAP.

C. A P. VIII.

Democriti ἀπειρία *Infinitio, infinitaſque, mundorum & atomorum concurſio.* CICERO *in Philoſophicis ex Hippocrate & Laërtio illuſtratus.*

SENATVS populuſque Abderitanus Hippocratē illius aeui, hodieque Medicorum coryphæum legatione inuitans ad medicinam Democrito, quem inſanire putarent, faciendam, ipſi longe amentiores, vt Prouerbio locum dederint, inter cetera inſaniae argumenta haec colligunt: καὶ ἀποδημεῖν ἐνίοτε λέγει εἰς τὴν ἀπειρίην καὶ Δημοκρίτους εἶναι ὁμοίους ἑαυτῷ ἀναριθμήτους. *Seſe quandoque in infinitionem peregrinari dicit, & innumerabiles ſui ſimiles eſſe Democritos.* Idem prodit ipſe Democritus apud Hippocratem Coum, eleganti ad Demagetum Epiſtola, qui ſermo eſt cùm Abderitano illo Philoſopho ucundè habitus. Sic enim ille: Πολλαί γε ἀπειρίαι κόσμων εἰσὶν, Ἱππόκρατες, καὶ μηδαμῶς ἐτῶρε ἀλασμικρολόγει πλουσίην τὴν φύσιν ἐοῦσαν. *Multa int mundorum infinitates, atque adeo infiniti mundi. uare de Naturae diuitiis, bone vir, caue maligne ſentias: ntemnere noli aut ſuggillare.* Eadem M. TVLIVS extrema Tuſcul. V. *Democritus*, inquit, *minibus amiſſis, alba ſcilicet & atra decernere non terat*, &c. *Ille infinitatem omnem peregrinabatur, nulla in extremitate conſiſteret.* Quod Abde-ani dixerunt, ἀποδημεῖν εἰς τὴν ἀπειρίην.

Et

Et Academicarum libro. IV. qui *Lucullus* inſcribitur: *Anaximander Mileſius infinitatem naturae dixit eſſe, è qua omnia gignerentur. Poſt eius auditor Anaximenes infinitum aerem, ſed ea quae ex eo orirentur, definita.* Et ſtatim: *Leucippus plenum & inane: Democritus huic in hoc ſimilis, vberior in ceteris.* Et I. de Finib. *Infinitio ipſa, quam ἀπειρίαν vocauit, tota à Democrito eſt: tum innumerabiles mundi, qui & oriantur & intereant quotidie.* Sic Laërtius in Democrito: ἀπείρους τε εἶναι κόσμους καὶ γενητοὺς, καὶ φθαρτούς. καὶ τὰς ἀτόμους δὲ ἀπείρους εἶναι κατὰ μέγεθος, καὶ πλῆθος. Ἀπειρία igitur Democrito non pro *inſcitia & ignoratione*, vt vulgò, ſed pro *infinitate* adhibita: quemadmodum & Ariſtoteles κατηγορίας voce forenſi, in Decem vocibus, quæ vniuerſe dicuntur, vtitur, itemque Stoici verborum atque originum architecti non rarò notiones vocum detorſerunt. De atomorum autem concurſu è ſententia Democriti Tullij loca colligam. Ita enim Academica priore: *Iam Phyſica, ſi Democritum probarem, poſſem ſcribere ita planè vt Amaphanius. Quid eſt enim magnum cùm cauſas rerum efficientium ſuſtuleris, de corpuſculorum (ita enim appellat atomos) concurſione fortuita loqui.* Et Tuſcul. I. *Illam funditus eiiciamus indiuiduorum corporum leuium & rotundorum concurſionem fortuitam, quam tamen Democritus & calefactum & ſpirabilem, id eſt animalem eſſe voluit.* Et ſtatim: *Democritum magnum quidem illum virum, ſed leuibus & rotundis corpuſculis efficientem animum, concurſu quodam fortuito omittamus.* Rurſum I. de Finib. *Eadem illa atomorum, in quo etiam Democritus haeret, turbulenta concurſio, hunc mundi ornatum efficere non poterit.*

CAP.

CAP. VIII.

Medicina corporis & animi. CICERO *illuſtratus Tuſcul.* III. *Corporis medicina triplex. Auſonio in Gripho lux allata. Auarorum ingenium. Hippocratis Coi Epiſtola de Democrito ſaepius correcta.*

DIVERTO interdum libens in Philoſophorum, atque adeò Medicorum ſpatia, animi laxandi gratia; &

Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

In his coryphaeum Hippocratem, cum ob ſuauitatem Ionicae dialecti, cum Herodoto atque Homero communis, tũ vt flores legam

Floriferis vt apes in ſaltibus omnia libant.

Euocatus itaque per legatos à S. P. Q. Abderitano Cous ille Medicus, vt Democritũ, vt ipſi quidem inſani interpretabãtur, motae mentis atque alienatae ſanaret, ac veratro velut inſanientem curaret: in portum iam AEſculapia naue delatum, ſic omnis omnino aetatis ac ſexus ſummi, medij, infimique compellabant in Epiſtola illa eleganti ac bene longa Hippocratis ad Demagetum; quam curriculo tranſcurerre ac paſsim emendare ingredior, ope ſcripti codicis eruditiſsimi viri Pet. Pantini, nuper heu fato nobis erepti. Verba è principio

pio apponam, quib. votum ciues teſtatum relinquunt: σῶζε λέγοντες, βοήθει, θεράπευσον. *Serua inquiunt, opitulare, medere.* Tria nimirũ haec legẽti in mentẽ, tum veniebant, quae Medicinae corporũ propria eſſe omnes praedicãt, & Auſonius in Ternarij gripho vno eſt verſu cõplexus:

Et Medicina triplex, ſeruare, cauere, mederi.

Tametſi in vetere illo libro calamo exarato duo dumtaxat capita repperi: ὦ ζεῦ βασιλεῦ, λέγοντες, βοήθει, θεράπευσον. Qua compellandi forma & infra vſum ſe Hippocrates affirmat: κ᾽ἀγὼ, ὦ ζεῦ, βασιλεῦ φημι, εὐκαίρως γε ἀντιγράφεις πρὸς τὴν πόλιν. *Tum ego: Rex Iuppiter, vt opportune incuſas hanc vrbem Abderam, inſaniae vernaculam.* Democritus quoque ſingulari Epiſtola Medicinam ipſe, vt ſapientiae ſociam ac germanam, ſic prædicat: Ισορίην σοφίας γὰρ δοκέω ἰητρικῆς ἀδελφὴν καὶ ξυνοικόν. Σοφίη μὲν γὰρ ψυχὴν ἀναρύεται παθῶν. ἰητρικὰ δὲ νόσους σωμάτων ἀφαιρέεται. *Sapientia cognitionem Medicinae ſororem ac familiarem eſſe duco. Sapientia ſiquidem animi perturbationes tollit: ac Medicina corporum morbos pellit.* Quae gemina cum iis ſunt, quae tertio Tuſculanarum diſputationum TVLLIVS praefatur: quaeque infrà Hippocrates in Democriti ore; artem hanc mortalium vitae neceſſariam partim inuidia, partim ἀχαριςίας vitio damnari. Depingitur porro Democritus à Coo, ſub ampla, ramoſa, atque humili platano lapideae inſidens exedrae: breui tunica ſubſtrictus, pallens ac macilentus: horridis capillis, promiſſa barba, ſupremis dumtaxat labris attonſa. Verba adſcribo, vncis includẽs quae aliter ſcripta repperi,

ɔeri atque Aldus in Epiſtolarum Grae-
ım volumine, ac Medici ediderunt, vt cui
o eſt, componat, atque emendet: Ἐπίτα
ῖσιν τῷ πύργῳ βουνὸς ἦν τις ὑψηλὸς μακρῷ (ι καὶ
(ιησιν αἰγείροις] ἐπίσκιος. Ἐνθεν δὲ [ἑωρᾶτο]
ὁ Δημοκρίτου καλαγώγια· καὶ αὐτὸς ὁ Δημόκρι-
[ἐκάθητο] ὑπό τινι ἀμφιλαφεῖ καὶ χθαμελῇ
λανίςῳ, ἐν ἐξωμίδι παχείῃ μοῦνος [ἀνήλιφος]
λιθίνῳ θώκῳ, ὠχριακὸς πάνυ, λυπόσαρκος,
ζῶντα γένεια. Cornarium hic non ſatis à li-
; antiquis, extẽporarieum ſcriptorem, dum
ıis properat, adiutũ, ἀνήλιπος ſuppoſuiſſe
ıiicio, quaſi ἀνυπόδητον. ἤλιψ γὰρ, τὸ ὑπό-
ια, *diſcalceatus* enim vertit. Aldina editio,
λιπος. Vetus autẽ liber ἀνήλιφος praefert,
ıſi *non vnctus*, ſitu ac ſqualore horridus, ab
ίφω. A. Foëſius praeſtans Medicus typis
echeli edebat ἀνήνυτος: vt poſt non longè.
ιηδεμιῆς ἕνεκεν ὠφελείας ἀλγέοντα τοὺς ἀνηνύτους
χθους. vbi & codex antiquus more Attico le-
, ἀνύοντα τοὺς ἀνηνύτους μόχθους. Poſt in aua-
; incurrens Democritus, qui terrae viſcera.
naſque auri argentique cupiditate riman-
:, velut ad lautumias ac metalla damnati.
Effodiant vt opes irritamenta malorum,
ndem terram, nunc admirantes, nunc con-
nnendo conculcantes. Verba vt in vetere
ɔrò ſcripta ſunt, appendo; vt cum vulgatis,
ıi volet, comparet. Οἱ δὲ πολλῷ χρόνῳ ταύτην
 οντες τὴν ἀνάγκην, ὡς ἐν πατρίδι τῇ κολάσει χα-
μένουσιν. ἄργυρον καὶ χρυσὸν μαστεύοντες ἴχνη κό-
ως καὶ ψῆγμα ἐρευνῶντες. ψάμμον ἄλλην ἀλλαχό-
ν ἀγείροντες, καὶ τῆς γῆς φλέβας ἐκτέμνοντες ἐς

F περιου-

περιουσίην ἀεὶ βωλοποιοῦντες ἐκ γῆς μητρὸς τὴν ς μίην γῆν, καὶ τὴν αὐτὴν ἐοῦσαν καὶ θαυμάζουσι καὶ πατοῦσιν.] Cuius in extremo mirè variat lectio. Aldus Manutius olim excudit: βωλοποιέοντες ἐκ τῆς μητρὸς, πόδε μίην γῆν. Foëſius ſic: βωλοποιέοντες ἐκ γῆς τῆς μητρὸς πολεμίην γῆν, καὶ τὴν αὐτὴν ἐοῦσαν καὶ θαυμάζοντας πατοῦσιν: *Ad opulentiam ſemper terram matrem tãquam hoſtilem in glebas proſcindunt, quam etiam cum admiratione calcant.* Cornarius ita vertit: *Ad opulentiam ſemper glebas conſlantes ex matre terra hoſtilem terram (cùm tamen eadem ſit) facientes, vt hanc admirantes pedibus calcant.* Equidem ex obſcuris haec veluti è quercu exſculpo. Terrae venas incidentes, ad opes parandas glebas ex illa communi matre aſſiduè cogentes: cumque vna illa ſit atque eadem, & admirantur, & conculcant. Quo fere ſenſu amicus olim noſter Ab. Ortelius vir optimus, & excellens Geographus Orbem terrae indice commonſtrans ſymboli vice vſurpare illud ſolitus: MENTE MANV ORNO CONTEMNO.

CAP. IX.

Hippocratis ad Demagetum Epiſtolae pars reliqua emendando percurritur.

De variis hominum ſtudiis Democritus apud Hippocratẽ diſſerens, ac de vitiis, quibus laxatis nimiùm Rationis habenis mortales indulgent, ſubiicit. ἄλλοι σφάζοντες, ἄλλοι

ι θάπτοντες ὑπερορέοντες ἃ ἔχουσι πρὸς τὰς ἐλ-
ομένας πράξιας ὁρμώμενοι. Editur vulgo:
ς τὰς ὑπερορίας κληζέας ὡρμημένοι. Et ſtatim
lus: οἱ δὲ ἐπαιρόμενοι κενοδοξίῃ. Equidem vna
rita littera emendabam aſtipulante cod.
ιρόμενοι, pro, *inani gloria elati*, minore vi ac
icius quam Foëſius, qui ἐπτοημένοι, *attoniti*
poſuit. Concludit infra Riſus cauſam:
ς ἀναξίους οὖν καὶ δυσήνους ψυχὰς (repono ἀπου-
;) τοιαύτας ὁρῶντες καὶ τοσαύτας, πῶς μὴ χλευά-
μεν τὸν ἀκρασίην ἔχοντα βίον ἀθλέων; *Cum igi-*
tot tantaque indigna ac miſera mortalium ſtudia
iſcum expẽdimus, quid ni vel effuſo riſu ſubſannemus,
ectemurque. Poſt non longè: ὅτε πολλοὶ τοῖς
εχνίης ἐν ἑαυτοῖς ἔχοντες ἄιδριες τεόντες ἐχθαίρου-
τὸ κρεῖσσον. Sic malo è vetere libro, quã quod
ëſius & Aldi codex praefert καθαίρουσι. Sic
pra paullo pro ἐχθαίρουσι τὸν εὐεργετήσαντα, vt
ldina habet editio, reſcribo ἐχθαίρουσι τὸν
εργετήσαντα, *bene merentem oderunt.* Finem hic
cio, ſi extrema excuſſero: in quibus etiam
edici docti interpretes, conati quidem ſunt
orbo deprehenſo opem adferre Paeoniam,
d non quantum voluerunt ſunt aſſecuti.
entemus (quid enim vetat?) ſe forte glan-
em decutiamus, dum alij ex hortis bonis
mpeſtiuitate quadam meliora producant.
ocus enim mihi quidem prope depoſitus vi-
etur, cuius ſenſum citius aſſequar, quàm ad-
erre medicinam queam. Scriptam lectionem
ppono, ab Aldina editione diuerſam: οὐκ
ἄπορος σὺ τῆς τοιούτων λεσχέων ταῦτα σαφέως
ἰδὼς ἐν δὲ ἀναξιωπαθέησί σοι πολλάκις γεννηθέντα,

καὶ διʼ οὐσίην καὶ βασκανίην φιλοτώθωσαν. Ατρεκέιης γὰρ οὐδεμιῆς γνῶσις, οὔτε μαρτυρίη. *Non expers ac rudis talium nugarum, nihil ambigo quin & tu quoque, mi Hippocrates, in has, te tamen indignas, incideris affectiones, & conuicia. Et iampridem malè audieris, cum propter luculentas tuas diuitias, tum propter aliorum inuidiam. Veritatis enim nulla neque cognitio hodie, neque teſtificatio eſt:* Illud tamen, ne quid diſſimulem, φιλοτώθωσαν adhuc de mendo ſuſpectum occurrit. Doctus ſane interpres Gallus, ſic reddit; *Neque tu huiuſmodi contumelias non expertus es: enm probe ſciam, haec quae in memorabilibus affectionibus fiunt te per cauſam aut inuidiam nunquam libenter conuitiis inſectatum.* Euaſi tandem ad veram lectionem, nuperam nactus editionẽ Fragmentorum veterum Philoſophorum ab H. Stephano adornatam, & Epiſtolarum Graecarum per Eilhardum Lubinum hoc ſæculo euulgatam, qui βασκανίην φιλοτώθασον, hoc eſt, *inuidiam conuitiis gaudentem* conuertit, redditque ita locum: *Harum calumniarum cum ignarus non ſim, certo hoc ſcio te inuito taedia ſaepe incidere, & propter opes tuas, & propter inuidiam quae conuitiis gaudet. Veritatis enim nulla cognitio, neque teſtimonium.* Eant nunc ignaui illi, qui Graecas litteras diſcẽdas eſſe negant, & interpretibus ſuis fidendum falſo iactant: niſi ſi Hippocratem & Galenum in medica, quam profitentur, arte, attingendos eſſe ferrea fronte negare audeant.

CAP. X.

:dici praemiis honorandi. Honor *pro mercede interdum, vt Graecis* γέρας. *Cur curatis iam corporibus ingratos plerumque experiantur aegros Medici, vt magiſtri diſcipulos, conſentiens Democriti & Hippocratis ſententia.*

MEDICOS aegris adhibendos, honorémque eis habendum, hoc eſt, vt iidem interpretor, praemiis afficiendos, ·acides docet Eccleſiaſtici XXXVIII.v.I. Sic im B. Hieronymus Epiſt. ad Gerontiam, & mmentario in cap. XV. Matthaei *Honorem* ɔ mercede, vt Graecis γέρας, variis S. Scriırae locis exponit. TVLLIVS quoque nor Tironi liberto ſuo, qui iam Patris à graui ɔrbo recreatus erat: *Curio*, inquit, *miſi vt dico honos haberetur.* Cōtra quoque pro δυςδ*ω*-*tria* obſeruat Agellius lib. XII. Noctium cap. . & Muretus lib. VI. Variar. c. 18. vt vtroque rsùm dicebant, *Dolum*, *Facinus*, *Valetudinem*, iqua. Vetus autem eſt, fuitque ſemper de ʒrotorum, vbi confirmata valetudine conluerint, ingrato animo & iuſta querimonia; utis cauſſas variis variè adſcribentibus, vt Democritus Hippocrati miſeratus coram irmabat Epiſtola illa bene longa ad Dema-

 getum,

getum, & hic viciſſim per Epiſtolam expoſtulat. verba vtriuſque ob venuſtatem appingere non pigebit. Sic enim Democritus apud Coum medicum, vt quidem in perveteri codice ſcriptum vidimus, aliter atque Aldina praefert editio: ἤπου γὰρ ὑπονοέω ὡς σαφῶς λωβᾶσθαί σου πολλὰ τῆς ἐπιστήμης ἢ διὰ φθόνον ἢ δι' ἀχρηστίην. (Rectius autem vetus liber ac Budaeus legunt ἤκουσα γὰρ ὑπὸ νοσεόντων σαφέως λωβάζεσθαί σου τὰ πολλὰ τῆς ἐπιστήμης, ἢ διὰ φθόνον, ἢ δι' ἀχαριστίην) οἵ τε γὰρ νοσέοντες ἅμα τῷ σώζεσθαι τὴν αἰτίην, ἢ θεοῖς, ἢ τύχῃ προσνέμουσι. πολλοὶ δὲ τῇ ἰδίᾳ φύσει προσάψαντες ἐχθαίρουσι τὸν εὐεργετήσαντα: μικροῦ δεῖν προσαγανακτεύοντες εἰ νομίζοντας χρεοφιλέται. Reddam vt potero: *Audiui ab ipſis aegrotis, ſiue ob inuidentiam, ſiue ob ingrati crimen animi artem tuam probro affici. Simul enim priſtinae ſunt reſtituti incolumitati, iam vel Diis, vel Fortunae adſcribunt: plerique etiam Naturae ſuae benignitati ac praeſtantiae acceptum referentes, omni ope de ſe meritum Medicum oderunt, parumque abeſt quin indignentur ſi eis gratiam debeat.* Hippocrates verò his germana Democrito ſcripſerat. Ἰητρικῆς τέχνης κατορθώματα μὲν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων οὐ παντάπασιν ἐπαινοῦσιν· θεοῖς καὶ πολλάκις προσηρτῶσιν. ἢν δέ τι ἡ φύσις ἀντιπράξασα ἀπολέσῃ τὸν θεραπευόμενον, ἰητροὺς καταμέμφονται, παρέντες τὸ θεῖον. καὶ ἔγω γε δοκέω πλείονα μεμψιμοιρίην, ἢ τιμὴν κεκληρῶσθαι τὴν τέχνην. *In arte Medica quae recte fiunt plerumque quidem hominum vulgus non admodum laudat, ſaepe vero Diis attribuit. At ſi in aliquo repugnans natura eum qui curatur interemerit, numen praetermittens Medicos incuſat. Et ego ſane plus repre-*

henſionis

onis quam honoris ex arte mihi conſecutus videor.
.lle. Diis autem ſuperſtitione quadam olim
ibuta medicamenta, artemque adeo ipſam
›ebo vt inuentori datam ecquis ignorat?
uis ambigit?
nuentum medicina meum eſt—
ıit Poëta. Æſculapio quoque tributae me-
ationes. Hinc CICERO familiari ſuo
ıtulabundus: *Ita ſum*, inquit, *leuatus morbo vt*
ıs mihi aliquis medicinam feciſſe videatur.

CAP. XI.

ICERONIS *liber* I. *Tuſcul. Quae-ſtionum illuſtratur & emendatur, Plutarchus item correctus.*

TVSCVLANAS Quaeſtiones lego ſanè perlibenter, vt Chriſtiano homine non digna continentes, vt & idonea ſatis cauſſa t viſa, cur huic quoque ſcriptioni parem fe- : titulum *Tullianarum Lectionum* extorſerint: & ır in partes ſæpius aduocentur. Nactus enim lim Toleti Carpetanorũ ex archiuis opimae cclesiæ longè antiquiſſimum codicem litte- is Longobardicis, ſed fideliter exaratum, ſtu- ioſe inſpexi, dum Graecas ibi litteras auſpi- iis Card. & Archiepiſc. Quirogae publicè in- erpretarer. Sub finem autem libri primi de Aida ſic ait: *Non naſci homini longè optimum eſſe, roximum autem quam primum mori*; Ex Poſidippi ;pigrammatè depromtum.

Ην ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς ἄιρεσις. ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Quos verſus Auſonius Gallus ita conuertit:

Optima Graiorum ſententia, quippe homini aiunt
Non naſci eſſe bonum, natum aut citò morte potiri.

Et Plinius libri VII. Nat. Hiſt. prooemio. *Itaque multi exſtitere, qui non naſci optimum cenſerent, aut quàm ocyſſime aboleri.* plura de his in antiquorum Graecorum Epiſtolis occurrent. Poſt paullò agens Orator de Crantoris Philoſophi Academici Conſolatione, ait Termanaeum quendam Eleuſium, cum grauiter mortem filij moereret, veniſſe in Sycomantium, quaerentem, quae fuiſſet tantae calamitatis cauſſa, taleſque ei verſiculos datos:

Ignaris homines in vita mentibus errant,
Euchinous potitur Fatorum munere laeto:
Sic fuit vtilius finiri ipſique tibique.

Illud in primis notandum non *Termanaeum*, vt vulgo editur, ſed *Terinaeum* reſcribendum, à *Terina* Siciliae vrbe, cuius & Stephanus Byzantius meminit. Comprobatur id Plutarchi auctoritate, qui & ipſe in Conſolatione ad Apollonium: εἶναι μὲν γὰρ αὐτὸν ἠλισίου πατρὸς Τεριναίου τινός· ἔχειν πρώτου ἀρετῆς πλούτῳ καὶ δόξῃ. Legendum quoque *Eliſium* hinc, non *Eleuſium*, diſcas. Scriptum quoque vitiosè circumferri *Sycomantium*: pro quo *Pſychomantium*, id eſt, mortuorum oraculum reponendum ex eo ipſo Plutarchi loco: ἀπορούντα. δὲ ὁ τῷ ζόπῳ βάζανον λάβοι τούτων ἀφίκεσθαι ἐπί τι ψυχομαντεῖον. Notandum viciſſim è CICERONIS ſupra allatis verſibus, corruptè apud Plutar-

chum

um legi tres hos oraculi verſus, quod & t. Victorium, cetera hoc loco diligentiſ-ɔum, fugiſſe video:

Ηρου νήπιε ἠλίθιοι φρένες ἀνδρῶν
Εὐθύνοο χεῖλαι μοιριδίῳ θανάτῳ,
Ην γὰρ ζώειν καλὸν ἀυλῷ οὔτε γονεῦσιν.

ım legendum ſit. ἦρα: & pro νήπιε, νήπιοι.& ıali carmine pro γονεῦσιν γονεῖποι reponen-m Tullıani verſus oſtendant. Germanum ro nuperum interpretem poſtea ſic tentaſſe prehendi:

Ηπῦ ἔασιν νήπιαι ἠλύσιε φρένες ἀνδρῶν.

uin etiam *Euthynoon* lego in verſibus illis ɔn Euchinoum: item non vocari *Menecheum* ·eontis filium, qui pro Thebis mortem op-tiit, ſed Menoxium, vt Euripides & Sopho-es tradunt, hinc diſco: Quæ poſt magnos il-s rei littterariae viros delıbaſſe ſufficiat. Alij aiora, me etiam applaudente, adferent.

CAP. XII.

ladius furioſi. Migrare iura communia CICERO *in Officiis caſtigatus.*

ɪʙ. ɪ. Officiorum: *Incidunt ſæpe tempora, cùm ea, quæ maximè videntur digna eſſe iuſto mine, eóque, quem virum bonum dicimus com-utantur, fiuntque contraria, vt non reddere poſitum etiamne furioſo: promiſſa non facere, aeque pertinent ad veritatem & ad fidem, ea ne-*

ea negare interdum & non ſeruare ſit iuſtum. Carolus Langius, Belga doctiſſimus, eumque his libris per omnia ſecutus Lambinus *ne furioſo* furcis eiiciunt. Quod vero Manutius in omnibus ſuis veteribus eſſe affirmet, retinendum puto, tametſi audacter nimis Lambinus, ſollemni more, reclamantibus, vt ait, & inuitis libris omnibus loco mouendum cenſeat. Vidi qui legerent interrogationis addita nota *etiamne furioſo?* at nihil ſubiicit quo reſpondeat. Aldus ad hunc locum ſic habet. Illud etiam *ne furioſo*, licet apertè corruptum, mutare tamen non audeo, opem libri veteris expectabo. Nam mei omnes conſentiunt cum expreſſa lectione, vno excepto, in quo pro *furioſo, furioſe* legitur. Interea placet relinquere in quo aliorum exerceantur ingenia. Confecta, Manuti, res eſt mea quidem ſententia, ſi reponas *gladium furioſo* ex obſcuris illis locum turbantibus veſtigiis *etiamne furioſo*. Perſpicue enim libro III. ait; quem locum huic geminum eſſe qui neget, nae ille in hiſce interioribus litteris hoſpes peregrinuſque ſit: *Ergo & promiſſa non facienda nonnumquam, neque ſemper depoſita reddenda ſunt. Si gladium quis apud te ſanae mentis depoſuerit, repetat inſaniens; reddere peccatum ſit; non reddere officium.* Quod autem *ea migrare*, non vt vulgo editur *negare* pro tranſilire idem Langius repoſuit, rectè factum arbitror. Sic enim Cic. III. de Legibus: *Quod quis earum rerum migraſſet noxae poena par eſto.* & I. de Diuinat. *ne communia iura migrare videatur.* Ita enim non *communi iure* legẽdum monuit doctiſſimus Turnebus: Itẽque

III. de

II. de Finibus: *Qui id conſeruaret, eum iuſtum; qui igraret, iniuſtum fore.* Sic *emigrare*, pro egredi, ’itinnius apud Nonium:

—Quot peſtes & iurgia
Se meis aedibus emigrarunt?

CAP. XIII.

)ignitas & honeſtas, CICERO II. *Tuſculana contra aliorum ſententiam ſaepius emendatus.*

M. TVLLIVS *Adoleſcentem*, quem in Tuſculanis Quaeſtionibus loquentem inucit, non *Atticum* vt Lactantio viſum lib. I. nſtitut. diuin. vel *Auditorem*, vt alij credideunt, quo falſum de tolerãdo dolore, ſummo, t ipſi quidem videbatur, malorum omnium, rrorem eriperet, ſic interrogat: *Num fortem irum, num magno animo, num patientem, num graem, num humana contemnentem potes dicere, aut hiloctetam illum (quàm te enim malo dicere, ſed ille rte non fortis)*

—Qui iacet in lectulo humido
Qui eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus
Reſonando, multum flebiles voces refert.

ic vulgati, corruptè ſane. Octauius Panaganus Italiae, dum vixit, oraculum, audacter ıterpolabat: *Aut Philectetam illum, aut me malo cere de illo M. certe fortis, qui iacet in lectulo humido.* ambinus vero qui in CICERONE, atque deo Poëtis Q. Flacco T. Lucretio, ac M.

Plauto

Plauto emendandis ſtudii multum operaeq́ue contulit, ſic edendum curauit: *haud Prometheum aut Philoctetam illum. Illos enim quam te malo dicere, ſed ille certe non fortis.* Atqui non ille ſatis, vt opinor, locum inſtaurauit, ac ne Paullus quidem Manutius parētheſi haec incluſiſſe contentus. Facio equidem libenter, vt librorum veterum fidem, quoad eius à me fieri poteſt, ſequar, qua locum hunc prope depoſitum ſanare conabor. Sic igitur in membranis Longobardicis Toleti à me inſpectis, ſcriptum repperi: *Num humana contemnentem potes dicere Philoctetam illum? A te enim malo diſcere: ſed ille certe non fortis.* vbi pro *aut* legi malim ἐμφατικῶς *vel* aut potius ſic: *an Philoctetam illum?* Reponatur itaque *diſcere,* non vt paſſim editur *dicere*: quod etiam in editis antiquitus occurrit, vt infra lib. v. Tuſcul. *Sed à te impetrare libenter velim,* Quod autē Manutius in vno Maffei cod. ſcriptum teſtatur: *Aut Prometheum aut Philoctetam,* vereor vt probum ſit, & ab haeſitante potius librario adſcriptum videatur. Itemq́ue *Multas flebiles voces refert*, eaedem membranae praeferebant. Reliqua verò de vetere Poëta hic à CICERONE, aut certe extremo libro II. de Finibus bonorum & malorum detorta, & ſenſui apta obſeruaui: *Turpe*, inquit, *putandum eſt non dico dolere, nam id quidem eſt interdum neceſſe, ſed ſaxum illud Lemnium clamore Philoctetaeo funeſtare:*

Quod eiulatu, queſtu, gemitu, fremitibus.

Vt ſaxum illud: *flebiles voces referre*, non ſecus atque imago vocis ſolet, quam Graeci ἠχῶ nominant, pronuntiet. Sic in Orat. pro Archia:

Saxa

Saxa & ſolitudines voci reſpondeant. Et Horatius Sermonum Sat. IV.

Suauè locus vocis reſonat concluſus——

Ex illo CICERONIS loco, & ſupra ita legendum: *Sagittae è viperino morſu venae viſcerum veneno imbutae tetros cruciatus cient. Itaque*, &c. Quomodo in eiſdem ſchedis ſcriptum repperi, non *cierent*.

Paullo ante: *Tum dignitas, tum decus aderit*, amplius eſt in libris duobus calamo exaratis; *Tum honeſtas, tum dignitas, tum decus aderit*: quod amplector. Coniungit hæc enim ſæpenumero TVLLIVS. Non longe abiero, hoc ipſo libro ſtatim: *Nihil enim habet natura praeſtantius, nihil quod magis expetat, quàm honeſtatem, quàm laudem, quàm dignitatem, quàm decus.* Et in Muraeniana *Summa eſt in vtroque honeſtas, ſumma dignitas.*

Infra eſt: *Ferri non poteſt: natura non patitur*; duo codices antiqui: *Fieri non poteſt*. ſed cauſae nihil eſt vulgatam cur reiiciam.

Poſt: *Illud homini longe optimum eſſe, quod ipſum ſit optimum per ſe, à virtute profectum, vel in ipſa virtute ſitum, ſua ſponte laudabile: quod quidem citius dixerim ſolum quam ſummum bonum.* Laudo ſcriptam lectionem: *Quod quidem citius dixerim ſolum quàm non ſummum bonum.* Ita ferè lib. II. Finium: *Atque haec contra Ariſtippum, qui eam voluptatem non modo ſummam, ſed ſolam etiam dicit.*

Mox rurſum CICERO: *Ergo hos quidem vt famulos vinculis à cuſtodia arceamus: qui autem erunt firmiores, nec tamen vetuſtiſſimi, hos admonitu ſimili oportebit, vt bonos milites reuocatos dignitatem tueri.* Alter codex vetus, *Vinculis prope ac cuſtodia coërceamus.*

ceamus. Toletanae tamen membranae verbo *coërceamus* carebant, & ad ſequentia *oportebit dignitatem tueri* referebat. *Euocatos* autem legendum hic verbo militari nonnulli cenſuere, quibus nomen non ſubſcribo meũ. Ceterum pauca de multis exempla imperatoriae huius prudentiæ, qua milites in officio retinentur, & infrequentes ad ſigna aſſidui fiunt, Plutarchus in Fabio Maximo, noſterque De Viris illuſtribus ſcriptor, cap. XLIII. de Marſo quodam & Lucano, ſuppeditant.

CAP. XIV.

Ennij apud CICERONEM *verſus.* Ducere *in Auctionibus vſurpatum* Magni Dij.

PYRRHVS gratuito captiuos Romam remittendos ratus hoc eos apud Ennium Elegio ornat:

Quorum virtuti belli fortuna pepercit;
Eorundem me libertati parcere certum eſt:
Dono ducite: doque volentibus cum magnis DIs.

In poſteriore verſu ita interpungẽdum equidem exiſtimo: *dono, ducite*: vt verbum, non nomen ſit *dono*. Ducere autem in auctionibus, ſubhaſtatione, emptionibuſque vſitatam olim formulam fuiſſe è Iure-conſultis notum, cum dicerent *ducas licet* vnde genus illud loquendi manauit. *Vxorem domum ducere*, & conciſe *vxorem ducere*. Adhibebatur & in condemnatis & addictis,

dictis, vt & creditores domum ducerent debitores, qui ſoluendo aeri alieno non eſſent. Vnde in Legibus XII. Tabularum: AST QVEI ENDO IVS ADDICIT, SECVM DVCITO. Erat & altera bene precantium formula: *Cum magnis Diis.* Et: *Diis volentibus.* Plautus Milite glorioſo:

Agite, ite cum Diis beneuolentibus.

Et in Perſa:

Sequere hac mea gnata, cum Diis volentibus.

M. Cato lib. de re ruſtica, cap. XIV: *Cum Diuis volentibus, quod bene eueniat, mando tibi:* Maro . Aenid.

——ponuntque ferocia Poeni
Corda volente Deo——

Magni autem dij ſexu diuiſi, quaſi maiorum gentium, qui ceteris antecellerent, XII. numerabantur: quos Ennius diſticho complexus eſt apud Appuleium de Deo Socratis, & Marianum Capellam lib. de nuptiis Philologiae:

Iuno, Veſta, Minerua, Ceres, Diana, Venus; Mars
Mercurius, Ioui, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

ic *Ioui Opt. Max.* aſſeſſores duodecim attribu-i, vt cenſebat antiquitas. Demochares: ὦ)εόφραςε, Αθηναῖοι ἦσαν ἀλλ' ὀυχ ὁι δώδεκα θεοὶ οἱ ικάζοντες. Hinc Vitruuius prooemio Archi-ecturæ: *Cùm Concilium Caeleſtium in ſedibus im-ortalitatis eum dedicauiſſet;* & *Conſentes* idcirco ap-ellati, vt tradit Auguſtinus lib. IV. de ciuitate)ei, Arnobius libr. III. & L. Seneca libr. II. latural. quæſt. cap. XLI. Nec deſunt qui per os *Magnos Deos*, *Penates* & *Lares* intelligant, irgil. III. Aeneid.

——feror

——Feror exul in altum
Cum ſocÿs, natoque, Penatibus, & magnis Dîs.
Idem teſtatur Caſſius Hemina, aitque eos appellari μεγάλες, κὰι χρηςοὺς, κὰι δυνατοὺς. Vnde puto Aſconium Pedianum Lares vrbis Romae, *magnos Deos* interpretari. Macrobius de his & ad Senecam Tragicum Mart. Delrio noſter ὁ μακαρίτης plura ſuggerẽt, quae tranſſcribere non libet.

CAP. XV.

Tres illos Tragaediae principes Philoſophos fuiſſe, ex CICERONE *demonſtratum. Euripidem Anaxagorae dogmata tradidiſſe.*

NON ſolum Oratorum, ſed & Poëtarum optimum quemque è Philoſophorum ſpatiis exſtitiſſe obſeruaui. De Tragicis illis Graeciae Trium-viris in praeſens oſtendam. De AESCHYLO ſic TVLLIVS libr. II. Tuſcul. *Aeſchylus non Poëta tantum, ſed etiam Pythagoreus: ſic enim accepimus.* Cui etiam eum eſſe ab Athenienſibus tributum honorem memoriae eſt proditũ, vt vnius ex omnibus Tragicis fabulae ipſo etiam mortuo decreto publico docerentur. Sophocles vero qui μελίτλης ἀτλικῆς nomen inuenit, quo ſapientiae doctore ſit vſus adhuc quaerimus. Illud tantum adiungatur, quòd Ariſtoteles ait, ἀυ̃τὸν ἂν

ἐιναι

εἶναι μιμητὴν Ὁμήρου, qui Homerus Philoſophorum & Poëtarum prope Deus, ac parens eſt habitus. Hinc *Tragicorum Homerum* Polemon Sophoclem appellabat. De quo & illud Epigramma ſcriptum, quô reſpexerit & Demoſthenes:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης.

De EVRIPIDE vero, vnde potiſſimum nobis hæc nata obſeruatio, id extra omnem controuerſiam eſt, Anaxagoram aſſiduè audiuiſſe; teſte eodem TVLLIO Tuſcul. III. & Vitruuio lib. VIII. cap. I. cuius doctoris caſu territum (quòd Philoſophiae cauſa capitis arceſſeretur, dum ſolem candentem eſſe laminam diceret) à Philoſophia deſciuiſſe Euripidem ad Muſas referunt. Tragoediae tamen eius praeceptoris doctrinam ſapiunt. Sunt enim in eo omnia argutiora quam in ceteris, Philoſophiciſque & acutè inuentis ſententiis, vt iure optimo ſingulos verſus ſingulas eſſe gnomas CICERO ad Tironem iudicarit. Vtque in Athenaeo lib. VIII. Δειπνοσοφιστῶν, σοφὸς Σοφοκλῆς, ſic & σκηνικὸς φιλόσοφος ab Athenienſibus appellatus eſt Euripides, etiam apud Clementem lib. v. Stromat. & Origenem lib. IV. contra Celſum ἀλλὰ καὶ ὁ κατ' Ἀθηναίους σκηνικὸς φιλόσοφος καὶ φυσιολογίας τῆς Ἀναξαγόρου γενόμενος ἀκροατής. Ibidemque lib. VII. pag. 345. & apud Suidam. Refert quoque Plutarchus in extremo Nicia, Athenienſes in Sicilia captos qui γνώμας illius & ῥήσεις recitare noſſent, hoc quaſi redẽtionis pretio liberatos fuiſſe, cùm Euripidia publice Athenienſes docerentur.

Inter cetera verò Anaxagorae dogmata, haec in Euripide obſeruaſſe memini. Primum cum de caelo lapis cecidiſſet, & lapideum caelum Anaxagoras aſſeruiſſet, hinc Euripidem in Phaëtonte fabula dixiſſe χρυσέαν βῶλον εἰπεῖν τὸν ἥλιον, teſte Laërtio. Alterum περὶ τῆς ὁμοιομερείας. Sic enim materiam infinitam, ex qua omnia gignerentur, appellabat, eiuſque particulas eſſe ſimiles inter ſe & minutas, primo confuſas, poſtea in ordinem adductas à mente diuina, vt in Lucullo CICERO ait. Hoc namque modo librum ſuum orſum Anaxagoram idem docuit Laërtius, & Plutarchus I. de placitis Philoſoph. cap. III. ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν· Νοῦς δ' αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε. De quo T. Lucretius lib. I.

Principium rerum quam dicit ὁμοιομερείαν,
Oſſa videlicet è pauxillis atque minutis
Oſsibu'; ſic & de pauxillis atque minutis
Viſceribus viſcus gigni ſanguenque creari,
Sanguinis inter ſe multis coeuntibu' guttis.

Contra hoc diſputat Ariſtoteles li. III. de Caelo & I. Phyſico, vbi Simplicius hæc decerpſit, & Phyſicorum librorũ Anaxagorae principium aliud paullo refert, quam Diogenes: Ἀναξαγόρας δὲ ἔκ τινος μίγματος ἄπειρα τῷ πλήθει ὁμοιομερεῖ ἀποκρίνεσθαί φησι, πάντων μὲν ἐν παντὶ ἐνόντων, ἑκάστου δὲ κατὰ τὸ ἐπικρατοῦν χαρακτηριζομένου, δηλοῖ διὰ τῶν πρώτων τῶν φυσικῶν λέγων ἀπ' ἀρχῆς. ὁμοῦ χρήματα πάντα ἦν ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα. καὶ γὰρ τὸ σμικρὸν ἄπειρον ἦν, καὶ πάντων ὁμοῦ ὄντων ἦν ὑπὸ σμικρότητος. Et paullo poſt: τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων χρὴ δοκεῖν εἶναι πολ-

λάτε

λάτε καὶ παντοῖα ἐν πᾶσι τοῖς συγκρινομένοις, καὶ σπέρματα πάντων χρημάτων καὶ ἰδέας παντοίας ἔχοντα, καὶ χρόιας καὶ ἡδονάς, &c. nam de *Mente*, quae idem colligit interpres tráſſcribere non lubet. Redeo ad Euripidem, qui Anaxagora praeceptore capitis damnato ad Socratem ſe in Academiam contulit, non intelligēdi modo, ſed & dicendi magiſtrum ea tempeſtate optimum. Ita enim Laërtius Diogenes. ἐδόκει συμποιεῖν τῷ Εὐριπίδῃ ὁ Σωκράτης, ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησί.

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
Ὧι καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

καὶ πάλιν. Εὐριπίδης Σωκρατογόμφους, καὶ Καλλίας πεδήταις

Ἤδη σὺ σεμνὴ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα;
Ἔξεστι γάρ μοι. Σωκράτης γὰρ αἴτιος.

Ἀριστοφάνης Νεφέλαις:

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
Τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐστι τὰς σοφάς.

Ἀκούσας δὲ Ἀναξαγόρου κατά τινας, ἀλλὰ καὶ Δάμωνος, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν διαδοχαῖς, μετὰ τὴν ἐκείνου καταδίκην διήκουσεν Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ, οὗ καὶ παιδικὰ γενέσθαι φησὶν Ἀριστόξενος. Quin etiam hoc ipſum Euripidem ſatis innuiſſe conſtat, cum animi ingenui ſit, minimeque anguſti agnoſcere per quem profeceris. Sic enim in Theſeo loquentem neſcio quem inducit:

Ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
Εἰς φροντίδας νοῦν συμφορὰς τ' ἐβαλλοίμην.

Quae ſic M. T V L L I V S reddidit Tuſcul. III.

Nam qui haec audita à docto meminiſſem viro,
Futuras mecum commentabar miſerias.

Et initio Menalippae lib. II. ἐσχηματισμένως, niſi quòd illic praeceptori; hîc verò Philoſophiae parenti optimae accepta haec referre videatur:

Καὶ οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα
Ὡς οὐρανὸς γαλαξημορφία.

Quem verſum alterũ, vt id ἐν παρόδῳ admoneam, ſic in veteri cod. ſcriptum vidi:

Ὡς οὐρανὸς γαῖα τ' ἀμορφία.

Theod. Canterus, homo doctiſſimus, in variis Lect. ex Diodori li. I. Bibliothecae ſic repoſuit:

Ὡς οὐρανὸς γαῖα τ' ἦν μόρφη μία.

Sententias vero, vt diximus, Tragicus iſte ſaepe adhibuit, vt teſtante Tullio Epiſt. ad Tironem libertum, verſus propemodum adaequarint. Hoc amplius, vt in Criticorum reprehenſionem, Philoſophica toties miſcuiſſe Euripidem in Hecubâ potiſſimũ, incurriſſe referat Theon Sophiſta in Progymnaſmatis, his verbis: Πρῶτον μὲν Ὅμηρον ἐπαινοῦμεν ὅτι οἰκείους λόγους περιτέθηκεν ἑκάστῳ τῶν εἰσαγομένων προσώπων. τοῦ δὲ Εὐριπίδην καταμεμφόμεθα, ὅτι παρὰ καιρὸν αὐτῷ Ἑκάβη φιλοσοφεῖ. Huius etiam Medeam in lectica qua geſtabatur dum legeret M. TVLLIVS, capite trũcatum iuſſu M. Antonij à Popillio Laenate auctor eſt Ptolemaeus Hephaeſtion lib. V. variae hiſtoriae in Photij noſtri Bibliotheca pag. Graec. 250. De SOPHOCLE autem vt triũm Tragicorum medio, inſignem locum Dionis Chryſoſtomi Orat. LII. qua Philoctetam componit appingere, non pigebit. ὅτε Σοφοκλῆς μέσος ἔοικεν ἀμφοῖν εἶναι. οὔτε τὸ αὔθαδες καὶ ἁπλοῦν

τὸ

ὸ τοῦ Αἰσχύλου ἔχων, οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ ἢ ϖολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου· σεμνὴν δέ τινα καὶ μεγαλοϖρεπῆ ποίησιν, τραγικώτατα καὶ εὐϖρεπέστατα ϛουσαν, ὥστε πλείστην εἶναι ἡδονὴν μετὰ ὕψους καὶ σεμνότητος ἐνδείκνυσθαι. τῇ τε διασκευῇ τῶν πραγμάτων ἀρίστῃ καὶ ϖιθανωτάτῃ κέχρηται.

C A P. X V I.

ꟾICERONIS *lectio in Epiſt. ad Famil. retenta atque defenſa.*

MIRVM in modum lacer ac mutilus quorundam audacia iacuit TVLLIVS, ım demendo, addendo, mutando nitorem ꞉formāt ac robur ex parte ſuccidunt. Multa]uidem ab aliis repudiata retineri poſſe ob:ruaui, ſuumque in locum, *vnde vi* eiecta ſunt :ducenda nunc duxi: vt quae in Epiſtolis ϛοράδην legendo ad oram libri mihi & Muſis dnotaram, veluti Satura lance iuuentuti apɔnam. Ita M. TVLLIVS lib. III. Epiſt. VI. ırum quas ad Familiares dedit, Appio Pul:o; *Ego*, inquit, *in prouinciam veni pridie Kal. Sexes. Iter in Ciliciam facio per Cappadociam. Caſtra oui ab Iconio pridie Kal. Septembreis.* Hic pro *Sepmbreis*, Lābinus in prima alteraque editione *꞉tiles* iterum legi vult, praeter hiſtoriae fi:m. Pridie enim Kal. Sextiles Laodiceam in :ouinciam veniſſe ſe teſtatur lib. v. ad Attiım, Epiſt. xv, & xx. & vltima, item alibi. Prie verò Kal. Septemb. ab Iconio caſtra CI-

CERO mouit, iterque per Cappadociam in Ciliciam faciens in extrema Cappadocia non longè à Tauro monte iuxta Cybiſtra oppidum caſtra poſuit, vt hic ait, & Epiſt. II. & IV. lib. XI. ad Famil.

Sequitur lib. VIII. Epiſt. x. M. Caelij, cuius ſunt omnes illius libri epiſtolae: *Illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano, de quo negant Caeſarem laborare, ſed Pompeium valde nolle, ne vacuus aduenienti Caeſari pateat.* Paul. Manutius, cetera optime de CICERONIS Epiſtolis meritus, hic argutatur, vt *τὸ negant* ſemel negationem, & iterum affirmationem ſignificet. Mihi hic geminata negatio *negant nolle* Latinorum ritu affirmare videtur: quaſi dicat Pompeium velle aiunt; Caeſarem verò minime laborare. Aſpera haec & affectata; fateor: ſed Cæliana ſunt, qui aſper & durus eſt habitus. Seruius vero Sulpicius elegantior paullo ſcriptor lib. IV. Epiſt. V. *Neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinae ſcientiam; ipſi ſe curare non poſſunt.* pro, *neque noli imitari.* Nam & hic fruſtra ſe torquet Manutius, vt ex *Noli* ſemel affirmationem, ſemel negationem contra Latinitatis vſum eliciat. Sed nō infrequēs antiquis ille ἐλλειπτισμός. M. Varro in Bimargo: *Qui non modo ignoraſſe me clamat, ſed omnino omnes Heroas negat neſciſſe*: pro ſciuiſſe negat. & lib. II. De vita Pop. Rom: *Qua abſtinentia viri mulieresque Romanae fuerint, quod à Rege munera eorum nemo noluerit accipere.* pro, *nemo voluerit.* Et C. Lucilius lib. XVII. Satyrarum:

Cetera contemnit, & in vſura omnia ponit

Non

Non magna: proprium vero nil neminem habere.

& apud Tibullum lib. IV. Sulpicia:

Non ego ſignaui quidquam mandare libellis:
Nec legat id nemo quàm meus ante, velim.

Epiſtola vero XIV. idem Caelius queritur de Appio Claudio Cenſore, vt et ſupra Epiſt. XI: *Perſuaſum*, inquit, *eſt ei Cenſuram tomentum aut vitrum eſſe.* Pet. Victorius *nitrum* de veteribus libris repoſuit, placetque Manutio, non ſatis hic alias aequus Victorio, & ex Ieremiae Prophetae cap. II. v. 22. *Si laueris te nitro*, &c. explanat. Quod autem *vitrum*, vt in editis legitur, ab vtroque reiicitur, valde equidem miror. vilis enim res vitrum fractum, quod ſulphuratis Iudæorum olim natio, & hodieque Romae permutare conſueuerat. Eius rei teſtes accipite. Iuuenalem Satyra V.

Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulphura vitro.

Statium Papinium lib. I. Siluarum de Saturn.

Illic agmina confremunt Syrorum:
Hic plebs ſcenica: quique comminutis
Permutant vitreis gregale ſulphur.

Item Val. Martialem lib. I. Epigramm. in Caelium, & lib. X. ad Priſcum:

Quae ſulphurato nolit emta ramento
Vitreorum proxeneta fractorum.

CAP. XVII.

In quincta CICERONIS *Tuſculana quaedam correcta.*

NON ſunt vſquequaque à Lambino ac Franc. Fabricio Belga inſigni, Tuſculanae diſputationes ſic perpurgatae, nihil vt noſtrae induſtriae relictum eſſe videatur. lib. v. qui eſt de Virtute ac beata vita, hæc notabam: *Sed ab antiqua Philoſophia vſque ad Socratem, qui Archelaum Anaxagorae diſcipulum audierat, numeri motuſque tractabantur, & vnde omnia orirentur, quóue recederent: ſtudioſeque ab his ſiderum magnitudines, interualla, curſus inquirebantur, & cuncta caeleſtia.* In vetuſtiſſimo quo ſum Toleti Carpetanorum vſus libro: *Curſus anquirebantur*, ἀρχαϊκῶς, & *quóue reciderent*: perbellè ſanè, hoc eſt, in quae ab interitu conuerterentur. Porro autem: *Quod ſi eſt, qui vim Fortunae, qui omnia humana, quaecumque accidere poſſunt, tolerabilia ducere.* rectius Longobardicae membranae, *quae cuiquam accidere poſſunt.* Qualis eſt ille P. Syri mimus:

Cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.

Mox in CICERONE: *Quod ex maiore parte vnamquamque rem appellari, ſpectariq́ue dicunt.* conſtanter in duobus libris *vnāquamque partem appellari.* Ariſtotelicum eſt axioma, in quo tamen nihil demuto, tantum veterem ſcripturam repraeſentare placuit. Ita enim paullo ante: *ex maiore parte pleraſque res nominari, etiamſi quae pars abeſſet.*

Rur-

Rurſum v. de Finibus : *Semper ex eo quod maximas partes continet, latiſſiméque funditur, tota res appellatur.* Mox, *in his tot ác tantis, atque etiam quae plura poſſunt accidere.* Lambinus, *ad quae etiam plura poſſent accedere.* Vetus Codex, ſublato gloſſemate ſic : *atque plura poſſunt accidere.* Infra non longe:

Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum.

Alter codex *attuſa* habet, à tundo: illud tamen verius eſt ex illo:

Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐπείρατο δόξαν

Sed funem reducamus lib. IIII. Tuſcul. Pacuuij Poëtae hos verſus, non CICERONIS (vt Muretus falsò exiſtimat, lib. VIII. Variarum) recitat, quibus liberiùs paullo Euripidis haec ex Oreſte fabula conuertit: quam cùm Tragicus fabulam doceret, reuocaſſe Socrates ob elegantiam fertur. Graeca ſic habent:

Ουκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲν πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος
Ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Pacuuius ita vertebat:

Neque tam terribilis vlla fando oratio eſt,
Neque fors, neque ira coelitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

——*Feror exul in altum*
Cum ſocijs, natoque, Penatibus, & magnis Dîs.
Idem teſtatur Caſſius Hemina, aitque eos appellari μεγάλες, καὶ χρηςοὺς, καὶ δυνατοὺς. Vnde puto Aſconium Pedianum Lares vrbis Romae, *magnos Deos* interpretari. Macrobius de his & ad Senecam Tragicum Mart. Delrio noſter ὁ μακαρίτης plura ſuggerēt, quae tranſſcribere non libet.

CAP. XV.

Tres illos Tragaediae principes Philoſophos fuiſſe, ex CICERONE *demonſtratum. Euripidem Anaxagorae dogmata tradidiſſe.*

NON ſolum Oratorum, ſed & Poëtarum optimum quemque è Philoſophorum ſpatiis exſtitiſſe obſeruaui. De Tragicis illis Graeciae Trium-viris in praeſens oſtendam. De AESCHYLO ſic TVLLIVS libr. II. Tuſcul. *Aeſchylus non Poëta tantum, ſed etiam Pythagoreus: ſic enim accepimus.* Cui etiam eum eſſe ab Athenienſibus tributum honorem memoriae eſt proditū, vt vnius ex omnibus Tragicis fabulae ipſo etiam mortuo decreto publico docerentur. Sophocles vero qui μελίτης ἀττικῆς nomen inuenit, quo ſapientiae doctore ſit vſus adhuc quaerimus. Illud tantum adiungatur, quòd Ariſtoteles ait, ἀυτὸν ἄν

εἶναι μιμητὴν Ὁμήρου, qui Homerus Philoſophorum & Poëtarum prope Deus, ac parens eſt habitus. Hinc *Tragicorum Homerum* Polemon Sophoclem appellabat. De quo & illud Epigramma ſcriptum, quô reſpexerit & Demoſthenes:

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερος δ' Εὐριπίδης.

De EVRIPIDE vero, vnde potiſſimum nobis hæc nata obſeruatio, id extra omnem controuerſiam eſt, Anaxagoram aſſiduè audiuiſſe, teſte eodem TVLLIO Tuſcul. III. & Vitruuio lib. VIII. cap. I. cuius doctoris caſu territum (quòd Philoſophiæ cauſa capitis arceſſeretur, dum ſolem candentem eſſe laminam diceret) à Philoſophia deſciuiſſe Euripidem ad Muſas referunt. Tragoediae tamen eius praeceptoris doctrinam ſapiunt. Sunt enim in eo omnia argutiora quam in ceteris, Philoſophicíſque & acutè inuentis ſententiis, vt iure optimo ſingulos verſus ſingulas eſſe gnomas CICERO ad Tironem iudicarit. Vtque in Athenaeo lib. VIII. Δειπνοσοφιστῶν, σοφὸς Σοφοκλῆς, ſic & σκηνικὸς φιλόσοφος ab Athenienſibus appellatus eſt Euripides, etiam apud Clementem lib. V. Stromat. & Origenem lib. IV. contra Celſum ἀλλὰ καὶ ὁ καλούμενος σκηνικὸς φιλόσοφος καὶ φυσιολογίας τῆς Ἀναξαγόρου γενόμενος ἀκροατής. Ibidemque lib. VII. pag. 345. & apud Suidam. Refert quoque Plutarchus in extremo Nicia, Athenienſes in Sicilia captos qui γνώμας illius & ῥήσεις recitare noſſent, hoc quaſi redētionis pretio liberatos fuiſſe, cùm Euripidia publice Athenienſes docerentur.

Inter cetera verò Anaxagorae dogmata, haec in Euripide obſeruaſſe memini. Primum cum de caelo lapis cecidiſſet, & lapideum caelum Anaxagoras aſſeruiſſet, hinc Euripidem in Phaëtonte fabula dixiſſe χρυσέαν βῶλον εἰπεῖν τὸν ἥλιον, teſte Laërtio. Alterum περὶ τῆς ὁμοιομερείας. Sic enim materiam infinitam, ex qua omnia gignerentur, appellabat, eiuſque particulas eſſe ſimiles inter ſe & minutas, primo confuſas, poſtea in ordinem adductas à mente diuina, vt in Lucullo CICERO ait. Hoc namque modo librum ſuum orſum Anaxagoram idem docuit Laërtius, & Plutarchus I. de placitis Philoſoph. cap. III. ὁμοῦ πάντα χρήματα ἦν· νοῦς δ' αὐτὰ διῆρε καὶ διεκόσμησε. De quo T. Lucretius lib. I.

Principium rerum quam dicit ὁμοιομέρειαν,
Oſſa videlicet è pauxillis atque minutis
Oſsibu'; ſic & de pauxillis atque minutis
Viſceribus viſcus gigni ſanguenque creari,
Sanguinis inter ſe multis coeuntibu' guttis.

Contra hoc diſputat Ariſtoteles li. III. de Caelo & I. Phyſico, vbi Simplicius hæc decerpſit, & Phyſicorum librorũ Anaxagorae principium aliud paullo refert, quam Diogenes. Ἀναξαγόρας δὲ ἐκ τοῦ ἑνὸς μίγματος ἄπειρα τῷ πλήθει ὁμοιομερῆ ἀποκρίνεσθαί φησι, πάντων μὲν ἐν παντὶ ἐνόντων, ἑκάστου δὲ κατὰ τὸ ἐπικρατοῦν χαρακτηριζομένου, δηλοῖ διὰ τοῦ πρώτου τῶν φυσικῶν λέγων ἀπ' ἀρχῆς. ὁμοῦ χρήματα πάντα ἦν ἄπειρα καὶ πλῆθος καὶ σμικρότητα. καὶ γὰρ τὸ σμικρὸν ἄπειρον ἦν, καὶ πάντων ὁμοῦ ὄντων ἦν ὑπὸ σμικρότητος. Et paullo poſt: τούτων δὲ οὕτως ἐχόντων χρὴ δοκεῖν εἶναι πολ-

λάτε καὶ παντοῖα ἐν πᾶσι τοῖς συγκρινομένοις, καὶ σπέρματα πάντων χρημάτων καὶ ἰδέας παντοίας ἔχοντα, καὶ χρόιας καὶ ἡδονάς, &c. nam de *Mente*, quae idem colligit interpres tráſſcribere non lubet. Redeo ad Euripidem, qui Anaxagora praeceptore capitis damnato ad Socratem ſe in Academiam contulit, non intelligẽdi modo, ſed & dicendi magiſtrum ea tempeſtate optimum. Ita enim Laërtius Diogenes. ἐδόκει συμποιεῖν τῷ Εὐριπίδῃ ὁ Σωκράτης, ὅθεν Μνησίλοχος οὕτω φησί.

Φρύγες ἐςὶ καινὸν δρᾶμα τοῦ τ' Εὐριπίδου,
Ὧι καὶ Σωκράτης τὰ φρύγανα ὑποτίθησι.

καὶ πάλιν. Εὐριπίδης Σωκρατογόμφους, καὶ Καλλίας πεδήταις

Ἤδη σὺ σεμνὴ καὶ φρονεῖς οὕτω μέγα;
Ἔξεςι γάρ μοι. Σωκράτης γὰρ αἴτιος.

Ἀριςοφάνης Νεφέλαις:

Εὐριπίδης δ' ὁ τὰς τραγῳδίας ποιῶν
Τὰς περιλαλούσας οὗτός ἐςι τὰς σοφάς,

ἀκούσας δὲ Ἀναξαγόρου κατά τινας, ἀλλὰ καὶ Δάμωνος, ὡς Ἀλέξανδρος ἐν διαδοχαῖς. μετὰ τὴν ἐκείνου καταδίκην διήκουσεν Ἀρχελάου τοῦ φυσικοῦ, οὗ καὶ παιδικὰ γενέσθαι φησὶν Ἀριςόξενος. Quin etiam hoc ipſum Euripidem ſatis innuiſſe conſtat, cum animi ingenui ſit, minimeque anguſti agnoſcere per quem profeceris. Sic enim in Theſeo loquentem neſcio quem inducit:

Ἐγὼ δὲ τοῦτο παρὰ σοφοῦ τινος μαθὼν
Εἰς φροντίδας νοῦν συμφορὰς τ' ἐβαλλοίμην.

Quae ſic M. TVLLIVS reddidit Tuſcul. III.

Nam qui haec audita à docto meminiſſem viro,
Futuras mecum commentabar miſerias.

 Et

Et initio Menalippae lib. II. ἐσχηματισμένως, niſi quòd illic praeceptori; hîc verò Philoſophiae parenti optimae accepta haec referre videatur:

Καὶ οὐκ ἐμὸς ὁ μῦθος ἀλλ' ἐμῆς μητρὸς πάρα
Ὡς οὐρανὸς γαλαζημορφία.

Quem verſum alterũ, vt id ἐν παρόδῳ admoneam, ſic in veteri cod. ſcriptum vidi:

Ὡς οὐρανὸς γαῖα τ' ἀμορφία.

Theod. Canterus, homo doctiſſimus, in variis Lect. ex Diodori li. I. Bibliothecae ſic repoſuit:

Ὡς οὐρανὸς γαῖα τ' ἦν μόρφη μία.

Sententias vero, vt diximus, Tragicus iſte ſaepe adhibuit, vt teſtante Tullio Epiſt. ad Tironem libertum, verſus propemodum adaequarint. Hoc amplius, vt in Criticorum reprehenſionem, Philoſophica toties miſcuiſſe Euripidem in Hecuba potiſſimũ, incurriſſe referat Theon Sophiſta in Progymnaſmatis, his verbis: Πρῶτον μὲν Ὅμηρον ἐπαινοῦμεν ὅτι οἰκείους λόγους περιτέθηκεν ἑκάστῳ τῶν εἰσαγομένων προσώπω. τοῦ δὲ Εὐριπίδην καταμεμφόμεθα, ὅτι παρὰ καιρὸν αὐτῷ Ἑκάβη φιλοσοφεῖ. Huius etiam Medeam in lectica qua geſtabatur dum legeret M. TVLLIVS, capite trũcatum iuſſu M. Antonij à Popillio Lænate auctor eſt Ptolemaeus Hephaeſtion lib. V. variae hiſtoriae in Photij noſtri Bibliotheca pag. Graec. 250. De SOPHOCLE autem vt trium Tragicorum medio, inſignem locum Dionis Chryſoſtomi Orat. LII. qua Philoctetam componit appingere, non pigebit. ὅτι Σοφοκλῆς μέσος ἔοικεν ἀμφοῖν εἶναι. οὔτε τὸ αὔθαδες καὶ ἁπλοῦν

τὸ

τοῦ Αἰσχύλου ἔχων, οὔτε τὸ ἀκριβὲς καὶ δριμὺ πολιτικὸν τὸ τοῦ Εὐριπίδου· σεμνὴν δέ τινα καὶ μεγαλοπρεπῆ ποίησιν, τραγικώτατα καὶ εὐπρεπέστατα υσαν, ὥστε πλείστην εἶναι ἡδονὴν μετὰ ὕψους καὶ σεμνότητος ἐνδείκνυσθαι. τούτῳ διασκευῇ τῶν πραγμάτων ἀρίστῃ καὶ πιθανωτάτῃ κέχρηται.

CAP. XVI.

CICERONIS *lectio in Epiſt. ad Famil. retenta atque defenſa.*

MIRVM in modum lacer ac mutilus quorundam audacia iacuit TVLLIVS, um demendo, addendo, mutando nitorem leformāt ac robur ex parte ſuccidunt. Multa quidem ab aliis repudiata retineri poſſe obſeruaui, ſuumque in locum, *vnde vi* eiecta ſunt reducenda nunc duxi: vt quae in Epiſtolis σποράδην legendo ad oram libri mihi & Muſis adnotaram, veluti Satura lance iuuentuti apponam. Ita M. TVLLIVS lib. III. Epiſt. VI. earum quas ad Familiares dedit, Appio Pulcro; *Ego*, inquit, *in prouinciam veni pridie Kal. Sextiles. Iter in Ciliciam facio per Cappadociam. Caſtra moui ab Iconio pridie Kal. Septembreis.* Hic pro *Septembreis*, Lābinus in prima alteraque editione *ſextiles* iterum legi vult, praeter hiſtoriae fidem. Pridie enim Kal. Sextiles Laodiceam in Prouinciam veniſſe ſe teſtatur lib. V. ad Atticum, Epiſt. XV. & XX. & vltima, item alibi. Pridie verò Kal. Septemb. ab Iconio caſtra CI-

CERO mouit, iterque per Cappadociam in Ciliciam faciens in extrema Cappadocia non longè à Tauro monte iuxta Cybiſtra oppidum caſtra poſuit, vt hic ait, & Epiſt. II. & IV. lib. XI. ad Famil.

Sequitur lib. VIII. Epiſt. X. M. Caelij, cuius ſunt omnes illius libri epiſtolae: *Illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano, de quo negant Caeſarem laborare, ſed Pompeium valde nolle, ne vacuus aduenienti Caeſari pateat.* Paul. Manutius, cetera optime de CICERONIS Epiſtolis meritus, hic argutatur, vt *τὸ negant* ſemel negationem, & iterum affirmationem ſignificet. Mihi hic geminata negatio *negant nolle* Latinorum ritu affirmare videtur: quaſi dicat Pompeium velle aiunt; Caeſarem verò minime laborare. Aſpera haec & affectata; fateor: ſed Cæliana ſunt, qui aſper & durus eſt habitus. Seruius vero Sulpicius elegantior paullo ſcriptor lib. IV. Epiſt. V. *Neque imitari malos medicos, qui in alienis morbis profitentur ſe tenere medicinae ſcientiam; ipſi ſe curare non poſſunt.* pro, *neque noli imitari.* Nam & hic fruſtra ſe torquet Manutius, vt ex *Noli* ſemel affirmationem, ſemel negationem contra Latinitatis vſum eliciat. Sed nō infrequēs antiquis ille ἐλλειπτισμός. M. Varro in Bimargo: *Qui non modo ignoraſſe me clamat, ſed omnino omnes Heroas negat neſciſſe*: pro ſciuiſſe negat. & lib. II. De vita Pop. Rom: *Qua abſtinentia viri mulieresque Romanae fuerint, quod à Rege munera eorum nemo noluerit accipere.* pro, *nemo voluerit.* Et C. Lucilius lib. XVII. Satyrarum:

Cetera contemnit, & in vſura omnia ponit

Non

Non magna: proprium vero nil neminem habere.
& apud Tibullum lib. IV. Sulpicia:

Non ego ſignaui quidquam mandare libellis:
Nec legat id nemo quàm meus ante, velim.

Epiſtola vero XIV. idem Caelius queritur de Appio Claudio Cenſore, vt et ſupra Epiſt. XI: *Perſuaſum*, inquit, *eſt ei Cenſuram tomentum aut vitrum eſſe*. Pet. Victorius *nitrum* de veteribus libris repoſuit, placetque Manutio, non ſatis hic alias aequus Victorio, & ex Ieremiae Prophetae cap. II. v. 22. *Si laueris te nitro*, &c. explanat. Quod autem *vitrum*, vt in editis legitur, ab vtroque reiicitur, valde equidem miror. vilis enim res vitrum fractum, quod ſulphuratis Iudæorum olim natio, & hodieque Romae permutare conſueuerat. Eius rei teſtes accipite. Iuuenalem Satyra V.

Quaſſatum, & rupto poſcentem ſulphura vitro.

Statium Papinium lib. I. Siluarum de Saturn.

Illic agmina confremunt Syrorum:
Hic plebs ſcenica: quique comminutis
Permutant vitreis gregale ſulphur.

Item Val. Martialem lib. I. Epigramm. in Caelium, & lib. X. ad Priſcum:

Quae ſulphurato nolit emta ramento
Vitreorum proxeneta fractorum.

Rurſum v. de Finibus : *Semper ex eo quod maximas partes continet, latiſſiméque funditur, tota res appellatur.* Mox, *in his tot ác tantis, atque etiam quae plura poſſunt accidere.* Lambinus, *ad quae etiam plura poſſent accedere.* Vetus Codex, ſublato gloſſemate ſic : *atque plura poßunt accidere.* Infra non longe:

Conſiliis noſtris laus eſt attonſa Laconum.

Alter codex *attuſa* habet, à tundo: illud tamen verius eſt ex illo:

Ἡμετέραις βουλαῖς Σπάρτη μὲν ἐκείρατο δόξαν

Sed funem reducamus lib. IIII. Tuſcul. Pacuuij Poëtae hos verſus, non CICERONIS (vt Muretus falsò exiſtimat, lib. VIII. Variarum) recitat, quibus liberiùs paullo Euripidis haec ex Oreſte fabula conuertit: quam cùm Tragicus fabulam doceret, reuocaſſe Socrates ob elegantiam fertur. Graeca ſic habent:

Οὐκ ἔστιν οὐδὲν δεινὸν ὧδ' εἰπεῖν ἔπος,
Οὐδὲν πάθος, οὐδὲ ξυμφορὰ θεήλατος,
Ἧς οὐκ ἂν ἄραιτ' ἄχθος ἀνθρώπου φύσις.

Pacuuius ita vertebat:

Neque tam terribilis vlla fando oratio eſt,
Neque ſors, neque ira coelitum inuectum malum,
Quod non natura humana patiendo ferat.

CAP. XVIII.

Epiſtolarum ad Familiares loca, contra Lambini ſententiam.

DION. Lambinus lib. xv. Epiſtolam nonam M. Marcello collegae male inſcripſit. C. enim Marcellus, ne erres mi Lector, CICERONI'S in Auguratu Collega fuit, non Marcus, vt paret è lib. I. de Diuinat. & Cariſio Soſipatro, quem editis longe meliorem poſſideo. Rurſum Epiſtola x. male legit *Cos. deſignatus.* Iam enim Conſulatum C. Marcellus gerebat, à quo CICERO hic petit, vt Senatuſ-conſultum quam-honorificentiſſimum de rebus à ſe in Amano monte geſtis, honoris ſui gratia, faciendum curet.

Rurſum lib. XVI. Epiſt. XXI: *Quid de Bruto dicam?* negat Manutius de M. Bruto, qui bellum ciuile percuſſo Caeſare inſtaurauit in Macedonia, intelligendum. Atqui diſerte hoc Plutarchus commemorat ex his ipſis, vt opinor, CICERONIS litteris: nec res eſt à fide aliena, hominem domo profugum, inopem initio & imparatum à pecunia, CICERONIS filio Athenis Atticis Cratippum audienti hæſiſſe, eique aures Latine declamitanti dediſſe. Sic enim Plutarchus in Bruto: *Diuerſatus eſt apud hoſpitem quendam ſuum.*

CAP.

CAP. XIX.

C. Trebatius & Cn. Matius Epicurei. Aſtute cogitare, & agere CICERO *dixit ex Epicureorum ſenſu.*

ASTVTE *agere*, pro maleuole, ſubdolè, cautè agere vel cogitare, dixiſſe videtur CICERO. Exempla ſubiiciam: Lib. II. Epiſt. XVI. *De Hiſpania, ſi caſu mihi exploratum eſt, ita eſſe vt tu ſcribis, nec quidquam aſtute cogito. Si quando erit ciuitas, erit profecto nobis locus,* &c. Vbi pro *aliter ac ſecus cogitare* ex Epicureorum ſententia. (niſi forte leg. *actute* pro quam tu.) Vt & Cn. Matius, Caeſaris familiaris, & Poëta mimicus, Epicureus, ad CICERONEM lib. XI. Epiſt. XXVIII. *Aiunt patriam amicitiae praeponendam eſſe; perinde ac ſi iam euicerint, obitum Caeſaris fuiſſe Reip. vtilem. Sed non agam aſtutè: fateor me ad iſtum gradum ſapientiae non perueniſſe.* Et lib. III. Epiſt. X. ad Appium Pulcrum: *Quod ſi id eſt maxime aſtuti, omnia ad ſuam vtilitatem referre, quid mihi tandem erit vtilius, quid commodis meis aptius, quàm hominis nobiliſſimi coniunctio?*

Ibidem Epiſtola, quæ antecedit, IX. ἐπικούρειον id vocat, quod hic *aſtutias*: quaſi aſtuti homines fuerint, & deceptores & cauillatores Epicurei, ſuis commodis, voluptatibuſque ſeruientes: *Maximam* inquit *laetitiam cepi ex tuis litteris, de ſpe minime dubia, & plane explorata triumphi tui: neque vero ob eam cauſam, quo ipſe facilius conſequerer, (nam id quidem ἐπικούρειον eſt) ſed me Hercle*

Hercle quod tua dignitas atque amplitudo mihi eſt ipſa curae per ſe. Sic enim ad C. Trebatium I. C. Epicureum iam factum, iocatur lib. VII. Epiſt. XII. *Sed quonam modo Ius ciuile defendas, cùm omnia tua cauſa facias non ciuium.* Aſtutè itaque agere & cogitare, vidêtur idem eſſe quod ἐπιχαρίζειν, ſua cauſa omnia facere, & commodis ſui ſeruire, omnia voluptate ſua metiri. Sic Plautus Truculento, Sc. *Num tibi. callidos* eos vocat, qui ſordido ſtudent lucro:

Ad ſuum quemque aequum eſt quaeſtum eſſe callidum. Epicurei autem callidi homines, à CICERONE vocantur *Aſtuti*, ab ἄςυ quo Athenienſis ſignificatur ciuitas, vbi docuit Epicurus.

CAP. XX.

Tuſculana quincta Notis variè percurritur.

QVAESTIONES Tuſculi habitae ſic doctis placent, vt dignae Chriſtiano homine videantur: quodque de Hortenſio Tullii colume Eccleſiae Auguſtinus dixit, CHRISTI hic nomen, praeterea nihil, deſiderari; idem de his libris confirmare poſſum. Placent autem praecipue ſumma & ima, hoc eſt, liber primus, qui eſt *de contemnenda morte*, & quinctus *de Vita beata* potiſſimùm differens. In hoc attentè legendo & cum antiquis libris comparando haec de multis optima, ſepoſui.

Ennij

nij hic de P. Cornelio Scipione occurrit logium:

Nemo eſt qui factis me aequiparare queat.

rovocabulũ *me* afuit recte à Longobardico odice Toletano, & durius reddit carmẽ. Subngit Orator: *Quod ſi beata vita glorianda eſt, & praedicanda, & praeſe ferenda eſt.* corrigit hic amb. repugnantibus, vt ſolet, libris omnious, *quod ſi eſt, ſola beata vita glorianda & pradicanda.* At mutare quid attinet? ductum enim ab adiunctis argumentum. Si eſt beata vita glorianda, etiam praedicare eam & oſtentare licet. Poſt ſtatim: *Similémne putas C. Laelij vnum Conſulatum?* Duo libri habent *ſimiléne putas.* Et rectius infra: *Sic cùm ſapiens & bonus vir, qualis ille fuit, ſuffragiis praeteritur non-populus,* &c. hoc eſt populus, qui populus non eſt. Quare neceſſe non eſt ἀνακόλυθον ibi cum eodem Dionyſio fingere: quamquam in TVLLIO quod infitias ire non poſſum, occurrat interdum.

Poſtea; *Sed dicendum illud idem paullo vberius videtur, plena gaudiorum ſunt.* E veſtigiis veteris ſcripturae videor pro meo iure eruere poſſe, quae longe concinnior eſt, lectionem, vt omnia rite ſequantur: *Sed illa (dicendum illud idem paullo vberius videtur) plena gaudiorum ſunt.* Supra paullo: *Etenim quae pars eſt optima in homine in ea ſitum eſſe neceſſe eſt, quod quaeris omnium optimum.* Lego de veteri libro: *Quod quaeris optimum.* Gloſſema itaque in inſulam deportetur. Infra quoque: *Quod hac diſputatione agitamus,* rectius *agimus* iidẽ praeferũt libri, vt ſacrorũ formulam

reſpi-

m philoſophum. Ego in duobus membraneis
iptum vidi, *non ignobilem nec inexercitatum phi-
phum*. Quae lectio prae illa placet, nam *Exer-
s* fere in aduerſis dicitur. Maro:

——*nate Iliacis exercite fatis*.

mque Pet. Victorio viro doctiſſimo vide-
ur. Medicum autem illum ex Oratore, non
CICERO innuit, Pruſienſem, Pompeij
ualem (de quo Plinius refert, reliquis fere
temporis illum repugnaſſe, quemque Ga-
us de Criſibus lib. III. ἕξιν ἀθλιολογικὴν ex-
uiſſe ſcribit) ſed Phliaſium illum, qui Me-
lemo Philoſopho tanquam Pylades alter
iliariſſime ſit vſus: dictique ambo primum
tilpone Eliaci, poſt à Menedemo Eretrieo
rici, vt nominat M. TVLLIVS III. de
atore, & Lucullo extremo: vbi tamẽ Lam-
us mutat, neſcio qua confidentia, *Eleatici*:
Graecè ſit Ηλιακοὶ, ἀπὸ τῦ πλείςανος ἠλεῖϛ:
Menedemo, quod is ἐρέβιεὺς fuerit, *Eretriaei*
ellati. Laërtius in Phaedone & Menede-
: ὁ μὲν 1οι Ασκληπιάδης πρακατέςρεψεν ἐν
δίᾳ γηραιὸς ἤδη συζήσας τῷ Μενεδήμῳ σφόδρα
λῶς ἀπὸ μεγάλων.

CAP. XXI.

ilitigatores *apud Plinium*. *M. Caelij pud* CICERONEM *locus expenſus.. Antiquitatis nimium ſtudioſi.*

I Caelius lib. VIII. Epiſt. V. ad CICE-
RONEM: *Si quid noui de Rep. quod tibi
ſcribe-*

ſcriberem haberem, vſus eſſem mea conſuetudine & diligentia, & quid actum eſſet, & quid ex eo futurum ſperarem, perſcriberem. Sanè tamquam in quodam in Cilicia omnia adhæſerũt. Scio ſummum Criticum lib. XII. Aduerſariorum cap. XVII. tentaſſe hic *in quodam tamquam cilicio*, è veſtigiis codicis Medicęi, è quibus Victorius ingenuè faſſus eſt, cùm nihil eruere poſſet, aliis ſe lampada, qui aut ab ingenio eſſent, aut à libris paratiores, tradere. P. Manutius, in cuius hic ſententiam Lamb. conceſſit, legebat *in quodam incili iam omnia adhæſerunt. Incilia* Feſto Pompeio & Vlpiano lib. XLIII. Pandect. Tit. de aqua quotid. cap. 1. foſſae ſunt, quae in viis fiunt ad aquã deriuandam, ſiue deriuationes de riuo communi factae: vt ab *inciendo encilia* vocent. Ingenioſa ſane vtraque coniectura, quis neget? ſed fortaſſe coactior eſt, & à re, qua de agitur, alienior. Octauius Panagathus, quem honoris gratia libenter appello, leg. putabat *tamquam in quodam lintre omnia adhæſerunt.* Si fas eſt quarto pedatu poſt tot, tantoſque viros ſententiam dicere, ex hiſce antiquae ſcripturae veſtigiis codicis Maffeiorum, *in quodam victilica omnia adhæſerunt*; commodius legi & elici poſſe arbitror: *in quodam fictili ea omnia adhæſerunt.* Fictilia enim vaſa, tv Flaccus ait, odorem ſemel imbuta retinẽt. Amicus quidam eruditus ſic: *tamquam in quodam iuſtitio, vel interſtitio.* Malim tamen, vt dicam ingenuè, reponi *tamquam in quodam, vitilitigio.* Cuius meae coniecturæ hãc rationem reddo. Primò, ſordes verborum in M. Caelio notari, orationemque antiquariã nimis illius fuiſſe, auctor

:or eſt M. Fabius ac Tacitus in Dialogo de ıtoribus; niſi is, vt equidem ſentio, Quinani eſt potiùs. Deinde M. Catonem priſcaı vocum, eiúſque aemulum C. Salluſtium, ?atorem *vitilitigationis* vocem vſurpaſſe è & excogitaſſe: vt Terentius *obſequium* pridixit, & alij alia vocabula confinxere, : & vtroque genere dicebant, neutro ac ineo ſexu, vt *obſidium* & *obſidio*: *Exercitatio* & *itium*, ſic & *vitilitigium* forſitan & *vitilitigatio*, vitioſa lite, calumnia, & alienarum rerum a cura, quam πολυπραγμοσύνην Græci noant: quale ſtudium eſt rabularum foren-ı, lites è litibus ſerentium. C. Plinius præd Veſpaſ. Aug. *Ergo ſecuri etiam contra vitilities, quos Cato eleganter ex vitiis & litigatoribus ıſuit. Quid enim illi aliud quàm litigant, aut litem unt?* Denique, diuinare enim quid vetat? orum hic inuouator priſcorum ſcripſit ıſſe *fictili lucra omnia adhaeſerunt*: qua forma ?tione proxima epiſtola dixiſſe videatur: *ıs omnes abſoluimus, &, Hercules, confecta omnia & inhoneſta ſunt.* Sed quis ſic, amabo, loqui-:ertè Caelius, non ipſe TVLLIVS.

CAP. XXII.

;ICERO *Tuſculana tertia ſaepius emendatus.*

ᴠSCVLANAE M. TVLLII diſputa:iones ſeſe mihi iam inde à puero pro-ıt: quòd multa in iis doctrina, & quidem à

H Chriſtia-

Chriſtiana religione non abhorrens. Quare nondum poenitet me operae in comparatione cum antiquiſsimo codice Longobardicis litteris exarato Toleti poſitae. Quin potiùs eum laborem ad plures manare volo, & quidem poſt Dionyſij Lambini diligentiam. *Iam ſit vt animus de ſe ipſe tum iudicet, cùm id ipſum quod iudicat, aegrotet.* Lambinus *quo iudicatur* repoſuit. Malo veterem ſcripturam *quo iudicat.*

Mox de Gloria: *Ea eſt conſentiens laus bonorum incorrupta vox bene iudicantium de excellente virtute. Ea virtuti reſonat, tanquam imago gloriae.* Turnebus hanc lectionem tuetur; Lambinus de ſuo mutat, *tamquam imago voci*, vt tamen dubitet vtrum ſequatur. Certe in vet. Cod. eſt *gloriae.* Tentabam igitur parua commutatione: *Ea virtuti reſonat, tanquam imago, gloria.* Vt ἐμφατικῶς repètat prouocabulum *ea.* vel ex ora irrepſerit *gloria.* Sic lib. I. *Virtutem gloria tamquam vmbra ſequitur.* Et Philipp. I. *Eſt autem gloria laus rectè factorum, magnorumq́; in Repub. meritorum;* vbi miror Faërnum maluiſſe: *in remp. fama meritorum.*

Poſt: *inſaniam enim cenſuerunt, id eſt inconſtantiam ſanitate vacantem.* Vet. Cod. *ſtultitiam enim cenſuerunt inconſtantiam idem* (fortè *item* vel *id eſt*) *ſanitate vacantem.* Sic ſup. paullo eaedem ſchedae: *Cùm verò parētib. redditi, id eſt magiſtris traditi ſumus,* melius, ni fallor, præferunt, *demum magiſtris traditi ſumus.*

Terentij Comici verſum ex Phormione: *Cōmunia eſſe haec, fieri poſſe, vt ne quid animo ſit nouum.* Credo CICERONEM aliter ea tempeſtate legiſſe. Sic enim in membranis reperi, aliter atque

ue in vulgatis Comici exemplis circumfe-
itur:
Communia eſſe haec: nequid horum vnquam accidat animo nouum.
t non longè admodum. *Et hoc ille Graeculus audiente Athenis ſenex Zeno.* Sic liber meus:
nebus tamen *aericulus*, Pet. Victorius ἀκρί-
ϐ reponebant. Sed non fit mihi veriſimile
aeco hic nomine vſum CICERONEM.
n placet coniectura Victoriana, quam & au-
i ipſi poſtea diſplicuiſſe audio. Lambinus
ni incertus, quô inclinat, ignorat. *Graculus*
uando tentaram, & fortaſſe non praeter
. Zeno enim, qui, vt Atlas coelum, fulcire
n porticum putabatur, & omnes Stoici in
ibus cudendis excutiendiſque ingenium
eprehenſionem vſque exercuerunt. Non
ge abiero, inf. lib. v. *Zeno*, inquit *Cittieus ad-quidam & ignobilis verborum opifex, inſinuaſſe ſe tiquam philoſophiam videtur*. Et lib. IIII. de Fi-
ad Catonem Stoicum: *Tuus ille Poenulus* (alij
lus.) *Scis enim Cittiaeos clientes tuos è Phoenicia ctos. Poenulum* appellat quaſi vafrum, & cal-
, & *Cittiaei* à Phoenicib. vt & Poeni, oriun-
eſte Laërtio in Zenone. Cui & à Polemone
robratum legimus: ὀυ λανθάνεις, ὦ Ζήνων, κηπαίαις παρεισρέων θύραις, κὴ τὰ δόγματα
ων φοινικικῶς καταμφιεννὺς. Valde vt mirer
atam illam lectionem amplexum Guil.
elium, hominem ceteroquin doctiſſ. *Scis citius clientes tuos.*
lox paullò pôſt: *Praeſertim, ſi & ante praeceptis contentus eſſet, nec mortem, nec Deos extimeſceret.*

Addidi quod ab editis exſulat, *nec mortem,* erat enim in membranis. Et verò M. TVLLIVS in diſputatione pridie habita auditori mortem eſſe contemnendam, vi veritatis extorſerat.

Statim: *Quid petam praeſidij, aut exſequar? quidve nunc exſilio aut fuga freta ſim?* Vetus cod. *quóve nunc auxilio exſilij aut ſuga.* Sed productior eſſet verſus: niſi fortè *quóve nunc exſilio aut fuga* ſcripſit poëta ille ἄδηλος; vel potius:

Qua nunc exſilij fuga freta ſim? Sic enim ſup.
Aut mortem acerbam aut exſilij moeſtam fugam,
Aut ſemper aliquam molem meditabar mali.

Quae ex illo Euripidis CICERO conuertit:

Φυγάς τ' ἐμαυτῷ πρόσιθείς πάτρης ἐμῆς,
Θανάτους τ' ἀώρους, καὶ κακῶν ἄλλας ὁδούς.

Infrà: *Ego ſum is qui dicam me non laborare: actum habiturum quod egerint.* Sic in vulgatis. Dionyſius ille tanquam imperioſus aedilis de plano pronuntiat: *Emendo libris omnibus inuitis, Ratum habiturum, nec enim alterum Latinum eſt.* O criticum audacem & confidentem! Ego videor ex antiquis membranis veram lectionem poſſe exſculpere, vna littera extrita, *actum abiturum quod egerint.* Ait CICERO, quidquid molientur finem eſſe habiturū. Nam & ipſe lib. v. Finium: *Hoc fortaſſe non poterat ſic abire.* Et Catullus ad Caluum: *Non nō hoc tibi ſalsè ſic abibit.* Et quem ſibi legendo familiarē CICERO effecerat, Terentius Eunucho: *Mirabar, hoc ſi ſic abiret.* Et, *Credin' te impune abiturū?* vbi tamē libri quidā *habiturū* præferunt, vt alibi: *Siquidē iſtuc impunè habueris.* Deinde: *Nimis iracundè agunt, praeſertim cùm ab his non ſanè animosè defendatur ſententia.* Lego de vetere libro,

claro

ıro ſenſu *non ſanè animoſa*. Qui enim iracun-
vt Epicurei ſolent, diſputant, animosè qui-
m, at illa de corporis voluptatibus non ſatis
›rum animoſa, nec viro digna ſententia eſt.
[nfrà: *Graeci in ſingulas ſcholas, & in libros ſingulos*
ertiunt. Opus enim quaerunt: quamquam planè diſ-
ıtionis ſunt, delectationis. Turnebus & Lambi-
; reponunt, *quamquam plenae diſputationes dele-*
ionis ſunt. Quorum illo facio, vt debeo, plu-
omnium hominum neminem; vincat ta-
n, cuius nos ſtudio capi conuenit, veritas.
er cod. meus: *quamquam plenae diſputationis de-*
:tiones ſunt. alter: *plenae diſputationis, delectationis*
. Licet, inquit plenam diſputationẽ ſcholae
e cõtineant, delectãt nihilominus. Sic li. v.
mne cognitũ eſt ſuperiorib. noſtris diſputationibus, an
tationis & otij conſumendĩ cauſſa locuti ſumus, &c.
.xtremo libro: *Hae ſunt illae fibrae ſtirpiũ, quas*
› dixi, perſequendae, & omnes elidendae, ne vlla vn-
ı poſſit conſiſtere. Lambinus coniicit *perſecãdae,*
ihil intentatum relinquat bonus vir, vbi
nen illud ἐυςοχίας experiatur, vt ex muſta-
laureolã colligat. Nos ſollemne illud ſer-
us, vt vulgatam, quà poteſt, tueamur, cùm
.codd. auctoritate, quae, vt eſſe debet, ſa
ãncta eſt apud me, tum eiuſdem T V L L I
io, & Maronis. Sic enim ille lib. proximo:
omnia iſta ex errorum orta radicibus: quae euel
& extrahenda penitus, non circumcidenda, ne
tanda ſunt. Et Virgil. II. Georg. v. 405.
m tum acer, &c. Et Perſius Sat. v.
ſce, ſed ira cadat naſo, rugóſaque ſanna
ım veteres auias tibi de pulmone reuello.

AND. SCHOTTI

NODORVM CICERONIS

LIBER III.

Perditum ire, comparare ſe. CICERONIS *Epiſtolae aliquot gloſsis ſublatis emaculatae.*

CAP. I.

TVLLIANAS Epiſtolas magno fructu terit iuuentus, nec, ſi me audiet, de manibus deponet, vt ſenſa mentis amico exponere Latinè poſſit, noménque paret, & amicos inueniat. Agedum, medicinam, ſi poſſumus, locis deprauatis adhibeamus. Lib. VII. Epiſt. 5. C. Trebatium Iureconſultum C. Caeſari Proconſuli de meliore nota commendans, ad ceteras, quas in eo laudat virtutes: *accedit*, inquit, *quod familiam ducit, in Iure ciuili ſingularis memoria, ſumma ſcientia.* Rectè & acutè vidit Pet. Victorius ſic legendum, non vt ad eam diem editum circumferebatur, *quod familiaritatem ducit.* Manutius quoque interpretandum putauit, atque adeò ſummus in litteris

Muretus

ıretus variis lectionibus in Prouerbiorum merum à Deſiderio praetermiſſum, refeıdum cenſuit. Nos in praeſens interpunıne planiorem locum ſic reddamus, *quod faıam ducit in Iure ciuili.* Significat enim in Iuırudentia Memoriam regnare, locúmque ncipem neceſſariò obtinere in tam vaſto um Rom. pelago, atque opinionum varie-e. Propriam enim eſſe Iuriſconſultorum ːmoriam ſaepe in libris de Oratore TVL-VS prædicat.

Lib. XIIII. Epiſt. I. ad Terentiam: *Per fortunas,* ıuit, *miſeras noſtras vide ne puerum perditum perda-ſ.* Si quod in his litteris, etſi perexiguum, iuium eſt meum, legendum exiſtimo: *ne pueı perditum eamus.* Scriptum fortaſſe erat ab perito librario: *perditum eramus*: acceſſit corꝛor ſemidoctus & *perditum perdamus* ſubiecit, triumphe, acclamans. At verò, quia puantia haec includunt,

Auditum admiſſi riſum teneatis amici?

ıantò rectius quod damus. Plautus enim ſic Amphitruone, & in extrema Aulularia:

Quamobrem ita faceres, meque meoſque perditum ires liberos.

in Andria Terentius:

Cur te is perditum?

Flaccus lib. I. Carminûm:

Vidimus flauum Tiberim retortis
Littore Etruſco violenter vndis
Ire deiectum monumenta regis,
Templaque Veſtæ.

Per fortunas autem praedicandi formula

 eſt,

eſt,qua & lib.III. ad Atticum Epiſt.xx. vtitur: *Ad quae recuperanda, per fortunas, incumbe, vt facis*. Rurſum lib. v. Epiſt. II. *Ne prouincia prorogetur, per fortunas, dum ades, quidquid prouideri poteſt, prouide*. Gloſſema porro lib. XVI. ad Tironem Epiſt. XI. tollendum arbitror: *Ex hac parte bellum diligentiſſimè comparatur*. Dele, me auctore *bellum*, ac furcis eiice, vt à Manutio factum video, inculcante rurſum Lambino,contra libros antiquos,quos inſpexi: itáque ſaepenumero CICERO cōciſè, vt Q. Fratri Epiſt. I. *Pompeius ſe comparat,homines ex agris arceſſit*. Ibidem: *Sed & illud te moneo,vt te ante compares, & quotidie meditere*. Item in Miloniana: *Milo pauliſper, dum ſe vxor,vt fit,comparat, commoratus eſt*. Inſequenti proximè Epiſt. XII. *Sin autem ille me ſuis conditionibus ſtare voluerit,bellum paratum eſt;eiuſmodi tamen,quod ille ſuſtinere non poſſit*. Vbi & nodus vindice dignus incidit. Nã vel *noluerit*, neganter legendum, vt in pleriſque libris, & *ſin* pro ſed ſi,interpretandum: vel *ſin voluerit*, pro *ſi non voluerit*, vt ſaepe aliàs. Illo tamen modo in ea ipſa Epiſtola legas: *Sin autem erit bellum, video me caſtris & certis legionibus præfuturum*. Quare videndum an *ſtare* hic dictum ſit pro *perſeuerare*, ac nolle de ſententia decedere. Vt in Quinctiana CICERO *perſeuerandi* verbo pro *perficiendi*, inuſitato eſt vſus modo, cum L. Siſenna, citante Nonio Marcello.

CAP.

CAP. II.

[Cr]aſſus & Caſſius. CICERO & Macrobius emendati.

[…] Caeſarem in Seruilia Bruti matre malè [..]. audiiſſe,& in Iunia Tertia Bruti ſorore & [Ca]ſſij vxore, auctor eſt Suetonius Tranquillus [..]. L.& Macrobius lib. II. Saturn. Vnde ma-[na]rit iocus ille Tullianus: *Equidem quo melius [empt]um ſciatis, comparauit Seruilia hunc fundum, Tertia [dedu]cta. Deductores enim & Perductores* audiũt malè [apu]d Comicos, vt amoris conciliatores, quos [Se]neca Rhetor *Pararium facere* ait, ſi mentem [a]equor. TVLLIVS quoque noſter in Ver-[re]m lib. III. quae de frumento eſt oratio: *Hic [A]ocimus, qui ad iſtum deduxerat Tertiam, Iſidori mi-[mi f]iliam, vt abductam ab Rhodio tibicine.* Haec autem [...]a *Tertia* Seruiliae filia, C. Caſſij, vt dixi, eius [qui] cum Bruto in Caeſaris percuſſoribus fuit, [vx]or erat, non C. Craſſi, vt in Macrobio malè [le]gatur. Emendandum itaque Dionis Caſſij [auc]toritate lib. XLIV. Hiſt. de Bruto ſic loquen-[tis]: Καὶ μετὰ τοῦτο τὸν Κάσσιον τὸν Γάϊον σωθέντα [μὲν] αὐτὸν ὑπὸ τοῦ Καίσαρος, καὶ προσέτι καὶ στρατη-[γίας] τιμηθέντα· τὴν δὲ ἀδελφῆς ἄνδρα ὄντα προσέλαβε. [Terti]a autem dicta eſt, Romanorũ more, quod [tert]io loco nata. Soror enim ipſius Caſſij M. [Lep]idi cõiux fuit. Nec deſunt homines doctiſ-[ſimi] omniſq; adeò antiquitatis peritiſſimi, qui [nequ]aquam ad Suetoniũ haerere fateantur in-[geni]è. *Seruilia* verò Iunij Silani vxor cũ eſſet,

 vt

vt Plutarchus in Catone Vticenſi refert, qui Cato Seruiliae frater vterinus erat, & auunculus Bruti: hinc odia Bruti & Caſſij in Caeſarem exarſerunt: quod huius vxorem, illius verò matrem ac ſororem adulteriis Caeſar polluiſſet. Quamobrem in eius caput, illis auctoribus conſpiratum eſt, tribúſque ac viginti vulneribus in curia Pompeiana confoſſus periit, cum deducta ad talos veſte, Brutum ſic nominatim compellans: καὶ σὺ τέκνον, vel vt alij, καὶ σὺ εἶς ἐκείνων ὦ τέκνον. Hactenus in *Caßij* nomine noſtra opera emendatus Macrobius erit. Contrà verò in *Craßi* nomine CICERO inſtaurãdus, lib. VII. Epiſt. XXIII. extrema: *Quaeſiui de mea Tullia, quid egiſſet: per Liciniam ſe egiſſe dicebat, ſed opinor Caßium non ita multum vti vxore*. Vbi reponendum cenſeo *Craßum*, quod Liciniae gentis cognomentum eſt, non *Caßius*. Soror enim eius *Licinia* hic appellatur: & verò feminas gentilitio ferè nomine dictas notum vel leuiter Romanarum rerum lectione tinctis. Nec enim placet quod quidam hic comminiſcuntur, vt quemadmodum *fratres* pro patruelibus aut cõſobrinis dici interdum ſolent, ita & *ſorores*: Quibus vt aſſentiar non prius, quàm locuplete id teſte comprobent, adduci poſſum, & ad Iureconſultos, quorum propria eſt ea Cognationum graduúmque tractatio, libens prouoco.

CAP.

CAP. III.

:rui ſapientiae. CICERO *illuſtratus. Epicharmus expreſſus, eiuſdemq́ Poetae allata plurima.*

CCVSATVS à Dolabella Appius Clau-
Ldius è Prouincia Cilicia rediens,de maie-
: & de ambitu poſtulatus, abſolutus eſt,
ıq́ue ad vrbem eſſet triumphum petens;
ılarque Dolabella ad poſtulandum, no-
ıque deferendum acceſſit, introiit in vr-
ı, & triumphi poſtulationem abiecit. M.
CERO hoc illi ſummae gloriae ac maxi-
:riumphi inſtar fore ait, ſi inimicis ſupera-
victor diſcedat: *Ages*, inquit, *victor ex ini-
rum dolore triumphum iuſtiſſimum. Ego enim
: video fore neruis opus ſapientiaq́ue tua, vehe-
er vt inimicos tuos poeniteat intemperantiae ſuae.*
ıutius & legit, & interpretatur, *neruis*,
s; item Lambinus, qui vulgatum de
ıdo condemnat. Ego verò contra ſen-
eámque retineo. Reſpexit enim ad Epi-
rmium illud, quod M. & Q. TVL-
ſ referunt: ſic enim ille lib. I. ad Attic.
t. XIX. *Vt crebro mihi vafer ille Siculus inſuſurret
ıarmus cantilenam illam ſuam*: Νῆφε καὶ μέμνασο
:εῖν, ἄρθρα ταῦτα τῶν φρενῶν. Quod carmen
eddidit Q. Frater de Petitione Conſulatus
Marcum: *Quamobrem* Ἐπιχάρμειον *illud teneto,
ıs atque artus eſſe ſapientiae non temere credere*. In
n ſentẽtiam elegans exſtat Dionis Chry-
ſoſtomi

ſoſtomi oratio,lõgè felicius à Ioachimo,quàm Thoma Naogeorgo conuerſa. Huc reſpexit,vt diximus,CICERO,habétque commodum ſenſum vulgata lectio, etſi neget id Victorius. Ad alteram verò dicti partem alluſit idem lib. II. ad Attic. Epiſt. XX. *Sed quia, vt video, pragmatici homines omnibus hiſtoricis praeceptis, verſibus denique cauere iubent, & vetant credere.* Ibi enim νήφειν vertit *cauere*, quod *vigilare* aliàs ſignificat. Reſpexit & eodem fortaſſe L. Munacius Plancus, lib. X. Epiſt. XXII. *Tu, mi* CICERO, *quod adhuc feciſti, idem praeſta, vt vigilanter, neruoſeque nos, qui ſtamus in acie, ſubornes.* Haec autem Epicharmi ſententia exſtat lib. XVII. Polybij, cuius ἀποσπασμάτια habemus,& apud Stobaeum ſermone III. ac Suidam, in verbo πρόχειρον, & in dictione νῆφε, quod exponit γρηγόρει, hoc eſt *vigila*: pro quo malim νᾶφε, & μέμνασο, pro μέμνησο, Dorica Siculáque dialecto, qua Epicharmum hominem Siculum vſum conſtat, cum Empedocle, Theocrito, aliiſque ciuibus. Eſt autem Trochaicum Catalecticum, qualia exſtant apud Stobaeum, & duo haec in ſecundo Commentariorum Xenophontis:

Τῶν πόνων πωλοῦσιν ἡμῖν πάντα τ' ἀγαθὰ οἱ θεοί,
Ὦ πόνηρε, μὴ τὰ μαλακὰ μώμεο. μὴ, τὰ σκληρ' ἔχῃς.

Eiuſdem eodem metri genere illa apud CICERONEM Tuſcul. I.

Emori nolo, ſed me eſſe mortuum nil aeſtimo.

Quod ex illo Graeco verſu Epicharmi CICERO conuertit, legiturque apud Sex. Empiricum: ἀποθανεῖν ἢ τεθνάναι δ' οὔ μοι διαφέρει.

Tertium

rtium item Epicharmi carmẽ citat M. TVL-
ſ lib. III. ad Q. Fratrem: *γνῶθι πῶς ἄλλῳ κέ-
ται. Fac ſciàs quo pacto ſe aduerſus alium geſſerit.*
tinebat & hoc ad amicitiae praeceptum:
primum illud eius dictum.

Quod autem dixerat CICERO *neruis opu*
rectè dictum eſt: nam & Nerui attribuun-
animo, vnde *Ingenij neruos intendere. Ingenium*
ntenderis valet. Et Terentianum fortè illud,
or ne in neruum erumpat. Sic & lib. v. Epiſt. I. ad
quatum: *Vereor ne conſolatio nulla poſſet vera*
riri, praeter illam, quae tanta eſt, quantum in cuiuſ-
animo roboris eſt atque neruorum. Et Actione II.
Verrem: *Magnum fortaſſe onus & mihi periculo-*
, verumtamen dignum, in quo omnes neruos aetatis
ſtriaeque meae contenderem.

CAP. IV.

lem domino probare. Patre, auo,
maioribus. *Elegans* TVLLII *in*
Epiſtolis locus caſtigatus.

CICERONIS Epiſt. II. ad Senatum Popu-
lumque Rom. lib. XV. emẽdatior per me,
ad eius fieri poteſt, legetur. Sic enim edi-
Monui Regem, [Ariobarzanem] *vt omnem di-*
iam ad ſe conſeruandum adhiberet, amicoſque in
eius fide atque iudicio probatos, hortatus ſum
ſui vitam, docti caſu acerbiſſimo patris eius,
cura cuſtodiaque defenderet. Deprauatus
l dubie, & à mala natus manu locus.

Victorius

Victorius ſuis in codicibus abeſſe monet *fidei* Manutius item in pleriſque eorum, quibus ad hoc CICERONIS volumen illuſtrandum eſt vſus, deſiderari affirmat: legendum tamen hic videri *amicoſque patris eius fide atque iudicio probatos*: hoc eſt, quibus pater eius fidem haberet, & de quibus optimè iudicare ſolitus eſſet. Cui ego, vt eruditiſſimo viro lubens aſſentirer, niſi contrà ſtaret veritas, cuius gratia vadimonium non eſt deſerēdum. Non enim, niſi quid iudicans fallor, vt *iudicium* alicuius de aliquo, ſic *fidem* alicuius de aliquo dixeris παθητικῶς. Melius ergo Victorius, cùm *in* delendum rectè cenſuiſſet, eiuſdémque libri τῷ *fide* carerent. Tentabat itaque *amicoſque patris eius iudicio probatos*; quia *fide probatos* non rectè hic opinabatur. Seruus enim fidem domino probare conatur, non domini fidem probare dicuntur. Ampliandum itaque & aliis emendandum reliquit. Equidem veſtigiis codicis Medicaei inſiſtens, emendabam: *amicoſque patris eius, auique iudicio probatos*. Nam ex *auique* librarij fecere *atque*, mox alius corrector deeſſe aliquid ratus; *fide* de ſuo infidus addidit. Veteres autē hoc loquendi modo vſos fuiſſe oſtendam. Sic enim ſupra hac ipſa Epiſt. narratur, Regem in CICERONIS caſtra veniſſe, cum Ariarathe fratre ſuo, & cum paternis amicis maioribus natu, vt & auo familiares iidem fuiſſe videantur. Et Philippica III. L. Philippus: *Patre, auo, maioribus digniſſimus*. Item in Corneliana II. apud Aſconium Pedianum: *Quid? auunculus tuus clariſſimus clariſſimo patre, auo, maioribus*. Rurſum

ɔiſt. XXXIV. lib. XIII. *Lyſonem agnoui dignum & tre & auo*. Salluſtius in Catilinaria: C. *Gracchus, riſſimo patre natus, auo, maioribus, interfectus eſt, pro-r quaſdam ſeditionum ſuſpiciones.* Vbi *τὸ natus*, vt ɔſſem a hoc quidem loco ὀβελίζω.

CAP. V.

ɔes *non* res *in pueris laudata*. CICE-RONIS *de Repub. libri cur Dialogi inſcripti.*

Q VOD de ſpei bonae indole dici vulgo ſolet, ſumtum è CICERONE tradit Hieronymus Epiſt. VIII. quae ad Demetriam eſt, de tuenda Virginitate. Sic enim nor Orator apud Seruium Honoratum, ad eximum lib. VI. Æneid. in illud:

In tantum ſpe tollet auos —

mi, cauſa difficilis laudare puerum. Non enim res lauda, ſed ſpes eſt. Quæ miror equidem omiſſa à ſtis hominibus, qui diligenter TVLLII iqua, tamquam ſcalmos, collegerunt: quon alter, neſcio cur, partem eius incertis gmentis aſcripſerit, cum diſerte è Dialogo uius laudet. Puto ſane è libris *Cic. de Repub.* ſumtum. Fefellit collectorem, quòd Dialonumerum adſcriptum non videret, ſed ᾽ ἐξοχὴν libri de Rep. *Dialogus* nominantur, ɔd nulla diſputatio maiori ſit contentione empore habita, aut inter plures. Quod & iendialibus feriis, quae fuerant Tuditano quillio Coſſ. diſputatio ſit inſtituta, & in

nouem

nouem cum dies, tum libros res diſtributa, pòſt ad tres tantùm dies reuocata; vt ex eiuſdem Laelio colligo: & in ſex demum libros redacta, vt ex III. de Legibus ipſe CICERO, Macrobius, & Grammatici teſtantur. *Dialogum* autem ſimiliter vocat hos libros Rufinus de Metris, Diomedes, ac plerique omnes. In hos autem libros ſcripſiſſe Victorinum autumo, ex eodem Hieronymo Apologia altera in Rufinum: vbi Victorinus *in Dialogos ſcripſiſſe fertur*, quod de his Rerumpublicarum libris accipio: vt Volcatiū in Orationes Tullianas, & Appianum in Virgilium ſcripſiſſe conſtat. Platonem autem in his libris tranſſcribendo ſecutus Orator eſt, vt in Officiis Panaetium, & in Conſolatione Crantorem, teſte Plinio in Praefat. Natur. hiſtor: CICERO, inquit, *in libris de Rep. Platonis ſe comitem profitetur: in Cōſolatione filiae,* Crantorē inquit ſequor: *Item Panaetium de Officiis.* Plures autem perſonae inductae. In primis Laelius, vt è fragmentis apparet, & Agellio lib. I. cap. XXII. Fannius quoque, vt ex Epiſt. XV. lib. IIII. ad Atticum: *Diſputationem,* inquit, *quam inſtitui de Rep. in Africani perſonam, in Phili & Laelij, & Manilij contuli. Adiunxi adoleſcentes Q. Tuberonem, P. Rutilium, duos Laelij generos, Scaeuulam & Fannium.* Eoſdem ferè nominat lib. III. Epiſt. V. ad Q. Fratrem. Pugnat tamen ſecum CICERO, qui in Laelio, ſeu De amicitia, Fannium diſputationi de optimo Reipublicæ ſtatu interfuiſſe negat, vt hoc ipſum μνημονικὸν σφάλμα ceteris adnumerandum videatur. De perſonis & interlocutoribus

is adhuc egimus: de reipſa atque inſtituto
putationis videndũ. Porro cùm puerorum
ſtitutio non minima,imò praecipua ſit opti-
e conſtitutae Reip. pars,de liberis educan-
CICERO etiam tractauit, vt locus ille à
allatus oſtendit: alter item Seruij in lib. x.
neid. è quincto de Repub. deſcriptus: *Apud
aecos opprobrio fuit adoleſcentibus ſi amatores non ha-
ent*: &: *Apud Spartanos rapere & clepere diſcunt.* &
bi: *Ad militiam euntibus dari ſolebant cuſtodes,à qui-
primo anno regerentur.*

CAP. VI.

ienſis pugna. Religioſus dies. *Vr-
bis captae annus.* CICERONIS *ad
Atticum locus defenſus. Varro emen-
datus, & Nonius à Turnebi caſtiga-
tione vindicatus.*

I Varro lib. II. de vita pop. Rom. *Vt noſter
exercitus ita ſit fugatus, vt Galli Romae Capi-
int potiti,neque inde ante ſex menſes geſſerint.* Vbi
int rectè emendauit I. Lipſius, Belgij ocel-
nemini paullulum modò humaniori ob
ulare ingenium, doctrinámque ignotus.
in laboris partem veniamus. Repono
ır *paenè*, pro illo *Romae*, traiecta, vt olim
lem ſcribi ſolet, diphthongo, ſic efflagi-
e hiſtoriae veritate. Roma enim excepta
Capitolina potiti Galli Senones, & abſ-

que Manlio fuiſſet anſeris ſtrepitu excito, arcem occupaſſent: vnde *Capitolini* cognomen honoris ergô familiae datum. CICERO VII. ad Atticum: *Noſtri olim Vrbe reliqua capta arcem tamen retinuerunt*. Sed quid teſtibus in aperta re vtar? Illud agamus, vt prius quàm de manibus CICERONEM depono, eius ope ter corruptum Nonij Marcelli locum, etiam in Iuniana ac Lutetiana editione inſtaurem. Sic enim in Religio. M. TVLLIVS *ad Atticum*: *Non maiores noſtri funeſtiorem diem eſſe voluerunt Alienſis pugnae, quàm Vrbis captae: quod hoc malum ex illo. Itaque aliter Religioſus etiam nunc dies, aliter in vulgus.* Lege meo quidem periculo: M. TVLLIVS *ad Atticum nono*: *Maiores noſtri*, &c. & mox, *Alter Religioſus e.n.d. alter in vulgus ignotus*. Prius mendum ſuſpicor natum ex compēdiis, vt fit, *non.* pro *nono lib.* vbi hodie haec leguntur epiſt.v. quibus ſi negationem addideris, pugnantia dixerit CICERO. Ego verò minuta hæc admonere ſuperſediſſem libens, niſi doctiſſimum Turnebum in errorē induxiſſent vox etiā omiſſa *ignotus*, Aduerſariorū lib.xxx. cap. IX. Dies enim neſcio quos *Vulgares* Religioſis oppoſuit, finxitque eos qui nullo omine obſceni eſſent. Ceterum *Religioſi dies* Maſurio Sabino apud Agellium, lib. IIII. cap. IX. quos propter ominis diritatem relinquimus. Deriuat enim ille à *relinquendo* Religionem, vt Caerimonias à *carendo*; TVLLIVS verò à *relegendo*, lib. II. de Nat. Deorum, vt à *ſuperſedendo* ſuperſtitionem: alij à *ſuperſtitibus*, quos à Diis precabantur: Nonius in *ſuperſtitioſi*. Quo autem die pugnata *Alienſis* ſit *pugna*,

in

hiſtoriis ambiguum. Tacitus enim xv. An-
lium A.D. XIIII. Kal. Sextil. quo die in Ka-
idario Farneſiano Romae eruto: LVCARIA.
nantur, quae Romani in luco celebrabant,
i permagnus inter viam Salariam & Tibe-
ı fuit, quòd victi à Gallis fugientes è prae-
ibi ſe occultauerant & NF. hoc eſt: *Nefaſtus*
rema parte diei, notatur. Meminit & Macro-
s lib. I. Saturnal. cap. IIII. & Feſtus in Lu-
ia. T. Liuius lib. VI. & Plutarchus in Camil-
A.D. XV. Kal. Sextil. cladem Alienſem ex-
tam narrat. Scriptor verò noſter de Viris
ſtribus, A.D. XVI. Kal. Aug. cui quamob-
ı aſſentiar libentius, ſic habeto. Pridie enim
; diei, hoc eſt poſtridie EID. QVINCTIL.
felici eius pugnae ſucceſſu ſacris opera-
ı auctor eſt Agellius lib. V. cap. XVII. Ma-
bius I. Saturn. cap. XVI. & Verrius Flaccus
IIII. de verb. ſignific. *Vrbe*, inquit, *à Gallis*
nibus recuperata L. Attilius in Senatu verba fecit,
ılpicium Trib. mil. ad Aliam aduerſus Gallos pugna-
m rem diuinam dimicandi gratia poſtridie EIDVS
: hinc exercitum pop. Rom. occiſione occiſum, & poſt
tertium eius diei vrbem praeter Capitolium ca-
eſſe. Hinc dies, qui ſint poſtridie Kal. Non. Eid.
dictos & habitos. Afranius in Fratriis apud
ıium dict. Atri dies: *Septembris heri Kalendae,*
atri dies. Virgilius VII. Æneid.

——infeſtum Allia nomen,

t, & M. Lucanus:

Et damnata diu Romanis Allia Faſtis.

:as enim moduli cauſa duplici LL. fluuij
ıen ſcribere obſeruauit Seruius: ceterum

Plutarchus Eidib. Februariis Gallos à Camillo expulſos, fugatoſque refert. Sex ergo amplius menſibus arcem Galli obſederunt. Nec minus variatum in Annalibus de anno captae Vrbis. Plutarchus enim incertum eſſe ait. Tantum conſtare captam Romam poſt annos amplius CCCLX. quàm condita eſſet. Dionyſius Halicarn. lib. I. ἀρχαιολογίας, ab exactis Regibus anno CXX. expleto. Plinius verò libro XXXIIII. cap. I. anno ab V.C. CCCLXIIII. His annum adiicit T. Liuius. Qui Faſtos nuper digeſſere Capitolinos, magno hiſtoriae & Antiquitatis commodo erutos, annum numerant CCCLXIII. poſt Rom. cond. Sed de his nos pluribus egimus in Vitis comparatis Ariſtotelis ac Demoſthenis. Ad hanc autem cladem refero illud Lucilij lib. XXII. Satyr. apud Nonium: *Populus Rom. victus vi & ſuperatus praeliis ſaepe eſt multis; bello verò numquam.* Et Caecilius apud Priſcianum in Comoedia ſic affatur: *Nullae nationi tot, tam continuas victorias, tam breui ſpatio datas arbitror, quàm vobis.*

CAP. VII.

Sagum. Res commodae. CICERONIS è *Xenophonte Oeconomia quà correcta, quà illuſtrata.*

ELEGANS Xenophontis de Oeconomia libellus eſt, quem de Graecis Latinum feciſſe M. TVLLIVM locuples teſtis Fabius: ſuo

io more tamen, vt non tam verba appende-
:, quàm reddere ſenſum voluiſſe videatur:
iꝺor Hieronymus Epiſt. ad Pammachium,
ıae eſt De optimo genere interpretandi.
lemque refert CICERONEM interpretatum
ori nomen fuiſſe, *Vniuerſae diſpenſationem domus*,
piſt. ad Algaſiam, Quaeſt. VI. (Et ex eo Iſido-
s lib. IX. Etymologiarum cap. IIII.) Rur-
mq; prooemio Chronici Euſebiani à ſe La-
iè conuerſi. Sic igitur CICERO beneficio
Columellae lib. XII. cap. I. de Re ruſtica ſer-
tus, de viri & mulieris ſocietate; quorum al-
ri audaciam in re augenda, propulſandáque
iuria; alteri verò timiditatem natura indide-
: eóque fieri, mutua vt opera indigeant.
ıae omnia Xenophontea ſunt, & in Ariſto-
is quoque, aut cuius ea ſunt, Oeconomicis
iùs leguntur: *Simplex igitur natura non omnes*
commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius
igere voluit: quoniam quod alteri deeſt, praeſto ple-
ıque eſt alteri. Ita CICERO, quae haud du-
ex his Xenophonteis expreſſa: Τὴν φύσιν
τρὸς πάντα ταῦτα ἀμφοτέρων ἐυ πεφυκέναι. διὰ
ῖ καὶ δέονται μᾶλλον ἀλλήλων, καὶ τὸ ζεῦγος ὠφε-
ώτερον ἑαυτῶν γεγένηται, ἃ τὸ ἕτερον ἐλλείπε-
, τὸ ἕτερον δυνάμενον. Quod cùm in commu-
vita vſu veniat, vt nemo non alterius indi-
it, recte eſt ab Homero dictum Odyſſ. θ.
ſ. 167.

Οὕτως οὐ πάντεσσι θεὸς χαρίεντα δίδωσιν
ἀνδράσιν, οὔτε φυὴν, οὔτ' ἄρ φρένας, οὔτ' ἀγο-
ρητύν.
ἄλλος μὲν γὰρ τ' εἶδος ἀκιδνότερος πέλει ἀνήρ.

Commodas autem *res*, quod Xenophon εὖ πεφυκέναι, pro ſolidis, integris atque perfectis dixiſſe videtur Orator, vt apud Nonium Lucilius in *Commodum:*

—— bis quino octoginta videtis
Commoda de Capua, quinquaginta atque nouena.

Hic Complutenſis Nonij codex ſcriptus præfert *—— atque ducenta.* Suſpicatuſque ſum reſcribendum: Lucilius lib. v. *—— octoginta videtis*, & *talenta* exaudio, vt obiter haec emēdem. Plautus in Aſinaria:

Viginti argenti commodas minas, eius quas dem matri.

Eidem Comico, *Commoda vir ſtatura*, qui Graecis τετράγωνος ἀνὴρ, P. Terentio & C. Lucilio *ſolidum corpus* pro compacto, firmóque, quod Graecis πυκνὸν: Celſo, & Columellae *quadratum corpus*: Suetonio in Tiberio, *iuſta ſtatura, & quadrata*, in Veſpaſiano. Plura Victorius lib. XIIII. Variarum Lect. cap. IX. & lib. XX. cap. XXII. *Commodas* igitur *minas* intelligo non accommodatas, ſed integras, vt nihil abſit. M. Varro Seſqui-Vlyſſe, apud Nonium in *Solidum. Vlyſſem nauibus duodecim domo profectum decem annos ſolidos erraſſe*, pro, decem ipſis annis, vt Latine dicimus, & totis atque integris. Quod verò mox ab eodem Columella adfertur de ſupellectile in orbem redigenda, mutilum eſſe obſeruaui: *Ac primum*, inquit, *ea ſecreuimus, quibus ad res diuinas vti ſolemus. Poſtea mundum muliebrem, qui ad dies feſtos comparatur; deinde ad virilem: dierum item ſollemnium ornatum.* Retraho

traho à fuga vocem ; *deinde ad bellum, virilem : dierum item ſollemnium ornatum.* *Sagum* veſtem militarem quae bello apta eſt, viro reponendam docet. Vera eſt emendatio ex his Xenophontis verbis : ἠρχόμεθα πρῶτον, ἔφη, ἀθροίζοντες οἷς ἀμφὶ θυσίας χρώμεθα, μετὰ ταῦτα κόσμον γυναικὸς τὸν εἰς ἑορτὰς διαφοροῦντα. ἐσθῆτα ἀνδρὸς τὴν εἰς ἑορτὰς, καὶ πόλεμον.

CAP. VIII

In eo poſita eſt fortuna. In eo ſunt omnia. TVLLIVS *lib.* xv. *ad Famil. illuſtratus.*

ROGAT CICERO Caſſium, vt & M. Marcellum antea Epiſt. VII. lib. xv. & L. Aemilium Paullum Epiſt. XIII. dent operam, ne quid accedat temporis ad Ciliciam prouinciam, quam & Senatuſ-conſulto & populus plebiſcito, anno poſt Rom. Cond. ↃCCII. annuum eſſe voluit : hoc, inquit, lib. xv. Epiſt. XIIII. *à te ita contendo, vt in eo fortunas meas poſitas putem.* Reſpexit, ni fallor, Demoſthenicum illud Prouerbij ſpecie vſurpatum; qui ab Aeſchine in celebri illa pro Cteſiphonte de Corona actione reprehenſus in verbo geſtuque cùm eſſet; iocans ita purgat : πάνυ γὰρ παρὰ τοῦτο (οὐχ ὁρᾷς) γονε τὰ τῶν Ἑλλήνων πράγματα, εἰ τουτὶ ῥῆμα,

ἀλλὰ μὴ τοῦτ᾽ διελέχθην ἐγώ. Negat *in eo poſitas fortunas Graeciae hoc an illud locutus ſit*, vt reddidit ipſe CICERO in Oratore perfecto. Deinde, quod identidem repetit: *Sic velim enitare, quaſi in eo mihi ſint omnia*, deprecans ne prouinciae tempus prorogetur. Idem etiam M. Caelium rogat lib. II. Epiſt. VIII. *Tibi cùm mea omnia commendatiſſima eſſe cupio, tum nihil magis, quàm ne tempus nobis prouinciae prorogetur. In eo mihi ſunt omnia.* Perfamiliare & hoc verbum Lucilio, *in eo omnia pono.* Sic enim apud Nonium Marcellum in *Proprium*, è lib. Satyrarum XVII.

Cetera contemnit, & in vſura omnia ponit
Non magna, proprium verò nil neminem habere.

Et lib. XX. Satyr. apud Lactantium lib. I. Inſtitut. cap. XXII.

Terricolas Lamias, Fauni quas Pompiliiq́ue
Inſtituere Numae, tremit has. hic omnia ponit.

CAP. IX.

Beneficium *pro culpa, apud Iuriſconſultos.* CICERONIS *in Timaeo locus vnus & item alter emendatus.*

DIVINI Platonis Timaeum, qui de vniuerſitate eſt, Latinè CICERO exſcripſit, vt ad rerum vbertatem verborum etiam copia creſceret, & luminibus Graecae facundiae magis, magíſque ſplendeſceret oratio, redderetúrq; copioſior. Denique vt Philoſophiam

atinis illuſtraret litteris. Eum Dialogum ad
ıeam ipſe vtilitatem cum Graecis Platonis
ɔmparaui, neque operam luſiſſe viſus ſum.
on longè à principio ſic editur: *Quid eſt quod*
nper ſit, neque vllum habet ortum: & quod gignatur,
c vmquam ſit. Quorum alterum intelligentia & ratio-
comprehenditur, quod vnum ſemper atque idem eſt:
'erum quod adfert opinionem per ſenſus rationis ex-
rs. Boëthius Seuerinus, Latinorum non con-
mnendus Philoſophus, Commentario ter-
ɔ in Topica Tulliana ſic legiſſe videtur: *Quo-*
m alterum intelligentiae ratione comprehenditur, al-
'um adfert opinioni ſenſus rationis expers. Poſt in
ıdem Graecè ſic editum video à Typogra-
ıorum ςεφάνῳ· καθ᾽ ὃ ὂν διόν τε ἀνελέγκτους προσ-
ει λόγους εἶναι καὶ ἀνικήτους. Ex Proclo in Ti-
aeum legendum coniicio, καθ᾽ ὃ ὂν διόντε. Ad-
ram & illud, de humanae vitae conditione:
inde vt huic animanti principem ſe ducemque prae-
'et, vitamque eius pulcerrimè regeret & guber-
'ret: niſi quatenus ipſe beneficiis ſua culpa ſibi ali-
d miſeriae quaereret. Sic de veteribus libris
mma accuratione in Gallia excuditur, cùm
mbini, tum Mich. Bruti opera. Ille tamen τὸ
eficiis vt gloſſema delendum putat; ſed tota
'at via, dum vt apud Poëtas Medea, *videt*
'iora probatque, Deteriora ſectatur. Nec de-
t, qui tentaret, *beneficij ſui culpa.* Repone me
tore: *quatenus ipſe beneficio ſuo ſibi aliquid miſeriae*
ereret. Erat enim vel in eo quod verſus di-
ıit interuallo, aut certè ad oram adſcripta
ɔlanatio, *id eſt culpa ſua*, qua vocem rariorem
: lectori antiquarius ſuggerit: haec, vt fieri
I 5 amat,

amat,quia notior eſt,in contextum ſeriemque irrepſit: Altera verò in antiquis libris, etſi deprauata nonnihil, remanſit. Quare poſtliminij iure locum reciperare actione. Vnde vi iubeo. Graecè enim eſt ἄïτιον. Sic enim Philoſophus: *Καὶ κατὰ δύναμιν ὅτι κάλλιστα καὶ ἄριστα τὸ θνητὸν διακυβερνᾷν ζῶον, ὅτι μὴ κακῶν αὐτὸ ἑαυτῷ γίγνοιτο ἄïτιον.* *Beneficium* enim veteribus illis Prudentibus, diſertiſſimis hominibus, ſequiore etiam notione vſitatum pro opera & culpa. Veniat in rem praeſentem Vlpianus L. Ex damno, XL. D. damn. inf. *Conſequens eſt*, inquit, *dicere detrimentum hoc; quod beneficio eius contingit.* Et L. Communi, VII. D. Com. diuidundo: *Quia haec pars beneficio alterius venditori acceſſit.* Idémque L. inter omnes, XLVI. D. de Furtis: *Competit enim actio non ideo, quia nunc abeſt, ſed quia vnquam beneficio furis afuerit.* Vocem itaque vt probam, notaeque melioris à fuga retrahamus. Sic & *Opera*, pro culpa Catullus, ac Probus Aemilius adhibent. Et *Honos*, pro κλέος, καὶ ὄνειδος, vtroque verſum vocabulum; vt iam lib. II. cap. VIII. ex Agellij lib. XII. Noctium docuimus.

CAP.

CAP. X.

Come dicere, *Auſonius* è CICERONE *illuſtratus*, *P. Terentius laudatus*.

CICERONIS poëmation, vt alia eiuſdem pleraque, intercidiſſe, quod *Limonis* apud Donatum inſcribitur, obſeruatum. Quia verò Terentium Comicum Orator ibi laudandũ ſuſceperat, à cuius aſſidua lectione minimè abhorruiſſe res ipſa clamat, equidem in eam veni ſententiam, vt vnius litterae immutatione *Libonis* nomine inſcribendum putarem, cùm in gentis Terentiae laudem carmen pangeret. *Terentius* enim *Libo Tregellanus* fuit poëta, ad quem & libros M. Terentius Varro miſiſſe dono dicitur. Quorum librorum primo *Terentius*, à *Tereno* Sabina voce pro molli deriuatur: vnde traductis hodie litteris *tenerum* manſit: quem librum laudat Macrobius lib. III. Saturnalium cap. XVIII. Vt enim Dialogos TVLLIVS, Platonis exemplo, principum perſonarum, quae inducuntur, nomine inſcripſit; ſic & Poemata quae pangebat: vt *Marium*, de quo Scaeuula dixit:

Caneſcet ſaeclis innumerabilibus.

Cuius etiam ſcripti ſui meminit Orator, lib. I. de Legibus, I. de Diuin. & lib. XII. ad Atticum. Antea quoque etiamnum puer *Pontiũ Glaucum* tetrà-

tetrametris luſit: quod poemation Plutarchi etiam aetate legebatur. Nunc autem intercidit, compoſitum tamen ad Aeſchyli imitationem: qui Tragicus ἐν τῷ Ποντίῳ γλαύκῳ citatur à Strabone, ab Athenaeo, aliiſque. Sed ad me redeo. Ciceroniani Poematij hoc reliquum à temporum iniuria, veluti naufragij tabula, conſeruatum eſt, continens praeſtantiſſimi Latinorum Comici P. *Terentij* Elogium:

Tu quoque qui ſolus lecto ſermone, TERENTI,
Conuerſum, expreſſumque Latina voce Menandrum
In medio populi ſedatu auribus adfers:
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Simile & C. Caeſaris verſibus editum exſtat de *Terentio* iudicium:

Tu quoque tu in ſummis, ô dimidiate Menander,
Poneris, & meritò, puri ſermonis amator.

Vim tamen maiorem in ea verborum lenitate, id eſt, πάθος, requirit idem, Graecorum Comicorum exemplo: & hoc etiam deeſſe Comico illi dolet. M. verò Terentius in Eteſin palmam tenere ait, vt in argumento Caecilium, & in ſermonibus (vt equidem Horatij auctoritate interpretor) dicteriis & ſalibus M. Plautum. Sed haec Critici viderint. Hoc tantum: M. TVLLIVM ab Auſonio Gallo expreſſum videri, in Protreptico ad nepotem:

Tu quoque qui Latium lecto ſermone, TERENTI,
Comis, & aſtrictus percurris pulpita ſocco.
Ad noua vix memorem diuerbia coge ſenectam.

Comis, non, vt quidam, pro Comice dixit vterque ſcriptor, mea quidem ſententia, ſed vt

Comiter

Comiter loqui dicimus: vnde & *Comitas*, facilitáſque morum.

C A P. X I.

Homerus è Platonis Rep. educitur vnctus & coronatus. CICERONI *lux allata. Minucij Felicis tentatus locus.*

MINVCII *Felicis*, cauſidici olim Rom. teſte Lactantio, Dialogus eſt in manibus, qui à principe perſona inducta *Octauius* inſcribitur; falſo hactenus liber octauus Arnobij habitus: qui B. Hieronymo auctore, ſeptem dumtaxat libros aduerſus Gentes plenos eruditionis reliquit. Minucius igitur, ſi non mole, ſed reapſe aeſtimes, magna aliorum pro Chriſtianis vincit volumina, cùm rerum copia, um dictionis venuſtate. Sic verò de Platoni:ae Reip. idea, qualis nec fuit, nec erit, diſſeens: *Poëtae ipſi permirum quantum veritati ipſi ſua uctoritate nocuere: Et Plato ideo praeclarè Homerum 'um inclytum, laudatum, & coronatum, de ciuitate, ıam in ſermone inſtituebat, eiecit.* Mendum, quod ınc locum inſediſſe videtur, quà poſſumus, :purgemus. An pro *laudatum, lautum?* Quod à ›rario immutatum, *lautum* & *lotum* dici igno-ıte, eámque cognationem quae eſt inter au ɔ, vt in *aula* & *olla*. An potius *lauatum*, vna mtaxat extrita littera ſubiiciam, haereo. ıid ſi ita? *inclytum lana tum coronatum. Lauatum* m ſimul & *coronatum* reponere hoc quidem

loco

loco vix auſim. Sane lana coronatum edúcit è ſua Republ. Plato. *Lautum* qui dicit, vnctum etiam exaudit. Haec enim inuicem comitantur. Vt autem in conuiuiis Hebraei, ſic Graeci, & Romani, cùm ſe inuitare liberalius vellent, & lautiùs epulari, loti in balneis, mox odoratis vnguentis delibuti ſertíſque redimiti accumbebant: pleni his Plautus, Catullus, Horatius, Propertius, Martialis, ceteri: ad eumdem modum cadauera lauari, & vngi, quo diutiùs integra ſeruarentur, conſueuerant. Q. Ennius:

Tarquinij corpus bona femina lauit, & vnxit.

Saepe etiam mortuo impoſita corona aurea, florida, vel oleaginea, vt diſcimus è CICERONE pro Flacco, Ariſtophane Εκκλησιαζούσαις, Plutarcho in Marcello, Luciano περὶ πένθους, Valerio Maximo lib. v. capite I. Dion. Halicarnaſſ. lib. v. & XI. Plinio lib. X. cap. 43. Chione Epiſt. ad Platonem, Artemidoro lib. II .. cap. XLIX.

Quia verò *Exſilium* mors quaedam ciuilis eſt, quo aqua & igni interdicitur, idcirco puto à Platone è Republ. quam fingebat, lautum, vnctum & coronatum eductum Poëtarum omnium iuxtà ac Philoſophorum propè Deum Homerum; veluti impietatis reum, quíque Deos fabuloſos confingeret, & Muſicam, quam immutari nefas eſſet, permutaret. Segeſtanas quoque mulieres, cum Dianae ſimulacrum exportaretur ex opido, quaſi exſulatum proficiſceretur, vnxiſſe, & coronis floribúſque ornaſſe auctor eſt TVLLIVS noſter

noſter lib. in Verrem IIII. qui de Signis eſt. Sed cur, quaeſo, à legiſlatore *lanea corona* vinctum Homeri caput, cum aurea mortuis aut florida imponi ſoleret? an ob Poëtarum mollitiem? Nodum qui ſoluerit, hic mihi μάντις ἄριστος, & magnus Apollo fuerit. Plato autem lib. III. Politicῶn de Poëtis: ἀποπέμποιμέν τε ἂν εἰς ἄλλην πόλιν μύρον κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχέοντες καὶ ἐρίῳ στέψαντες. Dionyſius Halicarn. Epiſt. ad Cn. Pompeium de Platone: Ὅμηρον ἐκ τῆς κατασκευαζομένης ὑπ᾽ αὐτοῦ πολιτείας ἐκβάλλει στεφανώσας, καὶ μύρῳ χρίσας. Maximus Tyrius Sermone VII. ἀλλὰ χρὴ στέψαντας ἐρίῳ τὸν ἄνδρα, καὶ χρίσαντας μύρῳ ἀποπέμπειν παρ᾽ ἄλλους. Et Sermone VIII. ἐγὼ μὲν γὰρ θαυμάζω καὶ ἐκπλήττομαι, ὅπως τὰ μὲν Ὁμήρου ἔπη τῆς θαυμαστῆς πολιτείας καὶ σοφῆς τῶν νέων ἀπεπέμψατο αὐτῷ Ὁμήρῳ στεφανώσας τὸν ποιητὴν καὶ χρίσας μύρῳ; αἰτιασάμενος τὴν παῤῥησίαν τῶν ἐπῶν. Quod & Euſebius lib. II. extremo Praeparationis Euangelicae de Platone tradit. Itémque Proclus Lycius, Commentario in Platonis Rempublicam Lucubrationis pro Homero cap. XIX. Theodoretus Cyrenſis Epiſcopus, λόγῳ α Θεραπευτικῆς. Ὅμηρον ὅμως τούτων τῶν φιλοσόφων ὁ ἄριστος, ἐπέγνωτε δήπου τὸν Ἀρίστωνος, ὡς ἡγοῦμαι, μύρῳ γε ἀλείψας, καθάπερ αἱ γυναῖκες τὰς χελιδόνας, ἐκ τῆς ὑπ᾽ αὐτοῦ ξυντεθείσης ἀπέπεμψε πόλεως: ἀκολασίας καλέσας καὶ δυσσεβείας διδάσκαλον. βλασφημεῖν γάρ φησιν ἐκπαιδεύειν τοὺς νέους, καὶ πονηρὰς αὐτοῖς περὶ τὸν θεὸν ἐντίθησι

δόξας

δόξας, καὶ ἁπαλοῖς ἔτι οὖσι μαθήματα πονηρὰ, καὶ ἐφθαρμένα ἐνίησι, καὶ ἕτερα ἄττα κατηγορήματα πάμπολλα ἐποιήσατο τοῦ κορυφαίου τῶν ποιητῶν. Idem repetit Therapeutica x. quod antea Dion Chryſoſtomus Orat. LIII. Κελεύει μάλα εἰρωνικῶς (fert. εἰρωνικός) ςέψαντας αὐτὸν ἐρίῳ καὶ μύρῳ καταχέαντας, ἀφιέναι παρ᾽ ἄλλους. τοῦτο δὲ αἰγύπτιοι ἔχες ἐπὶ τῶν χελιδόνων ποιοῦσιν. M. quoque TVLLIVS in iis libris, quibus in optimum ſtatum Reipub. anquirit, quoſque ad Platonis (cuius hic ſe comitem eſſe apud Plinium in Praefat. profitetur) exemplum expreſſit, Poëtarum principem educit lib. IIII. de Republ. apud Nonium in Fingere: *Ego verò eodem, quo ille Homerum, redimitum coronis, ac delibutum vnguentis emittit ex ea vrbe, quam ſibi ipſe fingit.* Et Tuſculana II. *Ad malam domeſticam diſciplinam, vitamque vmbratilem & delicatam cùm acceſſerint etiam Poëtae, neruos omnes virtutis elidunt. Rectè igitur à Platone expulſi dicuntur, & ex ea ciuitate, quã finxit ille, cùm mores optimos, & optimum Reip. ſtatum exquireret. Laudatum* tamen ſi quis in Minucio mordicus tuetur, non repugnabo, quia idem Proclus cap. XVIII. loca Platonis, quibus Poëtam laudet, colligit, vt & in Homeri laudatione Dion Chryſoſtomus.

CAP.

CAP. XII.

CICERO & *Claudianus Mamercus emendati, Plato in Phoedone conuerſus.*

FACIO libenter vt in Philoſophorum caſtra, etiam Latinorum, identidem diuertam, etſi CICERONI noſtro dictione ſint admodum diſſimiles, & duri adeò atque horridi: cùm vt rerũ cognitio inde hauriatur, tum vt è ſtyli comparatione, quod ille ait, —*quid diſtent aera lupinis*, melius appareat. Contraria enim inuicem comparata magis magiſque illuſtrantur. Dabo in praeſens ſpecimen, plura fortaſſis alias, in Claudiano Mamerco Vienneṅſium Galliae presbytero, de animorum à funere ſtatu differente: qui contrà atque Fauſtus Rhegienſis opinabatur, animos corporis expertes eſſe rectè ait. Verum perſananda hic non pauca ex optimis Neruiorum membranis, in Martiniana biblioth. Benedictinorum Sodalium à me inſpectis. Lib. II. cap. VII. Philoſophorum veterum recitans opiniones Platonis multa adfert: *Quo fit*, inquit, *vt mirari admodum dignè nequeam, huius Platonis animam, qui tantis equidem ſaeculis ante puerperinm Virginis, ante Incarnationem Dei, ante hominis reſurrectionem, ante praedicatam in Gentibus ſummae Trinitatis vnitatem ineffabilem, vnum, tres in Diuinitate perſonas, laudabili auſu, mirabili ingenio, inimitabili eloquio quaeſiuit, in-*

K *uenit,*

uenit, prodidit, Patrem Deum, paternamque mentem, artem, ſiue conſilium, & vtriuſque horum amorem mutuum, vnam, ſummam, aequiternam (malo *aeuiternam*) *indiuiſam diuinitatem, non ſolùm ita credi oportere docuit, ſed ita eſſe concinit.* Haec qui cùm editis committere volet plurima perſanata deprehendet, etiam in prima Baſilienſi Moſellani editione, quae longè eſt quàm triplex Pariſienſis lacunis plena, emendatior. Adhaec integrum etiam verſum, quibus omnes carent libri, à fuga retraximus. Statim: *Lyſiae ſimiles, quem Plato idem caſſa rerum verba fundentem in Phaedro eatenus increpet, vt eſſe deterius aſtruat gnarum verborum, ignarum eſſe cauſarum, quam neſcientem rerum, verba neſcire: potiùs arbitrans imperitum ſilentium loquaci imperitia.* Hic dubito auſimne de meo reponere: *Quam neſcientem rerum verba ſcire.* Nihil enim hic duo codices fauent: ſuſtineo itaque. Subiicit TVLLII locum è primo de Oratore, in quo legendum arbitror: *Eloquentia eſt ſcientia comprehenſarum rerum plurimarum, ſine qua verborum volubilitas inanis atque irridenda eſt.* Sic enim malo, quàm quod editur *comprehendarum*. Apud Platonem autem Lyſiae hic locus eſt qui à Socrate in Phaedro exagitatur: Περὶ μὲν τῶν ἐμῶν πραγμάτων ἐπίστασαι, καὶ ὡς νομίζω συμφέρειν ἡμῖν τούτων γενομένων ἀκήκcας. ἀξιῶ δὲ μὴ διὰ τοῦτο ἀτυχῆσαι ὧν δέομαι, ὅτι οὐκ ἐραστὴς ὢν σου τυγχάιω. ὡς ἐκείνοις μέν τοτε μεταμέλει ὧν ἂν εὐποιήσουσιν, ἐπειδὰν τῆς ἐπιθυμίας παύσωνται. Ibidem & alter Platonis; ſed è Phoedone, qui de immortalita-

te eſt animorum locus à Claudiano rectè conuerſus, ſed in editis mirè deprauatus legitur. Platonis itaque verba adſcribere non pigebit, nequis hic Phaedri nomen per errorem reponere pertentet. *Perſuadens igitur in Phoedone Socrati ſic ait vera ratio.* Ita enim interpungendum. Nunc diſertiſſimum Philoſophum audiamus: Ἕως ἂν τὸ σῶμα ἔχωμεν, καὶ ξυμπεφυρμένη ᾖ ἡμῶν ἡ ψυχὴ μετὰ τοῦ τοιούτου κακοῦ, οὐ μήποτε κτησώμεθα ἱκανῶς οὗ ἐπιθυμοῦμεν. φαμὲν δὲ τοῦτο εἶναι τὸ ἀληθές. μυρίας μὲν γὰρ ἡμῖν ἀσχολίας παρέχει τὸ σῶμα, διὰ τὴν ἀναγκαίαν τροφήν. ἔτι δὲ ἄν τινες νόσοι προσπέσωσιν, ἐμποδίζουσιν ἡμῶν τὴν τοῦ ὄντος θήραν, ἐρώτων τε καὶ ἐπιθυμιῶν, καὶ φόβων, καὶ εἰδώλων παντοδαπῶν, καὶ φλυαρίας ἐμπίπλησιν ἡμᾶς πολλῆς. ὥστε ὑπ' αὐτοῦ οὐδὲ φρονῆσαι ἡμῖν ἐγγίγνεται οὐδέποτε οὐδέν. Καὶ ἐκ τούτου ἀσχολίαν ἄγομεν φιλοσοφίας πέρι, διὰ ταῦτα πάντα. τὸ δ' ἔσχατον πάντων ὅτι ἐάν τις ἡμῖν καὶ σχολὴ γένηται ἀπ' αὐτοῦ, καὶ τραπώμεθα πρὸς τὸ σκοπεῖν τι, ἐν ταῖς ζητήσεσιν αὖ πανταχοῦ παραπῖπτον θόρυβον παρέχει καὶ ταραχήν, καὶ ἐκπλήττει, ὥστε μὴ δύνασθαι ὑπ' αὐτοῦ καθορᾶν τ' ἀληθές. Ἀλλὰ τῷ ὄντι ἡμῖν δέδεικται, ὅτι εἰ μέλλομέν ποτε καθαρῶς τι εἴσεσθαι, ἀπαλλακτέον αὐτοῦ, καὶ αὐτῇ τῇ ψυχῇ θεατέον αὐτὰ τὰ πράγματα. Καὶ τότε ὡς ἔοικεν ἡμῖν ἔσται οὗ ἐπιθυμοῦμέν τε καί φαμεν ἐρασταὶ εἶναι φρονήσεως, ἐπειδὰν τελευτήσωμεν, ὡς ὁ λόγος σημαίνει. ζῶσι δὲ οὔ. εἰ γὰρ μὴ οἷόν τε μετὰ τοῦ σώματος μηδὲν καθαρῶς γνῶναι, δυοῖν θάτερον, ἢ οὐδαμοῦ ἐστὶ κτήσασθαι τὸ εἰδέναι, ἢ τελευτήσασι

τότε γὰρ αὐτὴ καθ' αὑτὴν ἡ ψυχὴ ἔσται χωρὶς τοῦ σώματος, πρότερον δ' οὔ. καὶ ἐν ᾧ ἂν ζῶμεν οὕτως ὡς ἔοικεν ἐγγυτάτω ἐσόμεθα τοῦ εἰδέναι, ἐὰν ὅτι μάλιστα μηδὲν ὁμιλῶμεν τῷ σώματι, μηδὲ κοινωνῶμεν ὅ,τι μὴ πᾶσα ἀνάγκη. μηδὲ ἀναπιμπλώμεθα τῆς τούτου φύσεως, ἀλλὰ καθαρεύωμεν ἀπ' αὐτοῦ. Καὶ οὕτω μὲν καθαροὶ ἀπαλλαττόμενοι τῆς τοῦ σώματος ἀφροσύνης, ὡς τὸ εἰκὸς μετὰ τοιούτων τε ἐσόμεθα καὶ γνωσόμεθα δι' ἡμῶν αὐτῶν πᾶν τὸ εἰλικρινές. Quod ita reddidit Claudianus: *Donec corpus habeamus, permixtuſq́ ſit tali malo noſter animus, nunquam nos id quod iam olim concupiſcimus ſatis plenè conſecuturos. Concupiſcimus autem veri ſcientiam. Corpus enim nobis primum innumerabiles, & infinitas occupationes infert, quibus conterimur ob neceſſarium victum, & alimentum quotidianum. Deinde ſi qui morbi ingruerint impedimẽto ſunt, quo minus inquirere, & inuenire veritatem poſſimus. Iam cupiditatibus & cupidinibus, & timoribus innumerabilibus variarum rerum appetitionumq́ viſionibus, & infinita quadam dementia corpus oneratur, vt prae illo ne ſapere quidem vlla in re poſſimus. Et ſi quando tempus aliquod ad philoſophandum vacuum vel habuerimus vel fecerimus, tunc quoque in ipſis cogitationibus noſtris intercurrit, turbam errorum inferens menti, vt obcaecante illo veritatem peruidere non poſſimus. Itaque vnum hoc in omni quaeſtione nobis, & id quidem euidentiſſimè probatur. Si quid vnquam bona fide ſcire volumus, recedendum eſſe à corpore, & in ipſo animo res conſiderandas. Tunc enim videmur conſecuturi quod concupiſcimus, & cuius rei amatores nos profitemur. cùm defuncti erimus, nam dum viuimus deſperandum eſt. Etenim ſi conſtat nihil ſinceri mixtum corpori animũ praeuidere poſſe, ſequitur alterutrum, aut nullo tempore nec*

vſquam

vſquam contingere homini verā ſcientiam poſſe, aut tunc demum cùm exceſſerimus è vita. Defunctorum enim animus liber eſt, & ſolutus à corpore. Eo *autem tempore quo viuimus, ita demū appropinquabimus, applicabimurq́ue ſcientiae, ſi quàm minimum corpore vtamur, neque in ſocietatem eius, niſi quatenus neceſſe eſt, animum dimittamus. Ita enim minimè replebimur vitioſa, turbulentaq́ natura corporis, ſed puri à contagione eius, in quantum facere poſſumus, erimus.* Et *ſi ita fecerimus, incorrupti ſinceriq́ue digredientes, ad omnia incorrupta ſinceraq́ue veniemus.*

CAP. XIII.

Requirere, Terror. *L. Domitius. Q. Arrius, P. Varius. Nympharum aedes à Clodio incenſa.* Scantia & Sentia. Apronius & Aponius. *Miloniana ſaepius contra Lambini ſententiam caſtigata.*

IN Miloniana TVLLII, etſi longa ea oratio, vt quidem à CICERONE conſcripta eſt; quae habita lōgè breuior, teſte Fabio lib. IIII: cap. III. iure tamen prima omnium, auctore Pediano, cenſenda: In ea, inquam, luſtranda, comparandáque cum membranis, haec fortè, in quibus mihi cum Dionyſio Lambino minus conueniret, notabam. Cuius in limine edi. ſic video: *Haec noui iudicij noua forma terret oculos, qui quocunque inciderunt, veterem conſuetudinem fori,*

& priſtinum morem iudiciorum minimè vident. Obſeruo autem in M. Fabio lib. XI. Inſtitution. Orator. cap. III. & in antiquis calamo exaratis in extremo ſic legi, *Et priſtinum morem iudiciorum reqvirunt.* Vt legitimi verbi *requirunt* gloſſema additum videatur illud, *minimè vident.* Requirunt autem oculi quod non vident, ſentiúntque deeſſe. Sic & Aſconius Pedianus, eruditus ſanè TVLLII interpres, illud in Diuinatione in Verrem: *Nihil de ſuis veteribus ornamentis requiret*, interpretatur his verbis: *Non ſentiet ſibi deeſſe aliquid ex iis rebus, quas numquam habuit.*

Statim Orator: *Etſi contra vim collocata ſunt, adferunt tamen Oratori horroris aliquid.* Lambini editio Lutetiana anni CIƆ IƆ LXXII. qua nunc vtor, ad oram habet *honoris aliquid*, niſi ſi operarum id, vt ſuſpicor, σφάλμα eſt. M. Ant. Muretus è Vaticanis libris eam eruit lectionem, tametſi editiones libríque ſcripti conſtanter, omiſſa *horroris* voce, cum negatione legant: *Non adferunt tamen Oratori aliquid*; hoc eſt, nihil praeſidij vel adiumenti huiuſmodi Oratori adferunt, vt omni metu vacuus eſſe poſſit: quae Fr. Fabricij explanatio, etſi tacito eam nomine ferri poſſe neget Lambinus, equidem non reiiciendam cenſeo. Et mox *vt omni errore ſublato, rem planè quae venit in iudicium, videre poßitis.* Rectè eſt in membranis, *vt omni terrore ſublato.* Varius autem terror ab aduerſariis inferebatur, quam CICERO primum in tractatione propoſitionis Sillogiſmi tollit. Infrà:

frà: *Quod verò te Cn. Domiti, huic quaeſtioni praeeſſe voluit, nihil quaeſiuit aliud niſi iuſtitiam, grauitatem, humanitatem, fidem*. Repono ex auctoritate ſcripti libri *L. Domiti*, vt & in editis quibuſdam cuſum reperi, contra quorum auctoritatem Franc. Siluius, de Tullianis Orationibus non malè meritus, ex deprauato Aſconij codice, huic Domitio Cn. praenomen dedit. Mox: *At nunc P. Clodio mortuo vſitatis iam rebus enitendum eſt Miloni, vt tueatur dignitatem ſuam.* Proba eſt ſcripta in membrânis lectio: *At nunc P. Clodio remoto.* Et in editis mendum haerere pridem animaduertit doctiſſimus Victorius lib. XXI. Variarum, cap. vnde-viceſimo, putátque legendum pro illo. *At non. At verò P. Clodio mortuo*. Sed verius eſt *remoto.* Idémque contra priſcos libros poſtilla reponit: *Praeter hoc commune odium.* Retineamus itaque receptam lectionem, vtpote membranis ſubnixam: *praeter hoc ciuile odium*, quod *hoſtili* opponit, vt in ea pro Q. Ligario: *Non hoſtile odium ſed ciuile diſcidium*. Subiicit Orator: *Quid? quod caput audaciae eſt, iudices, quis ignorat maximam illecebram eſſe peccandi, impunitatis ſpem*. Etſi Hieronymus Ferrarius, homo pereruditus, τὸ *audaciae* vt gloſſema iugulat, placétque illi, *quod caput eſt*, quod adhibetur aliàs frequentius: quia tamen in manu ſcriptis eſt, retineo. Poſt non longè: *Vt Q. Arrius meus amicus dixit*. Praenomen Q. membranis acceptum eſt referendum: & verò *Q. Arrium* familiarem etiam ſuum nominat in Vatiniana.

Sic infrà P. *Varius* eſt reſtitutus, pro quo vulgò malè editur, *Cn.* aut *Q. Pompeius*. Item: *Quae poſtea ſunt in eum congeſta? quae quemuis etiam mediocrium delictorum conſcientia perculiſſent, vt ſuſtinuit Dij immortales?* Sic lego è membranis, ac tueor, & cur damnet Lambinus, equidem non video. Quid ni enim Latinè dixerim *criminum aliquem conſcientia percelli*, non ſecus atque *irâ, furiis, ac furore agitari?* Nec melius eſt, niſi quid iudicans fallor, quod ille ſupponit: *Quemuis enim mediocrium delictorum conſcium perculiſſet*. Sexta ab hinc pagella: *Eum qui aedem Nympharum incendit, vt memoriam publicam recenſionis tabulis publicis impreſſam extingueret*. Hic rurſum à Dionyſio diſſentiam neceſſe eſt, qui *publicae recenſionis* legendũ contendit. Mox animi dubius nunc hanc tuetur, nunc veterem praefert, quia, vt ait, antiquior eſt. Addam hoc amplius, quia CICERONI familiarior. In Caeliana enim de Sex. Clodio P. Clodij adminiſtro ſic ait: *Qui aedes ſacras, qui cenſum Populi Ro. qui memoriam publicam ſuis manibus incendit*. qui locus huic geminus eſt. In ea verò de Haruſpicum reſponſis extrema, de Nympharum aede incenſa: *Idemque*, inquit, *earum templum inflammauit Dearũ, quarum ope etiam aliis incendiis ſubuenitur*. Et Paradoxo IIII. in Clodium: *Aedes Nympharum tua manu deflagrauit*. Infrà: *Quid de muliercula Stantia: quid de adoleſcente Apronio dicam?* Feminae nomen in antiquis libris ſcriptum, partim *Sanctia*, partim *Sentia*. Hoc autem, vt *Scantiae* nomen, vt Romanum agnoſco, *Sanctiae* verò vt Hibericum hic repudio. Adoleſcentis verò nomen *Aponius* eſt

in

in iiſdem membranis, extrita canina littera. *Aponij* verò non pauci in antiquis marmorum inſpectionibus viſuntur, & Dio Caſſius lib. XLIII. Κοίνλον Απώνιον ἄνδρα ἱππέα nominat. Poſt locus eſt interpunctione ſanandus, breuius faciliúſque atque Lambinus tẽtauit: *Quae verò aderant iam & impendebant, quonam modo ea aut depellere potuiſſetis, aut ferre? Imperium ille ſi nactus eſſet (omitto ſocios, exteras nationes Reges, tetrarchas. Vota enim faceretis, vt in eos ſe potius immitteret, quàm in veſtras poſſeſſiones) veſtras pecunias, veſtra tecta dico? A liberis medius-Fidius, & à coniugibus veſtris nunquam ille effrenatas ſuas libidines cohibuiſſet.* Sic leget qui me audiet, etſi conatum aliorum & acumen non damno. Lambinus de ſuo nimis hic largus eſt: nec improbo quae tentauit verius in hoc loco inſtaurando, quàm abſoluit, optimus Victorius lib. xx. Variarum cap. XVIII. modò eruditi illi homines mihi viciſſim concedant, veterum vt librorum auctoritatem ex fide ſecutus ab iis ſine acerbitate diſſentiam.

CAP. XIIII.

Stemma Clodianum. *In Orat. pro M. Caelio, obſcuris lux data.*

IN Caeliana, qua aduerſus Atratinũ M. Caelium veneficij reum defendit, inducit Orator Ap. Claudium Caecum, P. Clodij acerrimi CICERONIS hoſtis abauum, ſic Clodiam ſororem eius impudicam, profligataeque libi-

dinis alloquentem : *Non patrem tuum videras? non patruum? non auum, proauum, atauum audieras Conſules fuiſſe?* Quibus in verbis, quia magnum interpretum in gente Claudia explananda ex ignoratione ſilentium apparet, quo diſcendi cupidis aliqua ex parte gratificemur, Clodij familiam, etſi de TVLLIO peſſimè meritam, pro virili repraeſentemus, parua cum temporis, tum chartae iactura, (ſi iactura ea appellanda eſt, vnde fructus exſiſtit:) compendio verò ingenti ac veluti face in abdita re atque obſcura, Hiſtoriaeque bono.

Igitur P. *Clodij*, eius qui è Patricia gente Claudia, adoptione in plebeiam, quo CICERONEM melius laederet, tranſiit, Pater fuit Appius Claudius. Pulcher; qui Conſul Romae fuit, cum P. Seruilio Iſaurico, anno Vrb. Cond. IↃCLXXIIII. Cuius de Aruſpicum reſponſis orat. initio ſic meminit: *Ea tela, quae collega patris immiſit, leuiora atque hebetiora videantur.*

Frater Clodij germanus Ap. Claudius Pulcher. Eius mentio lib. IIII. ad Atticum Epiſt. II. Dictus etiam adoptione *Metellus*: vt ex Oratione pro Domo, & Aruſpicina paret.

Patruus eius C. Claudius Pulcher, Coſ. cum M. Perperna fuit, anno poſt Ro. cond. IↃCLXI.

Auus, C. Claudius Coſ. cum M. Perperna fuit, anno IↃCXXIII.

Proauus C. Claudius, qui cum Ti. Graccho Coſ. fuit, anno IↃLXXVI. in Faſtis Capitolinis ſic nominatur C. CLAVDIVS AP. F. P. N. PVLCHER.

Abauus fuit Appius Claudius Caecus: de quo

quo CICERO in Tuſculanis, in Catone maiore, & in hac Caeliana.

Atauus, P. Claudius Pulcher, Ap. Caeci pater, Coſ. cum L. Iunio fuit, anno V.C. IƆIIII.

CAP. XV.

Sex. & P. Clodij, Tribu. pleb. impuri. Ligurrire. Ligurritio. CICERONIS *pro Domo ſua illuſtrata oratio. I. Lipſij coniectura confirmata.*

LIPSIVM, dum vixit, in oculis tulimus, à funere etiam obſeruamus, nuper admodum, magno ſui deſiderio relicto, in Domino maiorumque religione acquieſcentem. Is in Variis, quas iuuenis reliquit, CICERONIS noſtri plurima loca, quà deprauata reſtituit, quà obſcura illuſtrauit: adiungendo & Sex. Propertij poëtae elegantis quaedam, & M. Terentij Varronis togatorum doctiſſimi è Satyris Menippeis nonnulla. Atque vtinam vir tantus coeptum vrgere opus, vt poterat, voluiſſet; ſuperuacaneus fortaſſe, dicam Romanè atque ingenuè, omnis hic noſter labor, conatuſque fuiſſet: certè facem praeferre acuto limatóque iudicio, quo plurimùm valuit, vnus profecto potuiſſet. Qui poſt etiam edita Epiſtolica inſtitutione, auctor eſt hortatórque iuuentuti, vt M. TVLLIVM anno vno & item altero legant aſsiduè, verſent, manibúſq; ne deponant. Dehinc in Antiquis lectionibus

M. Plau-

M. Plautum recenſendum exiſtimauit; vt T. Liuium Epiſtolicis quaeſtionibus emendauit. Denique ad Corn. Tacitum ita ſe applicuit, ſolus vt de tot tantíſque edolaſſe, & obſcuri acutíque hiſtorici mentem tenuiſſe Pythagorica migratione videatur. Igitur in Variis, Valerij Catulli Epigramma LXXXII. non in P. Clodium, vt Mureto placuit, conſcriptum eſſe docuit, ſed in Sex. Clodium, eius in Tribunatu libidinum, legúmque ferendarũ adminiſtrum. Sic enim doctus ille poëta:

Lesbius eſt pulcher, quidni?

Hic *Gellius* alij ·edunt, qui & in gregalibus Clodij numeratur in Haruſpicina oratione: *Tam eminentibus canibus Scyllam, tamque ieiunis, quàm quibus iſtum videtis Gelliis, Clodiis, Titiis, veſtra ipſa mandentẽ.* Quo in Epigrãmate notari à poëta cenſet Lipſius Sex. Clodium, quem vt & TVLLIVS oderat, & Lesbium vocat: ſicut *Lesbiam*, quam perdite amabat, pro Clodia compellauit. Mos enim nomina amicarum commutandi poëtis veteribus perfamiliaris, quo furta tegerent homines impuri: quemadmodum Satyrici deflectere nomina ſoliti, vt mordere minùs videantur. Appuleius Apologia priore: *Eadem opera accuſent C. Catullum, quod Lesbiam pro Clodia cognominet: & Ticidam ſimiliter, quod, quae Metella erat, Perillam ſcripſerit.* Oſtendi id CICERONIS verbis, locíſque pluribus pro Domo poſſet, quando interpretes minus hic viderunt, tum hoc potiſſimum, quo P. Clodium ſic appellat: *Hanc tibi legem Sex. Clodius ſcripſit, ſpurciorem lingua ſua. Sexte noſter, bona venia dic, quoniam Dialecticus es,*

&

& hoc quoque ligurris, quod factum non eſt, vt ſit factum ferri ad populum; aut verbis vllis ſanciri, aut ſuffragiis, confirmari poteſt? hoc tu ſcriptore, hoc conſiliario, hoc miniſtro, omnium non bipedum ſolum, ſed etiam quadrupedum impuriſsimo Remp. perdidiſti.

Et longo ſatis interuallo: *Quaere hoc ex Clodio, ſcriptorem legum tuarum. Iube adeſſe. Latitat omnino: ſed qui requiri iuſſeris, inuenient hominem,* &c. Et in Caeliana hominem vocat *ſine re, ſine fide, ſine ſpe, ſine ſede, ſine fortunis, ore, lingua, manu, vita omni inquinatum.* Equidem confirmo Lipſij ſummi amici felicem coniecturam: propterea quòd iocatus eſt doctus poëta Veronenſis in *Pulchro* Claudiae gentis cognomine; cùm ait:

Lesbius eſt Pulcher, quidni?

Adhæc in Faſtis Capitolinis magiſtratuũ pop. Rom. ac triumphorum, frequẽs eſſe Pulchrorum cognomen Claudiis attributum inſpectanti manifeſtum, & proximo iam capite abundè oſtendimus. Genus autem libidinis turpiſſimum quo inquinatos Clodios Poëta & Orator noſter ſignificat, à me proferri pudor, vitaeque inſtitutum vetat: quo flagitio Tiberium Caeſarem, mõſtrum hominis, infamem fuiſſe auctor Tranquillus: vnde illud in Attellanis increbruit:

Hircum vetulum ore ligurrire.

Alterum item Catulli in Alphenum lepidum Epigramma XXXI. in Cn. Pompeium eſſe conſcriptum eidem Lipſio aſſentior lib. IIII. Variarum cap. V. hoc principio:

Alphene, immemor atque vnanimis falsè ſodalibus.

Ficto nomine, veluti telum iactum in Pompeium,

peium, qui CICERONEM per ſimulationem prodidiſſet, iuuiſſetque tacitè Clodium, CICERONEM Vrbe expellentem.

CAP. XVI.

Ligus & Paetus *gentis Aeliae cognomina. Aelius Ligus Trib. pleb. improbus.* CICERONIS *Sextiana illuſtrata.*

IN ea quam pro P. Sextio De vi aduerſus M. Tullium Albinouanum TVLLIVS noſter bene longam habuit, anno poſt Rom. Cond. IↃCXCVII. obſcurum illud de Ligure mihi quidem occurrit, fortè an & aliis negotium legentibus faceſſat. Demus itaque obſcuris lucem, ſi poſſumus. Sic enim Orator: *Interceſſit Ligus iſte, neſcio quis, additamentum inimicorum meorum.* Et mox: *Ex nouem Tribunis, quos tunc habueram, vnus me abſente defluxit, qui cognomen ſibi ex imaginibus Aeliorum arripuit, quo magis nationis eius eſſe, quam generis videretur.* Taxat nimirum *Aelium* Tribunum pl. Piſone, & Gabinio Coſſ. qui cùm eſſet obſcurus & ignobilis, Liguris ſibi cognomentum ex Aelia gente aſſumſit, vt ab illis *Aeliis Liguribus*, clariſſimis viris originem ducere videretur: ſed contrà eueniſſe CICERO hic oſtendit, vt ex illo cognomine potiùs, ex Ligurina natione, quàm ex Aelia gente putaretur eſſe. Fuit autem *Ligus*, gentis Aeliae cognomen, ſicut & *Paetus*. De hoc ſic in Cluentiana legimus: *Quid tu*, inquit, *Paete?*

(malè

(malè enim *Pacete* quidam edunt:) *hoc enim ſibi Stalenus cognomen ex imaginibus Aeliorum delegerat, ne,ſi ſe Ligurem feciſſet nationis magis ſuae, quàm generis vti cognomine videretur.* Haec ille. In Capitolinis autem magna olim à me Romae voluptate inſpectis Faſtis, Collega in Conſulatu Cn. Popillij anni IↃXXCI. ſic nominatur: P. AILIVS. P. F. P. N. LIGVS Ceterum de Ligure illo improbo Tribuno Orator noſter pro Domo ſua verba faciens, ſic ait: *Ille nouicius Ligur, venalis adſcriptor,& ſubſcriptor tuus.* Rurſum initio De haruſpicum reſponſis: *Eum à me nunquam eſſe accuſandum putaui,non plus quàm ſtipitem illum,qui quorum hominum eſſet, neſciremus, niſi ſe Ligurem eſſe ipſe diceret. Quid enim hanc perſequar pecudem ac belluam,pabulo inimicorum meorum & glande corruptum?* Errant enim hic homines docti,qui *Piſonē* Coſ. pro illo *Aelio* Trib.accipiunt.Vt autem ibi *additamentum inimicorum ſuorum* dixit, ita hic *pabulum ac glandem*, vocum nimirum notione alienam in ſedem migrante,nominat.*Ligures* verò gens hodie culta ac peringenioſa,nauigandi,negotiandíque arte excellens, malè olim audiit vt agreſtis: Teſtem damus omni exceptione maiorem M. ipſum TVLLIVM in Rulliana II. ad populum Rom. *Ligures*, inquit, *montani, duri, atque agreſtes, docuit ager ipſe nihil ferendo, niſi multa cultura, & magno labore quaeſitum.* Verum enim-verò non adeò deſipio, vt ab hac gente inclyta *Ligurriendi* vocem deriuem, neque ab Aelio illo Tribuno pl. Antiquior enim vox, P.Terentio familiaris, & forſitan origine Graeca eſt, ſi Donato credimus in Eunuch.

qui

qui λιγυρὸν *ſuaue* exponit; ceteri pro arguta, atque acuta voce, ſtriduláq; & canora. Sic enim Comicus de proſtitutae pudicitiae moribus, adoleſcentes informans:

Quae cum amatore ſuo dum cenant, ligurriunt.

In eadémque fabula: *Itidem patria qui obligurierat bona.* hoc eſt, vt idē exponit, *qui ſuauibus eſcis ſua abſumſerat.* Ita de coniuratis noſter, Catilinaria II. *Patrimonia ſua profuderunt fortunas ſuas obligurrierunt.* Tralatè verò idem Dec. Bruto ſcribens, pro abſorbere, ac ſpe deuorare: *Cùm quidam è collegis noſtris agrariam ligurrirent curationem diſturbaui rem.* Et Verrina V. *Improbiſſima ligurrientem lucra*, dixit: vbi *furta* quidam legunt, vt Horatius lib. II. Sermonum:

Tractauit manibus calicem, dum furta ligurrit.

Hinc *Ligurritio* deriuata eſt Tuſcul. IIII. pro, heluandi vitio. Scribunt autem duplici canina littera Manutius, eiúſque aſſeclae, fortè quia iam Flaccus produxerat. Vidi qui à lingendo *Lingurrire* ſcribi mallent, ſed haec litteratoribus relinquamus.

CAP. XVII.

Singularia TVLLII. Minutio. Volaticus. Expiatio religionum, portentorum explanatio, Nouiſſimus. Coaeuus. CICERO *variè emendatus*.

VT aliae ex aliis res, veluti cathena aptae ſunt atque connexae: artéſque adeò inter

ſe

ſe ac Virtutes arctiſſimo ſunt vinculo copulatae: ſic & in meditando vſu-venit, vt aliud ex alio commentanti in mentem veniat, vt de *Singularibus* M. TVLLII denuò dicendũ, quia de *Ligurritione* diximus. Extarẽt libri Statilij Maximi *de Singularibus* CIC. à Soſipatro laudati, facilis profectò nobis in hoc ſtadio curſus eſſet, campúſq; apertus, ac prona diſſertatio. Nunc quando optare id citiùs quàm ſperare liceat, quod vnum poſſumus, quando quod volumus non licet, id agamus, vt ne aliud in vita, aut certè nihil, meditando nos egiſſe poſteri iudicent. Quas rarius CICERO adhibuit voces, refugit, ac veluti reformidauit, eas, credo, *Singulares* Statilius appellauit, quod ſemel dũtaxat, aut ad ſummũ iterũ rara notione in eius ſcriptis apparerẽt. Verum enimvero perdifficilis ſanè hodie, niſi me fallunt omnia, ea diiudicatio eſt, quod vix dimidiam Oratoris operum partem temporum nobis iniuria (vt nihil eſt in rebus humanis proprium, nihil perpetuum) reliquerit.

Vt *Ligurritio*, eadem forma Valerius Catullus *eſuritionem* dixit, quam *eſuriginem* Varro; *Eſuriem* alij nominant.

Aureli, pater eſuritionum,
Non harum modo, ſed quot aut fuerunt,
Et ſunt, aut aliis erunt in annis.

Sic & *Minuritionem* CICERO dixit extremò primo de Oratore dialogo, etſi *minutionem* alij legant, *munychionem* non-nemo, *peſſem incognitum* Victorius. Sed Feſto Pompeio *minuritiones* minorum ſunt auium cantus, & μινυρίζειν eſt ca-

 nere:

nere: Minuritio itaque ad vocis remiſſionem pertinebit. Plura doctiſſimus Turnebus lib. I. Aduerſariorum cap. XII. *Volaticus* verò quis CICERONI vſitatum credat, non magis quàm *Eſſentiam*, qua vſum voce TVLLIVM auctor eſt Sidonius Apollinaris.

In ea autem de haruſpicum reſponſis ſic lego: *Non ſentiunt id, quod tamen mihi iam ſuſpicari videntur, illius furentes ac violentos impetus in ſeipſos poſſe conuerti:* vt autem vis furoris eſt comes, ita furentes & violentos impetus non malè coniungi equidem arbitror, *volaticos* tamen pro *violentis* Sturmius ſupponit, exponítque impetus qui modo in hunc, modo in illum fierent. Quam etiam Orator vocem adhibet, de Academia T. Attico ſic ſcribens lib. XIII. Epiſt. 25. *O Academiam volaticam, & ſui ſimilem, modo huc, modo illuc.* In eadem Haruſpicina oratione CICERO: *Ita eſt enim interpretatio illa Pontificum, vt iidem poteſtatem habeant iudicum: Religionis expiatio, vel ab vno Pontifice perito rectè fieri poteſt.* Sic enim Car. Sigonius, Deus bone quantus vir! Notis ad T. Liuium legendũ hic cenſuit: quia ſuprà paullò: *Primùm expiabo religionem mearum aedium.* Et Philippica in M. Antonium I. *Vt inexpiabiles religiones in Remp.* inducerentur, dixit Orator. Infrà tamen non longè conſtanter editur, *Portentorum explanationes*, tametſi docti homines *expiationes* tentarunt. Sed cur *explanationes* non retineamus, equidẽ non video, cùm & Valerius Max. initio Memorabilium, hunc TVLLII locum mutuatus ſic expreſſerit: *Portentorum depulſis Etruſca diſciplina explicari voluerunt.*

runt. *Explicari* dixit, quod *explanari* TVLLIVS, qui & antea *interpretatio Pontificum* dixit. In extrema autem TVLLII oratione: *In quo*, inquit, *conſtituendae nobis quidem ſunt procurationes & obſecrationes:* vt quidem Lambinus edendum curauit, malletque reponi ſi modo membranae adſpirarent, *precationes* aut *poſtulationes*: aut ſaltem *oſtentorum* addi. Mihi ſecus videtur, & retineo, vt meus eſt mos, quoad eius fieri poteſt, receptam lectionem, &, ſiquid mutandum eſt, pro *obſecrationes, obſeruationes*, lectoris tamen arbitrio, ſubiicerem.

Nouiſſimus vitauiſſe CICERONEM autumat Agellius, ſed vt fallitur, ſic fallit in Atticis Noctibus lib. x. cap. 21. Quo loco deceptus Romanus Vallenſis lib. II. Elegantiarum cap. I. CICERONI vocem abiudicat, etſi M. Cato eiuſque aemulus C. Salluſtius vſurparint, atque adeò M. Varro, apud quem L. Aelius Stilo nouam iam tum vocem *Nouiſſimum* pro extremo nominat. Vſi ſunt & alij CICERONIS aequales, adhibéntque C. Caſſius & Dec. Brutus in Epiſtolis. Quid? ne in Noctibus illis oberres diutiùs, non tantùm in Oratore ad Brutum reperies, ſed & in Epiſtola (ſi ea modo CICERONIS eſt) ad Octauianum: *Vt nouiſſima conferam primis*: hoc eſt, vti idem ait: *vt ordiar ab initio, & perducam ad extremum*. Quin & in Oratione pro Roſcio Comoedo: *Breui tempore, qui ne in nouiſſimis quidem erat hiſtrionibus, ad primos peruenit Comoedos*. Et C. Caſſius C. Caeſaris percuſſor lib. XII. ad Famil. Epiſt. 13. *Vt haec nouiſſima noſtra facta non incōuenientiam fuiſſe iudices*. *Nouiſſimè* autem ſemel iterúmque Cn. Plancus dixit lib. x. ad

Fam. vt ceteris vſitatiùs quàm CICERONI fuiſſe videas. *Intercapedinis* vocem & *Diuiſoris* meritò formidat Orator vt *Ithyphallicam* lib. IX. Epiſt. XXII. ad Paetum. Libro tamen de Finibus adhibere non dubitauit: *Quas ob cauſas in eorum vita nulla eſt intercapedo moleſtiae.* Adhibet quoque filius eius Tironi ſcribens lib. XVI. Ep. *Itaque iam me non paenitebit intercapedinem ſcribendi feciſſe*, quem & capedines vini cum M. Antonio patris percuſſore ad ebrietatem exhauſiſſe C. Plinius refert.

Coaeuus ſemel in Vatiniana media legi obſeruatum, qui Graecis σύγχρονος, CICERONI cum gignendi caſu *Aequalis alicuius.* Sic enim ibi: *Nunquam puer aut adoleſcens inter coaeuos fueras.* Verum doctiſsimus Turnebus, qua valuit εὐστοχίᾳ repoſuit pridem *coquos* libro XXI. Aduerſarior. cap. XI. extremo: quam eſſe germanam emendationem locus clamat. Valeat itaque *coaeuus* & *cocis* cũ iure relinquamus; nos τὸ *aequalis* adhibeamus. *Manſues* quoq; CICERONI attribuit vir doctiſsimus in Electis, reponẽs in aurea illa de prouincia adminiſtranda Epiſt. ad Q. Fratrem: *Sit lictor manſues & tuae lenitatis apparitor.* Pro quibus vulgò editum, *Sit lictor non ſuae, ſed tuae lenitatis apparitor:* quam lectionem cur retineam facit, quòd *Manſuetus* dixerit CICERO non rarò, cui *Ferus* opponit; *Manſues* verò aliàs numquam. Plura non colligo, nec ire per ſingula libet: cetera ſuggeret Marius in Obſeruationibus, quae rariùs à CICERONE vſurpata, ſed cum delectu ſeligantur, ne priſcorum poëtarum rancidas voces admiſceas. Simllia collegi ſup. lib. I. cap. III.

AND.

AND. SCHOTTI NODORVM CICERONIS LIBER IV.

Ineptus. Ineptire *quid Craſſo apud* Ciceronem *de Oratore, &* *Horatio* Trans pondera dextram porrigere.

CAP. I.

AVDAX forſitan ac praeceps M. TVLLII de Graecis iudicium, ab animi perturbatione profectum, quo negat Graecis ſuppetere, in tanta verborum copia & vbertate, vocem qua *Ineptum* efferant, ἀμφιβόλως à Latinis in variis rebus vſurpatam, quam ſingulatim Graeci commodéque efferant. *Qui enim*, ait CICERO, *aut tempus quid poſtulet non videt: aut plura loquitur: aut ſe oſtentat: aut eorum quibus cùm eſt, vel dignitatis, vel commodi rationem non habet: aut denique in aliquo genere aut inconcinnus eſt, aut multus, is Ineptus dicitur.* Graecè verò quot quantíſque formulis ac modis varietur, in Commentariis Budaeus Galliae lumen, & Italiae

 Iulius

Iulius Scaliger ſingulari oratione diſſeruit: & nos alibi cùm De optimo interpretandi genere, ac de Graecarum litterarum vſu atque vtilitate è CICERONIS ſententia verba fecimus. Illud tantum nunc quaerendum, quem lib. I. de Oratore L. Craſſus his verbis *Ineptum eſſe* dixerit: *Equidē cum peterem magiſtratus, ſolebam in prehenſando dimittere à me Scaeuolam, cùm ei ita dicerem, Me velle eſſe ineptum. Id erat petere blādius, quod niſi ineptè fieret, bene non poſſet fieri. Hunc autem eſſe vnum hominem ex omnibus, quo praſente ego ineptus eſſe minimè vellem: quem quidem nunc mearum ineptiarum teſtem & ſpectatorem fortuna conſtituit.* Quē locum, vt aliàs plerumque Valerius Max. lib. IV. cap. V. ita trāſcripſit: *Conſulatū*, inquit, *petens L. Craſſus, cùm omnium candidatorum more circum forum ſupplex populo ire cogeretur, nunquam adduci potuit, vt id praeſente Q. Scaeuola, grauiſſimo & ſapientiſſimo viro ſocero ſuo faceret. Itaque rogabat eum, vt à ſe, dum ineptae rei deſeruiret, diſcederet: maiorē verecundiam dignitatis eius, quàm candidae togae ſuae reſpectum agens.* *Ineptire* Craſſus dixit prenſando in candida toga (vnde Candidatorum nomen) magiſtratum ambire, multa ineptè dicere ac facere. Romae enim Candidati magiſtratū ambientes prenſabant, cùm dextram obuiis porrigerēt, multóſque prehenſarent, ac nominatim appellarent, adhibito etiam ſeruo, Nomēclatore hinc dicto, qui latus interdum foderet, & Quiritium nomina ſuggererēt. Vilibus adhaec hominibus interdum prehēſa manu etiam calloſa ac ſordida blandirētur. Hunc quidem fratrē appellando, illum natum, alium parētem ac pro ſingu-

ſingulorum aetate ac dignitate praeter decorum cunctis adulantes, ineptiſſimè faciebant. Ineptire itaque, idem quod prenſando ambire CICERONI viſum; quod Horatius Epiſtola ad Numicium, *trans pondera dextrã Porrigere* dixit, vt ingenioſè interpretatur homo doctiſſimus, Pet. Angelius Bargaeus, data ad Ioſephum Boccã Epiſtola, princeps ipſe ſui ſaeculi poëtarum, editis eruditis Cynegeticõn libris. Poëta autẽ Flaccus de ſummo bono quaerens, Stoicis beatum videri negat, qui magiſtratum ambiret, qui prenſando inepta cõmitteret, obuióſq; putide nimis atque officioſe appellaret:

Mercemur ſeruum, qui dictet nomina: laeuum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.

Trans pondera dixit, etſi multitudinis numero, hoc eſt, praeter animi grauitatem, dignitatem atque decorum, vt illo ad Piſonem carmine:

Quis regit ipſe ſuam, niſi per tua pondera, mentem.

Nominatim autem obuios compellare gratioſum ac populare. Sic Othonem ad imperium euectum à militibus legimus, quòd ſingulos in exercitu compellare conſueuiſſet. Agamemnon quoque apud Homerũ Menelaum monet, vt quemque nomine appellet ſuo, & ad rem ſtrenuè gerendã cohortetur Iliad. κ. v. 67.

Φθέγγεο δ' ᾗ κεν ἴῃσθα, καὶ ἐγρήγορθαι ἄνωχθι,
Πατρόθεν ἐκ γενεῆς, ὀνομάζων ἄνδρα ἕκαστον,
Πάντας κυδαίμων· μηδὲ μεγαλίζεο θυμῷ.

Pondera fortaſſe alij in Horatio pro mercibus pondere vendi ſolitis accipiant, quae trutina ac bilance appenderẽtur, trans quae dextram

 porri-

porrigere, etſi ſordidae eſſent ac liquidae merces, Candidati prenſando atque ambiendo cogerentur. Sed alia longè mens aliorum, qui Flaccum noſtra ſunt memoria interpretati.

CAP. II.

Dionyſij Halicarnaſſei locus contra aliorum ſententiam emendatus.

DIONYSIVS grauis inprimis auctor, & Rhetor elegans, in Epiſt. ad Ammaeum, de Ariſtotele, Demoſthenéque initio, multorum calculo vitioſus legitur, ſed nōdum omnino, quod ſciam, emendatus. Henricus quidem ςέφανος ita edendum curauit: ἵνα τὴν δόξαν ἣν πρότερον αὐτὸς ἔσχον βεβαιωθῶ, μαθὼν. ὅτι προτεροῦσι τῶν Δημοσθένους λόγων αἱ Αριςοτέλους τέχναι. Locum vitioſum eſſe vidit Stephanus, nec commodum ſenſum elici poſſe: addendum itaque cenſuit οὐ προτεροῦσι. Verum ne ſic quidem negatione addita locum ſanauit. G. Morelius idem vidit, addidit itaque ad oram Demoſthenis à ſe editi, incertum ſiue ex ingenio, ſiue ex antiquo codice, cōmodiorem lectionem, quae facilem ſenſum eiicit. Quam & Hieronymus W. & Fred. Sylburgius editione ſecuti ſunt, ἵνα ἢ μαθὼν ὅτι προτεροῦσι τῶν Δημοσθένους λόγων αἱ Αριςοτέλους τέχναι ἐχῶν μετὰ δοξάσω, ἢ τοὐναντίον φωράσας τὴν δόξαν ἣν πρότερον αὐτὸς ἔσχον βεβαιώσω, καὶ τὸν ἄλλως ἐγνωκότα

καὶ

καὶ γράψαι γε, &c. Mihi tamen, pace tantorum virorum dixerim, vnius vocis parua mutatione emendari poſſe videtur, ſi βεβαιωθῶ in μετατεθῶ commutetur, nulla addita negatione. Et verò facilis librario errandi anſa obiici potuit ex compendij nota μετ & ſecundae alphabeti litterae, quae ſic in antiquis codicibus calamo exaratis ferè pingitur ϐ; quae figura non diſſimilis eſt u conſonanti Latinorum, & forma, & vulgari pronuntiatione. Senſum verò commodum hunc eliciam: *Vt priorem ſententiam vel ipſe mutem, cognito priores eſſe Ariſtotelis libros Rhetoricorum orationibus Demoſthenis: vel eum qui ita ſentit, & commentari ea de re parat, antequam opus foras det, de ſententia deducam*. Et verò Graecarum litterarum peritis non inſolens formula videbitur, τὴν γνώμην μετατίθεμαι. i. *ſententiam muto*, vſitata Thucydidi, Xenophonti, & Syneſio.

C A P. I I I.

Cicero *pro Archia poeta emendatus. Animi auerſio.*

Tulliani**s** lectionibus hoc opus deſtinamus: colligam itaque è Liciniana haec pauca: *Quod ſi non hic tantus fructus oſtenderetur, & ex ſtudiis delectatio ſola peteretur, tamen, vt opinor, hanc animaduerſionem humaniſſimam ac liberaliſſimam iudicaretis. Nam ceterae neque temporum ſunt, neque aetatum omnium, neque locorum*. Lazarus Bonamicus primus legi voluit *animi remiſſionem*. quam

 tamen

tamen lectionem Petro Victorio lib. xxviii. cap. vii. & Mureto probare non potuit. Equidem ſiquid audere fas ſit: lego ex coniectura *animi auerſionem*, propius à veſtigiis veteris editionis. Nam & veteres D. interponere ſolent ne aſper fieret vocalium hiatus, vt apud M. Plautum *mederga: ted' hoc nectu, & propmo tibid' eccum* & alia innumera, de quibus nos in Obſeruationum libris. Vnde factum ſuſpicor, vt librarius ſcriberet, *animad' verſionem*. Eſt autem ſumtum *animauerſio* pro recreatione & relaxatione. Sic enim paulò ante: *An tu exiſtimas ferre animos tantum poſſe contentionem, niſi eos doctrina eâdem relaxemus.* Sed adiurationem praeſtare decet, tabuliſque obſignatis agendum. Caeſar i. Belli Gallici: *Vbi totius Galliae animi à ſe auerterentur*, pro abalienarentur. Cicero quoque in Laelio: *Tu velim à me animum parumper auertas, Laelium loqui ipſum putes.* Et in Oratore: *Vt ab eo quod agitur, auertat animos.* Liuius lib. v. belli Punici: *Auertere animum ab aſſiduo moerore* dixit, & lib. viii. *Auertit id certamen* Cicero ad Torquat. lib. vi. Epiſt. i. & iii. *Auertere cogitationem à miſeria.* & Virgil. iv. Aeneid. verſ. 394.

—— quamquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis auertere curas.

Et ſanè eleganter. vt enim *conuertere animum* pro rebus ſeriis intelligimus, ſic *auertere animum*, pro recreatione & re ludicra.

CAP.

CAP. IV.

Mactare Deum hoſtia. *Plautus Amphitruone illuſtratus.* CICERONIS *in Vatinium lectio edita comprobata.*

M. TVLLIVS interrogatione in Vatinium: *Cùm inaudita ac nefaria ſacra ſuſceperit, cùm inferorum animas elicere, cùm puerorum extis Deos manes mactare ſolitos.* Quoniam Octauium illum πανάγαθον, repugnantibus libris omnibus *placare* ſubſtituere voluiſſe, alióſque auctoritate ſua fregiſſe video, faciendum mihi putaui, vt veram CICERONI vocem aſſererem, & vindicias ſecundùm libertatē darem contra eos qui ſtatim ὀβελίζουσι, quae rara reperiunt. quae, *Quàm lepidae lexeis cōpoſtae vt teſſerulae omnes Endo pauimento atque emblemate vermiculato?* Exſtarent CICERONIS libri omnes, aut *Statilij Maximi* liber De ſingularibus CICERONIS, multa haberemus à Ciceronianis vulgò reiecta, quibus Latinae linguae pomoeria proferri poſſent. Tale illud lib. VI. de Rep. à Marcello in *Mactare* ſeruatum fragmentū: *Ferunt hoc laudibus, mactant honoribus.* Quem deſcribebat Chriſtianus ille Cicero Lactantius lib. v. cap. x. *Si qui doloris vel mortis metu, vel ſuapte perfidia caeleſte ſacramentum deſeruerint, & ad funeſta ſacrificia conſenſerint, eos laudent & honoribus mactent.* Et eius praeceptor Arnobius, lib. I. adu. Gent. *alio mactatis cultu,* & lib. VII. *vt inferior Deus ſit, qui honorib. mactatur humanis.* Et ne longè exempla petātur, ille

ille ipſe CICERO in eadem: *Quo etiam maiore es malo mactandus.* Vbi ille idem παιλάγαθος *multandus* reponendum cenſebat, exoſus, credo, hanc vocem. Et Verrinis: *Cùm videant ius ciuitatis illo ſupplicio eſſe mactandum.* Et I. Catilin. *Nónne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non ſummo ſupplicio mactari imperabis?* Et Plautus Amphitruone: *Sacrifico ego tibi.* A. *Qui? quia enim te macto infortunio.* Et Naeuius Gallinaria:

Mactatote hiſce verbenis; mactat villam infortunio.

Dicebant igitur veteres vt *litare Deum*, ſic & *mactare Deum hoſtia* pro ſacrificare, quò Comicorum illorum iocus pertinet: Aliter verò:

Caelicolum regi mactabam in litore taurum.

Cuius rei ignoratio, & Plauti. & CICERONIS locis corrigendis, ac corrumpendis anſam dedit. Idem TVLLIVS orat. pro Flacco. *Quam poteſtis P. Lentulo mactare victimam gratiorem?* Eſtque ſacrorum verbum per εὐφημισμὸν vſurpatum, teſte Seruio ad illud:

——*mactant lectas de more bidentes.*

Et IV. Georg. ad illud:

——*Panchaeis adoleſcunt ignibus arae.*

Quod nefas eſſet priſca ſuperſtitione ſcaeua verba proferre, ne vitiarentur ſacra. Hinc *mactare* pro occidere, *adoleſcere* pro incendi. *Fuiſſe, abiiſſe, vixiſſe*, pro mortem obiiſſe. *Mactare* enim κυρίως pro augere, & *Macte*, magis aucte. Hinc illud eórum, qui ſacris operantes vinum libabant: *Macte hocce vino inferio eſto.* Quod ex Catone de re ruſtica Arnobius vſurpat. Hinc illa, *Macte animi, macte virtute.* Lucil. lib. V.

Macte, inquam virtute, ſimulque his verſibus, eſto.

Accius

Accius διδασκαλικῶν lib. I.

Sapientiae inuictę gratia atque honoris
Pater honeſte rem mactauit aurea.

Doctiſſimus Turneb. legit lib. XXIX. Aduerſar. cap. XXVIII.

Patera Neſtorem mactauit aurea.

Lipſius verò Belgij ocellus lib. IV. Antiqu. Lect. cap. V.

Patera hòneſte em mactauit aurea.

Em enim ἀρχαικῶς pro *eum.*

CAP. V.

Iugula, Orionis gladius. CICERO *in Arati Phaenomenis explicatus. Gloſſarium vetus emendatum.*

DOLENDVM ſanè diuinum illud M. TVLLII poëma de Signis Caeleſtibus, ex φαινομένοις Arateis conuerſum, temporum iniuria tam mutilum ad nos mancumque perueniſſe. Certè ſingulos eius verſus gemmarum inſtar, vt debeo, caros habeo: Quo enim pauciores noſtram ad aetatem peruenerunt, tanto illi mihi cariores. De *Orione* verſus eius hodie ex incendio hi conſeruati ſunt:

Exinde Orion obliquo corpore nitens
Inferiora tenet truculenti corpora tauri.
Quem, qui ſuſpiciet in caelum nocte ſerena
Latè diſperſum non viderit, abdita verò
Cetera ſe ſperet cognoſcere ſigna poteſſe.

Gladium huic affigere ſcriptores ſoliti, de quo

quo Plinius lib. XXIII. cap. XXXI. & Lucanus:

En ſi feri nimium fulget latus Orionis.

Manilius: *Et nimis obliquus demiſſus ducitur enſis.* Hinc Virgilius *armatum* appellat, pro aureo gladio armatum:

Armatumque auro circumſpicit Oriona.

Iſidorus etiam lib. III. Etymolog. *gladius eſt ſtellarum luce terribilis.* Hunc porro gladiū proprio nomine Latini *iugulam* dixere, vt Feſti Pompeij Epitoma. M. Varro *Iugulam* quaſi iugulum à ſpacio quod inter iugulū & collum eſt, dictam vult. Vt autem Graeci φάσγανον pro σφάγανον dicunt, permutatis litteris. Sic *iugulam* Latini, quod iugulum petat. Feſto, quaſi nux iuglādis. In Gloſſario vetere in voce *Iugulatores* προβάτης, exponitur: ἄϛρον ὠρίωνοι ὡς Ωράτιος ὡς φησὶν. Ioſ. Scaliger in Feſtum legit ἄϛρον ὠρίωνος ὡς Ἀττιός φησι. Idque quia M. Varro lib. VI. de ling. Lat. *Attij* meminit. Sed quia *iugulam* vocat non Orionem, ſed Orionem *iugulam*, legendum cenſeo ὡς Ἀκκιός φησι. Nam *iugulam* vocat Plautus Amphitryone Scena I.

Credo ego hac noctu nocturnum obdormuiſſe ebrium,
Nam neq; ſe Septētriones quoquā in caelo cōmouent.
Neq; Iugula, neque Veſperugo, neq; Virgiliae occidūt.

Vel ſic potius legam: Iugula ἄϛρον ὠρίωνος ὡς Ἀκκιος, ἢ Ἀττιος ὡς φησὶ ὁ Βάῤῥων.

Interpres Germanici Caeſ. Caeſius Baſſus niſi corruptus eſt, *incolam* vocauit. *Orion*, inquit, *incola dicitur, ante Tauri veſtigia fulget, & dicitur Orion ab vrina vel ab inundatione aquarum. tēpore enim hyemis habet ortum, cùm mare & terras aquis & tempeſtatibus turbat. Hanc Romani iugulam vocant, eo quod*

ſit

ſit armatus vt gladius. Iugula quidam pro *incola* ſubſtituendum putant; probabile id certè videretur niſi in praefat. eorum legeretur, *A ſiniſtris Orionis, qui eſt incola, fluuius Eridanus ſub pedibus Orionis, qui & incola dicitur*, & mox hoc loco ſubiicit: *hunc Romani iugulam vocant. Iugulae* autem ſtellae ſunt in humeris & ceruice Orionis: tametſi Varro *Iugulam* propriè dicit eſſe in Orione, quà iugulus eſt: totum tamen Oriona ſic vocat Manilius:

Nunc Cancro vicina canam, cui parte ſiniſtra
Conſurgunt iugulae. ——

CAP. VI.

Vehiculi Thenſae quale genus. Thenſarum Nomenclator. Cic. Verrinis allata lux.

De thenſis Feſtus Pompeius & Aſconius Pedianus in CICERONIS Verrinas, qui & vocis etymon ritúmque explicat, vel ἀπὸ τοῦ θεοῦ thenſa, vel à tentando, vt variè ſcriptam vocem etiam abſque ſpiritu appareat. Sic enim ille: *Thenſae ſacra ſunt vehicula pompa ordinum & hoſtiarum. Thenſas alij à diuinitate dici putabunt, alij quòd ante ipſas lora tendantur, quae gaudent manu tenere, & tangere qui eas deducunt.* Seruius autem Honoratus in illa Maronis:

—— *Hic illius arma*
Hic currus fuit. ——

Ait currum, quo ſecundùm Homerum in bello vtitur; aut thenſam ſignificat, qua deorum ſimulacra portan-

portantur. Apponam & Maronis verba è lib. II. Aeneid.

——pueri, innuptaeque puellae
Sacra canunt, funemque manu contingere gaudent.

Tertullianus libro de Spectaculis: *Plauſtrum Iouis* vocat eius thenſam. Ordo autem thenſarum ita procedebat, vt è Capitolio in Circum deſcenderet, vt ait Dionyſius lib. VII. Antiq. Rom. & Suetonius in Veſpaſiano, ac Xiphilinus. Initium earum, Romanorúmque erga eas religionem tradit Macrobius lib. I. Saturnalium. Ex qualibet porro materia factas ait Feſtus, nihil tamen vetat, quin credamus ligneas factas, ex ea arbore quae cuilibet Deo ſacra eſſet. Harum forma expreſſa eſt in Numiſmate apud Fuluium Vrſinum in gente Rubria, & Anton. Aug. libro de Antiquis Numiſm. Vnaquaeque Thenſa foramen in medio habebat, ad vinciendum impoſitas imagines, quod ex Varrone lib. VI. de ling. Latina colligo. Hinc pendent lora, quae manu quiſque tangere geſtiebat, vt ait CICERO de Aruſpicũ reſpõſ. Maro, & Arnobius lib. IV. aduerſus Gentes. Habitũ porro eorũ qui deducebant vel vehebant, deſcribit Tertullianus lib. de Corona, & Liuius lib. V. Quínam autem Dij in hac thenſarum pompa deducti ſint, Dionyſius refert: nec ſolùm Iupiter, Iuno, Minerua, Neptunus; & alij Dij maiorum gentium, ſed etiam antiquiores, velut eorum Deorum dearúmque parẽtes, vt Proſerpina, Lucina, Nymphae, Muſae, Gratiae, Liber, Hercules, Aeſculapius, & alij Semidei & Heroës, de quibus Ouidius lib.

lib. III. Erotic. Eleg. II. In his Thenſis imagines Deorum erant velut in Throno conſtitutae, vt ait Gloſſarium: *Thenſa* θρόνος. Et paullò pòſt: *Thenſa* ἅρμα θεῶν, & Pacatus Panegyrico. Hanc gloriam in pompa ſibi arrogarunt Imperatores, & in primis Caeſar: de quo Suetonius, & Dio. lib. LXIII.

Hanc porro pompam diſponebat *Nomenclator thenſaurum*, ſi rectè capio verba Firmici Aſtronomicon III. cap. XV. Quamquã *Nomenclatoris* nomen ita ſumi non debeat, vt vulgò fit apud alios auctores, & maximè apud Horatium, *qui dictet nomina ſeruus*, ſed pro eo qui nomina vniuſcuiuſque rei callet, vt eſt apud I.C. Hinc eſt quod in libris Plinij, vbi vulgò *nominis dator* legimus, habent antiqui codices *nomenclator*: Vel potiùs pro ſcriba publico, qui in regiſtris ſcribit ea, quae ſunt ſui muneris. Sic apud Symmachum *Nomenclator tuitionis* is dicitur, qui in Chartophylacio habet datas à Principe tuitiones. Quam autem partem apud Romanos vindicarit *Nomenclator*, patet apertè ex Tertulliano, libro de Spectaculis: *Quanta ſacrificia praecedant, ſuccedant, quot collegia, quot ſacerdotia, quot officia moueantur, ſciunt homines illius vrbis, in qua daemoniorũ conuentus conſedit*. Et vetus inſcriptio Romę, qua & *Buccinator nominũ* eſt, alibi:

SOLI INVICTO
SACRVM
T. POMPONIVS
REPENTINVS
NOMENCLATOR
TENSAR. IVGARIS

M S. Di

S. D. D. D.
DEDIC. XV. K. IVL.
MARVLLO. ET AELIANO COSS.
OB DEDIC. SPORTVLAS
DEDIT. SINGVL. * II.

CAP. VII.

Opida & vrbes interire: Sulpicius ad CICERONEM.

SER. Sulpicius lib. v. Epiſt. v. CICERONEM in morte filiae conſolans: *Quae res mihi non mediocrem conſolationem attulit, volo tibi commemorare ſi fortè eadem res tibi minuere dolorem poßit. Ex Aſia rediens cùm ab Aegina Megaram verſus nauigarem, coepi regiones circumcirca proſpicere. Poſt me erat Aegina, ante Megara, dextra Piraeeus, ſiniſtra Corinthus. Quae opida quodam tempore florentißima fuerunt, nunc proſtrata & diruta ante oculos iacent. Coepi ego ſic mecum cogitare. Hem, nos homunculi indignamur, ſi quis noſtrum iuteriit, quorum vita breuior eſſe debet, cum vno loco tot opidorum cadauera proiecta iaceant.* In eamdem ſententiam L. Seneca, Philoſophus elegantiſsimus, Epiſtola XCII. ad Lucilium; de Lugdunenſis coloniae incendio, litterariam conſolationem adhibens, longa & diſerta epiſtola; vnde haec decerpſi: *Quoties Aſiae, quoties Achaiae vrbes vno tremore ceciderunt? Quot oppida in Syria, quot in Macedonia deuorata ſunt? Cyprum quoties vaſtauit haec clades: quoties in ſe Paphus corruit? frequenter nobis nunciati ſunt totarum vrbium interitus.* Et poſt: *Ciuitas Lugdunenſis arſit opulenta, ornamentumque prouinciarũ, quibus & inſerta erat & excepta:* vni

vni tamen impoſita, & huic non altiſsimo monti. Non vides quemadmodum in Achaia clariſsimarum vrbium iam fundamenta conſumpta ſint, nec quidquam exſtet, ex quo appareat eas ſaltem fuiſſe. In Athenas aliáſque vrbes euerſas exſtat hoc Epigramma in Virgilij Catalectis:

Quiſquis Cecropias hoſpes cognoſcis Athenas,
Quae veteris famae vix tibi ſigna dabunt.
Háſne Dei dices caelo petiere relicto?
Regia partitis haec fuit vna Deis?
Idem, Agamemnonias, dices, cùm videris arces:
Heu victrix victa vaſtior vrbe iaces.
Hae ſunt quas meritò quondam eſt mirata vetuſtas,
Magnarum rerum magna ſepulcra vides.

Ouid. Epiſtola 1.

Iam ſeges eſt, vbi Troia fuit, reſecandaq́; falce,
Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Et xv. Metam.

In ſpecies tranſlata nouas, ſic omnia verti
Cernimus, atque alias aſumere robora gentes,
Concidere has: ſic magna fuit cenſuque viriſque
Nunc humilis. veteres tantummodo Troia ruinas,
Et pro diuitiis tumulos oſtendit ouorum.
Clara fuit Sparte, magnae viguere Mycenae,
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces:
Oedipodioniae quid ſunt niſi nomina Thebae?
Quid Pandioniae reſtant, niſi nomen, Athenae.

Et de Populonia Claudius Rutilius Numatianus in Itinerario:

Agnoſci nequeunt aeui monumenti prioris,
Grandia conſumſit nomina tempus edax.
Sola manent interceptis veſtigia muris,
Ruderibus totis tecta ſepulcra latent:

Non indignemur mortalia corpora ſolui,
Cernimus exemplis oppida poſſe mori.

Auſonius quoque:

Mors etiam ſaxis marmoribuſque venit.

Verum de Opidorum Regnorumque interitu multa colligit Semeſtrium libro I. doctiſſimus Pet. Faber cap. IX. Sed quid plura? Illud verò quale eſt? non vrbibus modo, ſed & aedibus aetatem attribui à Prudentibus Iuris, vt L. 15. De oper. public. in C. Theod. & à Mamertino in Panegyrico: à Caſſiodoro I. Variar. Epiſt. XXV. Macrobio lib. II. Saturn. cap. VI. Symmacho lib. I. Epiſt. IV. Sed quid mirum Vrbes, homines, interire atque occidere? cum & regnis atque imperiis aetatum gradus, atque adeò mundo ſeu vniuerſo attribui videam, à Naſone I. Metam. Romano verò Imperio à L. Iulio Floro, ſiue is Annaeus Seneca eſt, lib. I. Praefatione, & Ammiano lib. XIV. initio. Verba, vt cum Floro componantur, adſcribere non pigebit: *Rom. populus ab incunabulis primis aduſque pueritiae tempus extremum, quod annis circumcluditur ferè trecentis, circummurata pertulit bella; deinde aetatem ingreſſus adultam poſt multiplices bellorum aerumnas Alpeis tranſcendit & fretum: in iuuenem erectus, & virum ex omni plaga, quam orbis ambit immenſus, reportauit laureae triumphos. Iamque vergens in ſenium, & nomine ſolo aliquoties vincens, ad tranquilliora vitae diſceſſit.*

CAP. VIII.

CICERONIS *loca cum Aeſchinis oratione contra Cteſiphontem comparata.*

NOTA in vulgus Aeſchinis ac Demoſthenis περὶ ϛεφάνου aduerſaria actio. In illa quidem haec legens notabam. Eubulus ille, quem perſtringit initio, vt flagitioſus etiam traducitur à Luciano dialogis aliquot, item ab Athenaeo. Quod ſubiicit; ἀλλὰ ἀγαπᾶν ἐν αὐτῇ τῇ πόλει τιμώμενον ὑπὸ τοῦ δήμου, καὶ μὴ ἐργολαβεῖν ἐν τοῖς κηρύγμασιν, id nimirum eſt, quod Latini dicunt, *non ſequeſtrem eſſe*, hoc eſt, rem perficiendam ſuſcipere, & inde lucrum facere. CICERO pro Plancio: *Cuius tu tribus & venditorem & corruptorem, & ſequeſtrem feciſſe planum clamitas*. Infrà hoc ex Phoebi cortina profert Orator oraculum:

Οὐ πρὶν τῆσδε πόληος ἐρείψετε πύργον ἑλόντες
Πρίν γε θεοῦ τεμένη κυανώπιδος ἀμφιτρίτης
Κῦμα ποτικλύζει κελάδον ἱεραῖσιν ἐπ' ἀκταῖς.

Quod apud Pauſaniam in Phocicis legitur, ſed aliquot verbis mutatis, quibus intellectu facilius eſt:

Πρὶν καὶ ἐν ἐμοῦ τεμένει κυανώπιδος ἀμφιτρίτης
Κῦμα ποτικλύζῃ κελαδοῦν ἐπὶ οἴνοπα πόντον.

Deinceps Heſiodum ſic commẽdat, vt à pueris ediſcenda eius carmina, quae virili aetati proſint, ſuadeat: διὰ τοῦτο οἶμαι ἡμᾶς ὄντας τὰς Ἡσιόδου τοῦ ποιητοῦ γνώμας ἐκμανθάνειν, ἵν' ἄνδρες

ὄντες αὐταῖς χρώμεθα. Sic & Romani princeps eloquij M. TVLLIVS lib. VI. Epiſtolarum Leptam hortatur vt filium Heſiodi verſum edoceat:

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκεν.
Virtutem poſuere Dÿ virtute parandam.

Mox: ὡς ἐκπεπληγμένου καὶ ἀθυμοῦντος καὶ χρυσοχερῶν ἀποκαλῶν. Exemplar Aldinum non χρησόχερων ſed χρυσοχερῶν legit. Sed neque hoc, neque illo pacto legendum, ſed potius χρυσόχρωον, vt de aureo colore intelligatur, ſcommate in pallorem Demoſthenis è ſtudiis contractum iocatus. Et ſtatim, ταῦτα δὲ τίνος ἐστιν τῶ κίναδος ῥήματα ἢ θαύματα. Ita legendum eſt non κίναιδος, idque manifeſtum eſt ex CICERONIS libro de Oratore perfecto. κίναδος verò vulpem aſtutiſſimam ſignificat.

CAP. IX.

Contentius ambulare, CICERO *Tuſculanis expoſitus. Nonius Marcellus caſtigatus, & L. Siſennae hiſtoria.*

MVLTA Nonius peccat. Fatendum eſt enim; ſaepe etiam librariorum manus. Eius rei hoc capite exempla dabo, quae mota ſunt ab oſcitantibus ſcribis: in voce *Contentum* M. Varronis locus, de liberis educandis, duabus poſt paginis collocandus, quò pertinet, in dict. *Cibarius*. Quadrat enim cum illo loco CICERONIS V. Tuſcul. de rege Ptolemaeo: cui cùm peragranti Aegyptum, comitibus non conſe-

conſecutis cibarius in caſa panis datus eſſet; nihil viſum illo pane iucundius ferunt. *Cibarius* porro panis eſt,à quo furfur excretū non eſt,quem Graeci αὐλόπυρον vocant, teſte Brodaeo lib. IV. Miſcell.cap.X.Sic Columella *cibarium oleum* pro vili, paruíque pretij dixit. Certerùm ne in priore Nonij loco hiatum relinquamus, credo equidem Nonium hunc CICERONIS locum,ſui oblitum,cùm illum de pane cibario exſcripſiſſet, in dict. *Contentum*, ponere voluiſſe, qui eſt in eadem Tuſcul. V. *Socratem ferunt cùm vſque ad veſperam ad Piraeeum contentiùs ambularet, quaeſitumque eſſet ex eo, cur id faceret: obſonare ambulando famem ſe dixit.* Quem idem locum malè exponit,pro cōtinuus, perſeuerans, cùm ſit *contentiùs* pro concitatiùs,& vehementiùs.

Idem in Soni Nonius: *Soni & ſonus, pro ſonitus & ſonu.* Lege, *Soniti & ſonu, pro ſonitus & ſono* ex m.ſcripto quē inſpexi Compluti, exemplóq; ſic flagitante: vt Siſennae lib. IV. Hiſtor. *Poſtquam in ſonu ſignorum praelium magno cum clamore virorum commiſſum eſt.* Qui locus,mihi manum iniicit, vt alterum L. Siſennae apud eumdem Nonium in *Saga*, ex lib. III. Hiſtor.emendem: *Senatus auctoritate Sagaria nunc*: lego, *Senatuis auctoritate ſaga induunt*.Sic enim ſuprà paulò idem Marcellus in *Senatui* Siſennam dixiſſe adnotauit: quamuis vulgati etiam optimae notae ibi corrupti ſint. Adſcribam itaque locum emendatiorem, tum ex fide duorum manuſcriptorum, tum efflagitantibus exemplis. *Senati vel Senatuis, pro Senatus. Siſenna Hiſtor.*

*lib.*III.*L. Calpurnius Piſo ex Senati conſulto duas nouas tribus. Varro de vita pop. Rom. lib.* I. *Poſteaquam Q. Fabio Maximo Dictatore.* Locus mancus eſt, nec huc pertinet, niſi aliud addatur. Addo itaque ab ingenio: *Senati conſultum factum eſt*, vel quid ſimile. Plura collegit Agellius lib. XIV. cap. XVI. Idem, *Crebritudinem*, pro, *crebritatẽ*. Siſenna Hiſtor. lib. IV. *Nam clandeſtina celeriter trãſigi, apud notos cogitata dici decet, non explanari.* Puto legẽdum, *celeritudinem pro celeritate*, in Siſenna verò *celeritudinem tranſigi* vt omnia quadrent; & ex eiuſdem lib. V. Hiſtor. ſupra aduocat Nonius, *celeratim pro celeriter, Quo magis celeratim poterant, in inſidiis ſuos diſponit.* Ennius *celere* dixit, Accius *celeranter.*

CAP. X.

Choragium. Domuitio. CICER. I. *de Diuinat. Appuleij Mileſia fabula è Fulgentio aucta. Reuerſionem facere, & Reditionem.*

FVLGENTIVS de priſco ſermone ad Chalcidium Grammaticum Timaei Platonis ecphraſten: *Choragium, virginale funus vocatur.* Suſpicor *Coragium* ſcripſiſſe, & ἀπὸ τ͂ κορῆς ϗ ἄγω deriuaſſe. Feſtus ſcenicum inſtrumentum interpretatur. Argentatis choragiis P. Lentulus Spinther ſcenam adornauit An. poſt Ro. cond. IↃCXC. auctor Val. Maximus lib. II. Memorabilium cap. IV.

Appu-

Appuleius Apologia I. *Quid ſi choragium thymelicum poßiderem, num ex eo argumentarere iſti me conſueße tragoedi* (quidam libri *Gragidij*) *ſyrmate hiſtrionis, Crotalone? Ad trieterica orgia mimi centunculo?* Et pro quouis apparatu Cornificius ad Herennium *gloriae choragium* dixit. Laudat verò Appulei locum Fulgentius: *Choragio itaque perfecto domuitionem parant.* Quae cùm in Madaurenſi ſcriptore iuncta non legantur, qui tamen *Domuitionem parare*, omnibus libris vſurpat; puto defeciſſe extremo lib. IIII. in Pſyches Cupidini deſponſae fabula: *Taedas*, inquit, *nuptiales, quibus praeluxerant, ibidem lacrymis ſuis exſtinctas relinquentes deiectis capitibus domuitionem parant.* vbi pro *deiectis capitibus*, olim *perfectis choragiis* legiſſe Afros illos exiſtimabam; ſed à librariis, vt ſolet, omiſſum verius eſt. Leg. itaq; *deiectis capitibus, choragioq́ perfecto, domuitionem parant.* Sic enim proximè ſuprà: *Iam ferialium nuptiarũ miſerrimae virgini choragium ſtruitur, iam taedae lumẽ atrae fuliginis cinerem arceßit.* Quae & ipſe Fulgentius ſcripſit lib. III. Mytholog. *Perfecto namque choragio puella per montis decliuia, zephyri flantis leui vectura delapſa, in quandam domum auream rapitur.* Idémq; in Pollinctor ex Appuleij Hermagora haec citat: *Pollincto eius funere domuitionem paramus.* vbi quidam libri: *Pollinctor eius funeri dum vnctionem parat.* Lucil. lib. XXVI. *Domuitionis cupidi imperium regis paene imminuerunt*, apud Nonium in *Domuitio*. Pacuuius Hermiona: *Nam ſolis Danais hic domuitionem dedit.* Apud eundem in *Obſcenum*, Accius Aſtyanacte: *Hanc δικαιαπόλον regionem fac deſiſtere exercitum morari, & me à*

domuitione arcere, tam obſceno omine. Sic enim leuiter immutabam, vt Matius apud Varronem lib. VI. de L. Lat.

Obſceni interpres, funeſtique ominis auctor.

Nec ab hac voce CICERONEM abhorruiſſe video, niſi à quibuſdam interpolatus circumferretur, qui; quae non aſſequebantur, tamquam corrupta mutabant, & ad oram, quae repererant, nimis officioſi addebant. Sic enim I. de Diuinatione: *Rhodiorum claſſi propinquum reditum, ac domuitionem dari*. Et apud Cornificium, ſeu quiſquis eſt auctor, ad Herennium. *Atridae domuitionem parant.* quod in vulgatis in *domi vltionem* vertit. Arnobius quoque lib. VII. *Quid domuitiones illae volunt, quibus bene vt valeant Superi, auſpicabili ſalutatione mandatis?*

Reuerſio aeque proba vox, & amplius *Reditu.* M. Varro libro IV. de vita Pop. Rom. apud Nonium in *Anceps*: *Caeſar reuerſionem facit, ne poſt occipitium in Hiſpania exercitus, qui erant, relinqueret; quò ſe coniiceret Pompeius, vt ancipiti vrgeretur bello.* Et M. TVLLIVS lib. XVI. ad Atticum Epiſtola VII. *Dÿ immortales quàm valdè ille reditu, vel potiùs reuerſione mea laetatus?* Et Philipp. initio, *Exponam vobis breuiter conſilium, & profectionis & reuerſionis meae.*

Frequens & *Reditio*. Idem Varro rerum humanarum libro XX. *Ad milites facit reuerſionem*: vbi *reditionem* reperiſſe Nonium puto, in dictione *Reditus*, vbi de genere variantibus agit: ſed, vt ſollemne ipſi, malè deſcripſiſ-

ſcripſiſſe. Nam eodem libro Varro: *Omnes Tarquinios eiecerant, ne quàm reditionis per gentilitatem ſpem haberent*. Niſi fortè συνώνυμα ponere Marcellus, vt aliàs ſaepe, ſtuduerit. Nam & in CICERONIS illo, *profectionis & regreſſionis meae*, illum legiſſe obſeruaui.

CAP. XI.

Silentium, ſuperbiae argumentnm. CICERONI *lux: L. Floro medicina interpunctione allata.*

MEMORABILE Tarquinij Superbi factum, qui filio ad Gabios tranſfugae per nuncium nihil reſpondit, vt refert L. Florus, ſiue is Annaeus Seneca eſt: *Filio Gabiis; vt voluerat, recepto, atque per nuncios conſulenti quid fieri vellet, eminentia fortè papauerum capita virgulâ decuſſit: cùm per hoc interficiendos eſſe principes intelligi vellet, quae ſuperbia ſic reſpondit*. Iornandes huius abbreuiator ſic exſcripſit: *ea ſuperbia ſic reſpondit, vt ſenſerat*. Quidam vir doctus, *qua ſuperbia ſic reſpondit*. Equidem malim è declamandi more Annaeis perfamiliari, interiicere videri, vt aliàs ſaepe, exclamando: *Quae ſuperbia? Cùm per hoc interficiendos eſſe principes intelligi vellet (Quae ſuperbia!) ſic reſpondit*.

Ad

Ad eumdem modum & lib. IV. cap. I. *Quibus id nefas ſociis aggreſſus eſt Catilina; ipſe patricius: ſed hoc minus eſt, Curij, Porcij, Sullae, Cethegi, Autronij, Vargunteij atque Longini, (quae familiae? quae ſenatus inſignia?)* Idem Florus lib. 3. De bello Gallico verba faciens: *Quae Atiouiſti Regis ſuperbia? Cùm Legati dicerent, Veni ad Caeſarem:* Superbiae autem argumentum eſt nihil reſpondere. Sic CICERO L. Valerio I. C. iocans extremo libro I. Epiſt. ad famil. *Qui iſtinc nunc veniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas; partim contumelioſum quod malè reſpondeas.* Item C. Trebatio Iure-cōſulto & ipſi lib. VII. Epiſt. XVI. *Qui iſtinc veniunt, ſuperbiam tuam accuſant, quod negent te percunctantibus reſpondere.* Et eidem, in Topica praefatus: *Etenim cùm tu mihi meiſque multa ſaepe ſcripſiſſes, veritus ſum ne, ſi ego grauarer, aut ingratum id aut ſuperbum videretur.* Item Tuſculana I. *Quid ſi te interrogauero, nónne reſpondebis? ſuperbum id quidem eſt, ſed niſi quid neceſſe erit malo non roges.* Quae cùm ita ſint, ſuperbi ſemper eſt habitum ingenij, minimè dignari reſponſo.

CAP. XII.

Auerruncus Deus. Dij meliora. Dij perduint. Aricinae mentes. CICERO *illuſtratus. Nonius, Fulgentius, & Appuleius ſaepius emendati.*

LVCILIVS apud Nonium lib. XXVI. Satyr. *Dij maluerint meliora atque amentiam auerruncaſſint*

caſsint tuam. Sed Feſtus Pompeius in *Verruncent.* hoc Pacuuio adſcribit. M. Varro de lingua Latina lib. VI. *Ab auertendo*, inquit, *auerruncare, vt Deus, qui eis rebus praeeſt, Auerruncus.* Idem & *Auruncus* eſt. In gloſſario veteri θεὸς ἀποτρόπαιος. Et alibi ἀλεξίκακος. Fulgentius in *Fabre*, pro *eradicare* exponit. Feſtus verò & Nonius *verruncent*, pro *vertant*, Accius Aeneadis:

Te Sancte venerans precibus inuicte inuoco,
Portenta, vt populo, patriae, verruncent bene.

Perſius Sat. V. *Depellentes Deos appellat.* Appuleius de Socratis daemonio: *Qui tibi queat tum ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coram, cùm vſus poſtulat, mala auerruncare, bona proſperare.* Sic enim in veteri libro melius quàm excuſis *auertere*, quod ſuprà adſcriptum à ſemidocto receptum in ſeriem, altero de poſſeſſione deturbato. Antidamus in Moralib. *Fabre compactum animal hominem quis ferat, ſic ex re pecuatum? quis auerruncaſsit tam Aretinas hominum mentes?* Vbi quidam *arretinas* tentarunt, alius *Aretinas*. Atqui Fulgentius teſteas vel argillaceas *Aretinas* exponit, & *pecuatum*, ſtultum. Idémque lib. I. Mytholog. *Sunt qui ſpreta capitis generoſitate, Atricinis atque Arcadicis ſenſibus glandium quippiam ſapiant, atque eorum altiori ſtultitiae nubilo; ſuperata caligentur ingenia.* Vbi *Eretinis* Baſil. editio praefert. Scriptus, quem vidi, codex, *Aricinis*: vt ad *Aricium nemus*, cui & Diana praeerat, reſpiciat, vbi glandium copia. Sed ἅλις δρυός. Iterum vapulet Marcellus. cedo alteram vitem, quoniam in hac militia Centurionis ius occupauimus. Lucilij illa totidem verbis eodem loco, ſui oblitus CICERONI adſcri-

adſcribit, quae tamen nuſquam exſtant, niſi quod lib.IX. ad Atticum Epiſt. XI. & quidem verbis, vt apparet, Attici vſurparit. *Contra igitur? Dij inquis, auerruncent*: quaſi, Ne Dij ſiuerint. Sed haec ῥᾳθυμία Nonio ſolemnis. non longè abiero. In eodem ipſo Lucilio lib.XXX. in dict. *Imberbis* pro *imberbes*, & *Sexcentum:*

Maximu' ſi argenti ſexcentum ac mille reliquit
[*Maximus ſi argento*] *Imberbi, Androgyni, barbati, Moecho cinaedi.*

Niſi ſunt ab oſcitantibus librariis, vt ſolet, reperita, nec oblitterata, ne ſcripturam venalem deformarent: quod obiter moneo, quia ab Hadriano Iunio tentatum fruſtra videam. Prouerbij verò ſpeciem habere ex Arnobio doctiſſimo ſcriptore didici, lib.3. aduerſus Gentes: *Procul vt dicitur, auerruncetur amentia.* Et lib. III. *Namque haec mala, quibus vror, torreor, geſto numinis auerruncare clementia.* Vt & illud: *Dij meliora*, vel *Dij melius*: quod apud omnes maiorum gentium poëtas occurrit, vt exempla colligere putidae ſit diligentiae. In ſcripto Nonio Complutenſis bibliothecae legitur, *Dij mî nuerint meliora*, pro *mihi annuerint:* vincat tamē Varronis lib.VI. de L. Lat. & Feſti in *verruncent* auctoritas, & Nonij ipſius, qui in *monerint* pro *monuerint* ex Pacuuij Chryſe cum Varrone & Feſto eodem laudat, cum Lucilio Ciceroniq. ſuprà adſcripſiſſet. Nec audiendi, qui *Dij munera dent meliora* reponendum docuerunt. Sed quoniam Dij in ſcenam inducti, eadem opera Madaurenſis alterum locum ſanemus, Apologia II. vbi in Herennium Rufinū calumniae

reum,

reum, moréſque eius impudicos acriùs inuehitur: *In iuuentute ſaltandis fabulis exoſſis planè & eneruis, ſed, vt audio, indocta & rudi mollitie. Negatur enim quidquam hiſtrionis habuiſſe, præter impudicitiam. In hac etiam aetate, qua nunc eſt, qui iſtum deperduint, multi ſunt: bonos auribus praefandus: domus eius tota lenonia eſt.* Sic Baſil. editio omnium poſtrema. Florentina, *qui iſtũ dependuint multus honos.* Emendo: *qui iſtum Dij perduint, multus bonos auribus praefandus.* Natum mendum quod *Dij*, & *Di*, vnica littera longa veteres ſcriberent: quae formula etiam Plauti eſt, quem ſtudioſe Afer ille aſſectatur. Ennius Telepho apud Nonium in *Mactare*: *Qui illum Dij Deaeque magno mactaſsint malo.* Ex Turpilius Leucadia, apud Nonium in *Confidens*: *Videtur Phrygius inceſſus, quàm eſt confidens? Dij iſtum perduint.* Sic enim obiter concinno. Terentius: *Vt illum Dij Deaeq; ſenium perduint, qui me hodie remoratus eſt.* & in Heauton. Sce. VI. Act. IV.

Vt te quidem Dij deaeq; omnes, quantum eſt Syre,
Cùm iſtoc inuento cumq; incoepto perduint.

Et in Phormione Act. I. Scena II. *Homo confidens: illum Dij omnes perduint.* In Hecyra Act. III. Sc. 4. *Cadauerosa facies. Dij illum perduint.* Vtitur & M. TVLLIVS reſtituente Iac. Cuiacio Iure conſultorum coryphaeo, libris Obſeruationum.

CAP. XIII.

C. Plinij Praefatio Poetarum verſibus, & M. TVLLII *loca declarata.*

C. Plinius audaciam dedicandi operis Tito Veſpaſiano Caeſari purgãs: *Hanc, inquit, tibi imputabis, & in noſtra culpa tu tibi ignoſces.* Malim equidem

equidem legi, *& in tua culpa tibi ignoſces.* Et verò facilis erat librario corrumpēdi anſa obiecta, eum ex *tua* facilè *nra*, hinc denique *noſtra* exſcribatur. Auſonio idem in mentē veniſſe video, culpam deprecanti ad Imp. Theodoſium:

Tū modo te iuſſiſſe pater Romane memento,
Inque tua culpa tu tibi da veniam.

Idem hiſtoricus Titi Imp. modeſtiam laudans, qui ſecūda fortuna nihil factus erat elatior, vt & Suetonius ait cap. XIV. Dictus eſt enim ob morum ſuauitatem & elegantiam, *Amor & delicium generis humani. Nec quidquam,* inquit Plinius, *in te mutauit Fortunae amplitudo, niſi vt prodeſſe tantumdem poſſes, quantum velles.* Quis non videt M. TVLLII locū in Ligariana extrema expreſſiſſe? *Nihil habet nec Fortuna tua maius, quam vt poſſis; nec natura melius quàm vt velis cōſeruare quāplurimos.* Et pro Marcello, initio: *Totum hoc quantumcūque eſt, quod certè maximum eſt; totum eſt tuum. Quinetiam illa ipſa rerum humanarum domina Fortuna, in iſtius ſe ſocietatem gloriae non offert: tibi cedit: tuam eſſe totam, & propriam fatetur.* Ibidem Plin. *Etiam non aſſecutis voluiſſe abundè pulcrum atque magnificum eſt.* Expreſſit illud Propertij lib. II. Eleg. x. ad Muſam:

Quod ſi deficiant vires, audacia certè
Laus erit: in magnis & voluiſſe ſat eſt.

Extrema Epiſtola: *Quia verò occupationibus tuis publico bono parcendum erat, quid ſingulis contineatur libris huic Epiſtolae ſubiunxi.* Alluſit fortean ad Horatium, qui in Epiſtola I. lib. II.

Cùm tot ſuſtineas & tanta negotia ſolus,
Res Italas armis tuteris, moribus ornes,
Legibus emendes, in commoda publica peccem,
Si longo ſermone morer tua tempora, Caeſar.

FINIS.

CICERO
A CALVMNIIS VINDICATVS.
QVI EST
TVLLIANARVM QVAESTIONVM
AND. SCHOTTI ANTVERP. S. I.
LIBER V.

FAVONI EVLOGI CARTHAGIN.
In CIC. Somnium Scipionis
DISPVTATIO

Nunc primum in lucem edita.



ANTVERPIAE,
Apud heredes Martini Nutij.
CIↃ. IↃC. XIII.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

ADMODVM REV. PATRI

CLAVDIO AQVA-VIVO

SOCIETATIS IESV PRAEPOSITO GENERALI

ANDREAS SCHOTTVS SAL. IN DOM.

QVAE de optimo genere *Imitandi atque interpretandi* M. TVLLIVM CICERONEM, Romanae principem eloquentiae, notata, ac docendi vſu obſeruata haberem, ea litteris conſignare in lucemque proferre, Te hortante maximè, coepimus: nunc optimum factu viſum eſt, eundem CICERONEM ab imperitorum maleuolorumque calumnia pro virili vindicare; hac potiſſimùm iudicij deprauati tem-

peſtate, cum in alia omnia plerique diſceſſerunt, qui antiquatum penitus atque obſoletum dicendi genus affectant, dum quidquid in buccam ac ſtyli acumen inciderit ſine dilectu, Oratoria Poëticis, Comicis, Hiſtoricis; rancida ad haec verba, puerili quodam iudicio miſcendo κακοζηλία vitiosè contaminant. Quo fit vt obſcura & tenebricoſa, quaeque Delio natatore indigeat, exiſtat oratio: vt ſi legi maxime cupiant, intelligi certe nolle videantur: quaeque Maro ex Ennio legit, ea negligunt ac praepoſterè faſtidiunt; contra verò quae abiecit, ea cupide nimis amplectũtur. Quamobrem exclamet iterum in haec ſaeculi vitia Orator ipſe: *O tempora, ô mores?* Inſtaurandum itaque, mea quidem ſententia, verum illud maiorum noſtrorum memoria vigens iudicium, de ſtylo è CICERONE potiſ-

potiſſimum formando : adhibitis interim aurei eiuſdem ſaeculi ſub Auguſto ſcriptoribus , Caeſare, Salluſtio , Liuio , Fabio , ac Terentio purgato : vt per Te iuuentuti noſtrae fidei commiſſae CICERO iam inde à teneris in manus traditus teratur aſſidue atque ediſcatur, dum plane excellenterque dictionem quiſque formarit. Formato denique ſtylo , perſpicua naſcetur planaque ac iucunda oratio , cum corroborata nonnihil aetate atque iudicio per nos liceat apis inſtar ſequioris aetatis Auctores attingere ac delibare, vt & rerum ſuppeditent copiam , & ſcientiam augeant. Qua in ſententia ſi quid iudicans fallor , Tuum erit Romano in caelo , vnde ad exteras nationes Eloquentia artéſque omnes emanarũt, pronunciare. Sic te SOCIETATI noſtrae Deus incolumem ſeruet , &

& hanc, qui inchoauit, prouehat in maius, commodo, vt opto & ſpero, Reip. atque Eccleſiae Catholicae; cui in Domino militantes hoc qualecumque telum tironum vtilitati elaborâmus, dum à grauioribus ſtudiis ſacris, iuuenilia reſpectando, reſpiramus. Vale.

LECTORI S.

PROMISERAM, *memini, extremo* TVLLIANARVM QVAESTIONVM, *vindicaturum me pro virili* CICERONEM *à calumniis, quibus plerique hoc ſaeculo falſo inducti ab eius Oratoris, qui Eloquentiae Rom. & vox & princeps eſt, Imitatione ſupina quadam ignauia, aut verius iudicij inopia, refugiunt. Fidem iam libero, quam temporis nuper anguſtiis excluſus, vt maxime vellem, non poteram. Eas ſane calumnias, ſi mediocri ingenio, aut ſtudio ſubſeciuo refellere omnino non licuit, nec forte Quaeſtionem penitus profligare in praeſens potui, volui quidem certe; (quandoquidem obſtinatè nunc quiſque praeceptam ſemel opinionem mordicuſque tuetur, & retractare ſuppudet :) id ſaltem conſecutus videar, vt viam aliis commonſtraſſe, glaciemque, quòd aiunt, ſecuiſſe exiſtimer, ſuppeditaſſeque materiam iis, qui calamiſtris haec inurere atque amplificare (inuentis enim addere, perfacile,) ſtudioſe adnitentur. Equidem memini ſic patrum memoria Virgilium Poëtarum coryphaeum, à calumniis vtcumque liberaſſe Gulielmum Modicium, Poetam minime malum. Et vero (quod fugere neminem ſtudiis litterarum deditum arbitror) omnibus omnino ſaeculis, vt Homero* μάςιγα, *ſic &* TVLLIO *noſtro fuiſſe video, nec defuturum : quand.. & eius aequales, Brutus, & Meſſalla, ab eo dicendi charactere, quo regnabat* CICERO, *ſiue inuidia, ſiue animi prauitate longe diſceſſerint. Quid igitur mirum, ſi hac quoque tempeſtate, & in tertus vltimis, iacente nimirum Latini ſermonis puritate, quae ex mutis potiſſimum magiſtris,*

hoc eſt, libris, non cùm nutricis lacte hauriatur, reclament hodie tot tantiq́ue viri, eruditi illi quidem, ſed in alia omnia abeuntes? vt Eraſmus *cùm aſſeclis plurimis. Lipſius enim noſter, Belgij decus, (vt & ab eo priuatim audire memini) vnum alterumue annum iam inde à puero legendum* TVLLIVM *, manibusq́ue terendum in Epiſtolica ſuaſit Inſtitutione. Igitur apud ſaeculum prius oſores* TVLLII *plurimi exſtiterunt: nec defuere qui vel adhuc viuum reprehenderent, vt in dicendo tumidiorem, Aſianumq́ue ac redundantem: & in repetitionibus nimium; & in ſalibus aliquando frigidum; & in compoſitione fractum, ac paene viro molliorem; vt M. refert Quinctilianus lib.* XII. *cap.* X. *Caluus eum tanquam ſolutum & eneruem: Brutus tāquàm fractum vocabant, ait idem Fabius Dialogo, qui Tacito à nonnullis datur, de claris aeui ſui Oratoribus. Mortuū vero plures vituperarunt, vt ibidem Quinctilianus, cap.* I. *&* X. *refert. Quin & in illū ſcribere auſi, vt Aſinius Gallus, & Licinius Largus, vt auctor Agellius eſt, lib.* XVII. *cap.* I. *& de Didymo* Chalcentero *Ammianus Marcellinus lib.* XXII. *teſtatum reliquit. Apud Senecam Rhetorem hos in* TVLLIVM *incurriſſe obſeruo. Aſinius quidem Pollio, vt ait Suaſoria ſexta; & Meßallam Coruinum, de quo M. Fabius hoc elogio: generis nobilitatem dicendo praeſetuliſſe; & in illo refert Dialogo, verbis magis quàm* CICERONEM *elaboratum, ac dulciorem exſtitiſſe. Q. Fufius* Calenus *quàm in* TVLLIVM *acriter eiusq́ue mores, vt in Demoſthenem in Cteſiphontis cauſa Aeſchines declamitando benelonga oratione inuehitur? quae exſtat apud Dionem Caßiū lib.* XLVI. *rerū Rom. De Ceſtio quid dicam? cognomento quidem Pio, ſed tametſi Graecus eſſet homo,* CICERONE *tamen quem litteras ſciuiſſe negaret, ſe diſertiorem eſſe iurabat, neq; retractare voluit. Poſtea*

tamen

tamen M. Ciceroni filio, Pratori Syriæ, pœnas flagris à conuiuio dedit, & parenti filius, vt oportuit, de corio Ceſtij ſatisfecit. Ita M. Seneca Suaſoria VII. *& Praefat. lib.* III. *Declamat. Quo ſaeculo etiam Ceſtium pueri, inepto iudicio,* CICERONI *praetuliſſent, niſi lapides metuiſſent. Sed iudiciorum haec manitas nonne alteram altera euertit? nonne vnumquodque alterum conuellit, cum de eodem contraria perhibeantur? Verè vt illud affirmare poſſim, eo quemque iſtorum deteriorem habendum, quo magis* CICERONIS *orationem reprobauit: quòd ab Eloquentiæ voce perfectiſſimaque dicendi idea ſe quam longiſſime abſtraxerit. Contrà vero ex M. Fabij oraculo iure pronunciauerim, tum demum quemque profeciſſe videri, cum* CICERONEM *adamarit. Quid ſi imitari atque exprimere pro virili ſtudeat? Meſſallas quidē in Bruto* TVLLIVS *ab eloquentia & ſapientia laudat: qua ſi via inſtiterunt,* CICERONIS *ſtudioſos fuiſſe apparet. Aſinius vero referre noluit eum, quem odiſſet, iudicioque damnaret. Tulit nimirum moleſtè vocari* CICERONEM *Latinae linguae parentem; quaſi haec illius gloria aliis loquendi facultatem praeriperet. Quod ſi inuidia illorum animos occuparat, vt res ipſa clamat, quae, obſecro, iudicij ſinceritas pótuit exſpectari? Tertio deniq̃ue pedatu* CICERONIS *damnauit* Imitationē *Angelus* Politianus *quem altera refellit Epiſtola* Paullus Corteſius *homo diſertus: & haud ſcio an idem* Theologiae Capita *in ſententiarū Magiſtro, qui tum in ſcholis Theologicis regnabat,* CICERONIS *etiā verbis, hoc eſt Latinè ac diſertè explicari poſſe docuit. Mox Ioannes Franc. Picus Mirandulanus, Poeta ac Philoſophus,* TVLLII *oppugnans dictionem confutatur à Pet. Bembo Card. Veneto, & voluminis obiecta argute breuiterq́ue remouit. Eſt enim, ait Euripdes, Veritatis*

ſimplex breuiſque oratio. Patrum denique memoria Des. Eraſmus Dialogo CICERONIANO *aequales omnes, qui ad imitandum* CICERONEM *ſibi propoſuiſſent, Luciani more ac Satyricè irriſit: cuius praeceps in pleriſq; etiam ſacris, iudicium, ſcripto refellẽdum ſibi cenſuerunt, Iulius quidẽ Caeſar Scaliger vehementi oratione, quae in Vbiis ac prius Pariſiis edita lucem aſpexit. Singulari vero libro Stephanus Doletus; & libro* III. *de Imitat. Bart. Riccius. De Germanis vero Camerarius, de Imitatione fuſius agens, cum in primam* CICERONIS *Tuſculanam diſſeruiſſet. Hos leges, ſi quae forte nos fugerunt. Nunc ad rem ipſam praefati, cum Deo, veniamus.*

INDEX CAPITVM.

I. An gloriæ nimis cupidus CICERO?
II. Conſulatum, ſuaque in Remp. patriã liberatã merita cur toties prædicarit?
III. Auaruſne, vt ambitioſus, fuerit?
IV. Num inconſtans in dictis & factis?
V. An dicax Orator, calumnia refutata?
VI. Ridiculuſne? & de Iocis ac dicteriis
VII. Obſoletis vocibus, & quatenus ſit vſus?
VIII. An in eo σολοικοφανὴς appareat?
IX. An Philoſophus cenſendus?
X. An Poëta minime malus? Quid Parechema, Parecheſis. Echo, & Echoinus verſus.
XI. Superior, an inferior Demoſthene?
XII. Felixne in vxore ac liberis?

DE CICERONIANIS.

I. An aridos reddat CICERONIS imitatio?
II. Cur ſcribant vt limatiora, ſic & pauciora?
III. An ſcribere Hiſtoriam poſſint?
IV. Reliquaéne diſciplinae tractari CICERONIS verbis queant?

CICE-

CICERO A CALVMNIIS VINDICATVS.

TVLLIANARVM QVAESTIONVM LIBER V.

CAPVT PRIMVM.

An gloriae nimis ſtudioſus CICERO? *Purgatum crimen, commune cum pueris, militaribus, Poëtis, & Philoſophis.*

QVAM laudis cupidus, & ad gloriam à primis annis propenſus TVLLIVS, ignotum nemini arbitror, qui eius aut ſcripta legerit, aut vitam, reſque domi foriſque geſtas cognouerit. Hic enim veluti ſtimulus & calcar hominem, vt ſit, impulit, atq; incitauit, ad Remp. dicendi virtute, ad quam potiſſimũ natus eſſet, capeſſendam. Obſeruat illud diligenter M. Fabius lib. XI. Inſtitut. Orat. cap. I. & homo Graecus Plutarchus, Hiſtoricus idem ac Philoſophus egregius, in vitijs cuiuſque notandis cetera temperans ac modeſtus; qui nimiam ipſius gloriae cupiditatem, &, quae hinc conſequi ſolet, putidam ſui

praedi-

prædicationem, vitio vertit. Hoc ſi à CHRISTI legę alienus reprehendit, quanto iuſtius Chriſtiano homini, & inanis gloriae vere contemtori turpem videri inanem ſui oſtentationem par eſt? Colligam de multis pauca teſtimonia, ex ipſius ſcriptis, ac Plutarcho. Hic enim in eius vita, de adoleſcentis fama Romae increbeſcente, *Gracum* iam tum, ac *Scholaſticum*, vel vt alij interpretantur, *otioſum* appellatum ait: ἐπεὶ δὲ φύσει φιλότιμος ὢν, καὶ παροξυνόμενος ὑπὸ τοῦ πατρὸς καὶ τῶν φίλων, ἐπέδωκεν εἰς τὸ συνηγορεῖν ἑαυτὸν, οὐκ ἠρέμα τῷ πρωτείῳ προσῆγεν, ἀλλ' εὐθὺς ἐξέλαμψε τῇ δόξῃ, καὶ διέφερε πολὺ τῶν ἀγωνιζομένων ἐπ' ἀγορᾶς. *Qui flagraret natura cupiditate gloriae, atque à patre & neceſſarijs intenderetur, vt contulit ſe ad cauſas agendas, non ſenſim aſpirauit ad primas, ſed confeſtim gloria effulſit, longeque ceteris, qui cauſas agebant, in foro excelluit.* Idemque in comparatione cum Demoſthene, Graecum Oratorem, vt ſerium ſemper, grauem, & à nimia ſui prædicatione abſtinentem CICERONI laudando anteponit. Sic enim, vt Latine reddam: *Immodica*, inquit, CICERONIS *prędicatio nimium eius laudis ſtudium arguit, vt exclamauerit identidem:*

Cedant arma togae; concedat laurea linguae.

Quē verſum ſic Graece Plutarchus reddidit, vt etiàm obſeruatum lib. v. Variarum lectionum à Petro Victorio cap. 14. Ὡς τὰ ὅπλα εἴδει τῇ τηβέννῳ, καὶ τῇ γλώττῃ τὴν θριαμβικὴν ὑπείκειν δάφνην. *Denique non res geſtas & opera modo, ſed & dicta ſcriptáque, & habitas à ſe orationes de-*

praedi-

praedicat. Haec ferè Plutarchus, Brutus quoque T. Pomponio Attico de M. Tullio epiſt. XVII. teſtatum reliquit: *Dum habet à quibus impetret* CICERO *quae velit, & à quibus colatur ac laudetur, ſeruitutem honorificam modo non aſpernatur; ſi quidquam in extrema ac miſerrima contumelia poteſt honorificum eſſe*. Verum quid externa conquiro? Producendus è domo teſtis eſt, &, quod aiunt, οἴκοθεν μάρτυρ Tabulae proferantur. En epiſtolam ad P. Corn. Dolabellam, in Tullia filia generum, è libro IX. ad Famil. *Sum*, inquit, *auidior, etiam quam ſatis eſt, gloria*. Et poſt non longe: *Etſi contentus eram tua gloria, ſatisque ex ea magnam laetitiam voluptatemque capiebam, tamen non poſſum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quòd vulgi hominum opinio ſocium me adſcribat tuis laudibus*. T. Attico vero ita ſcribit lib I. epiſt. 10. *Laudis auidiſſimi ſemper fuimus, & praeter ceteros φιλέλληνες & ſumus & habemur*. Statimque: *Me ambitio quaedam ad honorum ſtudium; te autem alia minimè reprehendenda ratio ad honeſtum otium duxit*. Et lib II. epiſt. 17. *Quod eſt ſubinane in nobis, & nō ἀφιλόδοξον (bellum eſt enim ſua vitia noſſe) id afficit me quadam delectatione*. T. Attico item epiſt. 14. li. I. *Fuit mihi ſaepe & laudis noſtrae gratulatio iucunda, & timoris conſolatio grata*. Et Q. Fratri epiſt. 5. lib. III. viuere ſe ambitione ac labore ingenuè confitetur. Habes, Lector, quod actori optandum maxime, confitentem reum. Habet tamen viciſſim quo ſe tueatur, & excuſatione dignus Orator eſſe videatur. Sic enim in ea, quam pro Domo ſua habuit, oratione; *Quoniam*, inquit, *hoc reprehēdis, quod ſolere me dicas de me-ipſo glorioſius praedi-*

prædicare, quis vnquam audiuit, cũ ego de me niſi coactus ac neceſſario dicerem? Nam ſi, cum mihi furta, largitiones, libidines obiiciuntur, ego reſpondere ſoleo, meis conſiliis, periculis, laboribus patriam eſſe conſeruatam: non tam ſum exiſtimandus de geſtis rebus gloriari, quam de obiectis non confiteri. M. Fabius quoque Quinctilianus ſic Oratori propugnat, vt eloquentiam quidem aliis partium patronis concedat; ſibi vero immodice nunquàm arroget: idemque Fabius cap. I. lib. XI. vt ſui laudatorem reprehenſum quidem ait Tullium, ita tamẽ diſtinguens: quod ingenium ſuum raro & modeſte; ſed labores & res ſuas, vt Conſulatum ſaepe, & interdum non ſatis, vt quibuſdam videtur, modeſtè commendet. Quod, vt pleraque Fabius è Tullij Bruto, qui de claris eſt Oratoribus, hauſit, *Se non ingenij ſui prædicatorem eſſe, ſed laboris*, affirmantis. Quin & ipſe in Diuinatione in Verrem, cum de accuſatore cõſtituendo, in quo multum eſſet momenti poſitum, ageretur, Q. Caecilio dicendi facultatem magis detraxit, quam ſibi arrogauit. Illius quoque ſunt hę voces, in Liciniana, ſeu orat. pro Archia: *Si quid eſt in me ingenij, Iudices, quod ſentio quã ſit exiguũ.* Et pro Quinctio: *Quo minus ingenio poſſum, ſubſidio mihi diligentiam comparaui.* Sed non hic Tullij ſubſtitit ambitio. Rogat L. Luceium lib. V. epiſt. 12. ad Fam, temporum ſuorum Annales meditantem, ſuum vt Conſulatum praedicando res in maius augere ne vereatur. vt & lib. IV. ad Attic. ep. 9. cõmemorat. Verba apponam: *Ardeo cupiditate incredibili, neque, vt ego arbitror, reprehendenda, nomen vt noſtrum ſcriptis illuſtretur, & celebre-*

celebretur tuis. Addit mox: *Itaque te plane etiam atque etiam rogo, vt ornes ea vehementius quam fortaſſe ſentis: & in eo leges Hiſtoriae negligas, gratiamque illam, ſi me vehementius commendabis, ne aſpernere.* Ain' vero M. Tulli? vſque eo tui oblitus es, vt etiam latas abs te Hiſtoriae leges migrare iubeas? *Quis neſcit,* inquis II. de Oratore, *primam eſſe Hiſtoriae legē, ne quid falſi dicere audeat. Deinde ne quid veri nō audeat: ne qua ſuſpicio gratiae ſit in ſcribendo.* Immo legem ibidē Luceio praeſcribis: *Verecūdius de ſe quiſq; ſcribat neceſſe, ſi quid laudādum; & praetereat, ſi quid reprehendēdum. Accedit etiam, vt minor ſit fides, minor auctoritas,* Et in Vatiniana: *Nemo,* inquis, *de ſe ſatis honeſte, ac ſine multorū inuidia loqui poteſt.* Verū enimuero & hic venia dignus CICERO videatur, duplici nomine. Laudat enim res ſuas, vel vt alios ad idem faciendū inuitet; vel vt aduerſariis reſpōdeat. Qui enim CICERONEM hic accuſat, alios aequales accuſet neceſſe eſt. vt M. Varrorē & C. Trebonium, qui à Tullio celebrari vehementer exoptarunt, & aliquid de ſe honoris gratia ſcribi, quod apud poſteros exſtaret, poſtularunt. Plinius quoque iunior à Corn. Tacito, alij denique innumerabiles eandem ab amicis laudis praedicationem exegerunt. Et vero non tam ἐγκωμιαςικὰ, quam ἱςορικὰ cōnſcribi de ſuo Conſulatu à Luceio poſtulauit, idque non ſine veterum exemplo. Alij enim ab aliis, vt diximus, praedicari ſtuduerūt, vt Themiſtocles, Alexander, & CN. Pompeius, Magni cognomēto, & P. Scipio Africanus. Alij vero nō alienis cōtenti laudibus, res ipſi à ſe domi militiaeque

geſtas

geſtas litteris mandarunt: vt de Graecis Xenophon & Aratus; de Romanis M. Scaurus & Q. Catulus; de Imperatoribus denique, Caeſar & Hadrianus. Quidam etiam belli duces doctos homines, & in his Poëtas ad ſe euocatos fouerũt, praemijſq́; vt res ſuas ſtylo aut carmine celebrarent, ſponte ornarũt. Ipſe enim Africanus, vt in Liciniana Orator cõmemorat, Q. Ennium Poëtam nõ honeſtauit modo, ſed & tumulo ſuo cõdecorauit. Scribit adhaec idem Tullius, nimis gloriæ flagrans ardore M. Catoni, Stoico, id eſt ſeuero Philoſopho, lib. xv. ad Fam epiſt. 6. dum ſupplicationem ſibi a Senatu eius ſuffragio decerni, ob velitationem ſcilicet in Cilicia cum latronibus factam, ambitioſe poſtulat; laudabile ducens à laudato laudari viro: *Ea eſt profecto iucunda laus, quae ab iis proficiſcitur, qui ipſi in laude vixerũt. Quem ego currum, quam lauream cum tua laudatione conferrem? Tibi honorem illum noſtrum ſupplicationis fuiſſe iucundum, quod ſcribendo adfuiſti, video.* Et in Oratore ad Brutum: *Cum à Catone laudabar, à ceteris me reprehendi facile patiebar.* Atqui ſecum ipſe Orator, cum tamen memorem eſſe deceat mendacem, pugnat, ad eundem Catonem epiſt. 4. ſic ſe ipſe iactans: *Si quiſquam fuit vnquam remotus & naturâ, & magis etiam, vt mihi quidem ſentire videor, ratione atque doctrina ab inani laude & ſermonibus vulgi, ego profecto is ſum.* Et poſt non longe: *Ipſam quidem gloriam per ſe nunquam putaui expetendam.* Falſo, M. Tulli! multus es enim paſſim gloriam praedicãdo: qui & *de gloria* Commentarium à te conſcriptum T. Attico miſeras, vt

epiſt. 2. lib. XVI. affirmas, qui ſi ad noſtram vſque aetatem perduraſſet, tua facile ambitio parêret. Sic enim cauſas perorans pro P. Sextio, & C. Rabirio philoſopharis: *Cum exiguum nobis vitae curriculum natura circumſcribat, gloriae curſum eſſe ſempiternum. Si enim non eſſet longior quam haec vita rerũ geſtarum memoria; quis tam eſſet amens, qui ſemper in laboribus & periculis viueret? Trahimur enim omnes*, ais I. Tuſcul & Philip. XIIII. *laudis ſtudio, & optimus quiſque maxime gloria ducitur. Eſt enim honos, Virtutis praemium, iudicio bonorum ad aliquem delatum: & ſapiens quiſque honorem Virtutis praemium non praedam petit*. In Bruto, & III. de Orat. *Anguſti itaque animi ac plane demiſſi ſit honorẽ veluti triumphi lauream, dignitatemque contemnere. Vt enim leuitatis eſt*, inquis in Piſoniana, *inanem aucupari rumorem, & omnes vmbras, etiam falſae gloriae, conſectari; ſic leuis eſt animi lucem ſplendoremque fugientis, iuſtam gloriam (qui eſt fructus verae Virtutis honeſtiſſimus) repudiare*. Quid? laude ducũtur teneris iam ab annis *Pueri*, (V. *de Finibus*) efferunturque laetitia cum vicerint; pudet contrà victos eſſe; & accuſari nolunt, ſed laudari. Quin & *opifices* laude ducũtur, qui poſt mortem nobilitari volũt, ais Tuſcul. I. vt Phidias, qui Palladis clypeo ſimilem ſui ſpeciem incluſit, cum nomen inſcribere nõ liceret. Ducuntur adhaec *Poetae* laudibus; qui & inſcriptis elogio tumulis poſt mortem nobilitari volunt. *Militares* item homines gloria ad bellum rapiuntur. Themiſtocles enim (vt ex Archiana clarum) ſummus Athenis vir, cum ex eo quaereretur, quod acroama, aut cuius vocem liben-

tiſsime audiret, reſpondiſſe fertur: *Eius, à quò ſua virtus optime praedicaretur.* Idemque ſomnum oculis noctu capere non poterat, quòd Miltiadis ducis trophæis è ſomno ſuſcitaretur. Sic Tuſcul. IIII. & Valerius Max. li. VIII. c. 15. de gloriae cupiditate. Quid de *Philoſophis* dicā? Nónne in ijs ipſis libris, quos *De contemnenda gloria* inſcripſerunt, ſua nomina, vt à poſteris laudentur, apponūt? vt ait *pro Archia, & Tuſcul.* I. Igitur communi gentium ac paganorum peccauit vitio Tullius, vt & Philoſophi veteres, quibus CHRISTI lux Euangelica minimè affulſit; vt gloriæ ſupra modum cupidi, ac paene ebrij nihil agerent, ac dicerent, ſcriptiſque mandarent, niſi laude impulſi, & ſe ſuaque arroganter nimis efferrent. Hinc enim B. Hieronymus, magnū Eccleſiæ decus, epiſt. ad Pammachium, itemque ad Iulianum, *Philoſophum* gloriæ animal & popularis aurae vile mancipium, appellat. Eiuſdemque aequalis, ac doctrina par, vel etiam maior B. Auguſtinus, lib. V. Ciuitatis Dei, cap. X. arrogantem illam Ethnicorum ciuitatem refutat: *Adeo*, inquit, *fuerunt humanae gloriae auidi, vt huius vnius ingenti cupiditate ceteras cupiditates preſſerint.* Plato Diogenem Cynicum (vt alter refert Diogenes lib. VI.) ſic reprehendit, quod cum popularis aurae gratia captandae, in aquis congelatis nudus ſtaret, quo frigoris patientiſsimus laudaretur, & populum Athenienſem miſerari videret: *Si huius hominis*, inquit, *miſericordia vos tangat, hinc diſcedite.* Significans nimirum gloriae id ſtudio facere. Alexander quoque, vt militaris, Plutarcho aucto-

auctore, & Valerio Max. lib. IX. cap. 3. laudis prædicatione incredibiliter mouebatur, vt & parentis Philippi res geſtas à Clyto inter pocula prædicari cum audiret, quaſi inuidia ductus, haſta hominem confoderit. Ab Homero idem res à ſe, vt ab Achille, militiae geſtas celebrari optabat: cumque ad huius ducis tumulum forte aſſiſteret, tali felicem praecone pronuntiauit. Illius autem poemata, vt Poëtarum prope Dei, in narthecio, quod in Darij ſpolijs repertum erat, collocari iuſſit. Forte iam nuncius accurrerat, manum ille tollens, eminus ait: *Quid mihi, vir bone, nunciare maius potes, quam reuixiſſe Homerum? Nemo eſt tam auerſus à Muſis*, inquit in Liciniana CICERO, *qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facile præconium patiatur.* Et Venuſinus Lyricus:

Dignum laude virum Muſa vetat mori.

Hic nimirum dux Ariſtotelis diſcipulus exſtitit; qui Philoſophus quanto & ipſe gloriae arderet ſtudio, oſtendit (vt ibidem Valerius Max. refert) cum Rhetoricas praeceptiones Theodectis nomine euulgaſſet, mox laudis cupidus repetens, ſibi eaſdem vindicauit. Sic enim in iis ad Alexandrum Rhetoricis ait (ſi eius modo ſunt, abiudicante Pet. Victorio) Ἐν ταῖς ὑπ' ἐμοῦ τέχναις Θεοδέκτει γραφείσαις. Libros vero à ſe editos ſine vitio arrogantiaeq; nota à CICERONE paſſim recenſeri equidem exiſtimo, quod & ab alijs quoque Philoſophis, Herodoto, Ariſtotele, Theognide, Plutarcho, Heliodoro, ceteriſque praeſtitum videas. Et

vero tantum abeſt damnari vt debeat recenſere quenquam ingenij ſui monumenta, vt laudi etiam ſit ducendum: in quo haec inſit vtilitas, vt quae legitima cuiuſq; ſcripta ſint, vel ſpuria, hinc elucèſcat. Quae cum ita ſint, efficitur, quod iam diſputatum eſt, *puerorum, opificum, Poetarum, militarium, ac denique Philoſophorum* hoc gloriae ſtudium cum CICERONE commune fuiſſe, excuſationemque habere nonnullam, vt Gentium vitia. Ceterũ *de Gloria* an, & cui expetẽda, noſtra memoria Chriſtiani Philoſophi Commentarios edidere, Sebaſtianus Foxius Hiſpalenſis, Hieronymus Oſorius Luſitanus Epiſcopus, & Flaminius Nobilius, Italus: quos legent, qui plura forte ad hanc profligandam quaeſtionem requirent.

CAP. II.

Conſulatum, ſuaque patriâ liberatâ in Remp. merita cur toties CICERO *praedicarit?*

VIDIMVS CICERONEM inanis gloriae plus aequo cupidum: audiamus nunc ſe, ſuasque res ſupra modum efferentem, quaſi rerum à ſe geſtarum defuturum praeconem metueret. Hinc illud iteratum identidem,

dem, & à Satyrico irriſum de ſuo Conſulatu carmen:

O fortunatam, natam me Conſule Romam!

Quin & de ſuo ipſe Conſulatu, ſublata Catilinariorum coniuratione, à Salluſtio deſcripta, patria à flammis caedeque ciuium liberata, Commentarium Graece ſcripſerat, & verſibus poëta non malus res à ſe geſtas in tres coniecerat libros, vt epiſt. 16. lib. I. T. Attico refert, & lib. II. epiſt. 3. & I. de Diuinatione, & Lactantius lib. III. cap. 17. Quem commentarium à Plutarcho lectum apparet in Caeſaris vita, titulo περὶ τῆς ὑπατείας: idemq́; ὑπόμνημα Rhodum Poſidonio miſit (lib. 2. ad Attic. epiſt. 2.) vt calamiſtris veluti inurens ornatius de rebus à ſe geſtis ſcriberet. At vero tantum abeſt, vt excitatus ad ſcribendum Philoſophus fuerit, vt plane perterritum ſe fateatur.

Nunc Plutarchum ipſum de CICERONIS iactantia liberè iudicantem, ſed Latine, audiamus: *Fuit*, inquit, *auctoritas eius in ciuitate ſumma: verum inuidiam conflauit ſibi, nullo ille quidem flagitio; ſed quod ſe ipſe laudaret & celebraret aſsidue, offendit multos. Vbique enim, ſiue in Senatu, ſiue in concione, ſiue in iudiciis, habuit in ore Catilinam, & Conſulatum. Libros denique & ſcripta laudibus compleuit ſuis: iucundiſsimamq́ue ſuam & venuſtiſsimam dictionem odioſam reddidit, & ingratam auditoribus, hac eum quaſi morbo aliquo ſemper comitante importunitate.* Haec ille. Sed hic quoque ambitionis abeſſe vitium potuit, quòd neminem rerum ſuarum conſiliorumq́ue ſe vno magis conſcium, quiq́ue certiora narraret, arbitraretur. Tria enim po-

tiſſimum in Hiſtoria ſpectāda ſunt, *Conſilia*, nimirum, *facta, & euenta*. Qui exitus, etſi conſiliis ob incertos rerū caſus non vſquequaque reſpondeant, reprehēdi tamen ab aequo rerum exiſtimatore nō debeant, vt Poëta verè canat:

——careat ſucceſſibus opto,

Quiſquis ab euentu facta probanda putet.

Quattuor autem conſideranda, vel contemnenda potius iuuentuti, Tullianae ἀλαζονείας argumenta. Iactat enim primo Conſulatum, vt iam dicere coepi; de hinc aequalium ſuorum de eo Magiſtratu obito colligit elogia; Tertio reditum ab exilio ſuum valde praedicat: Denique ſua ipſe ſcripta nimis in vulgus commendat.

1. Putide igitur nimis, vt ordine ſingula exſequar; Nonas Decembres, tanquam conſeruatae auſpices patriae, identidem in ore habet, repetitque ad nauſeam vſque: vt & M. Brutus, homo acutus, T. Attico epiſt. XVII. ſcribens animaduertit. Lentulo autem epiſt. 9. lib. 1: *Tenebam*, inquit, *memoria nobis Conſulibus ea fundamenta iacta ex Kal. Ian. confirmandi Senatus, vt neminem mirari oporteret Nonis Decembris tantum vel animi fuiſſe in ordine illo; vel auctoritatis.* Eidem Attico rurſum initio lib. x. *Sextus pater mihi dixit olim* (*quod ſaepe ſoleo recordari*) *Nonis illis Decemb. cum ego Sexte: Quidnam ergo? quid? ille apud Homerum* (Iliad. χ. verſ. 303.

Ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

Eidem quoque Attico, vt fratris loco cariſſimo, miſit conſcriptum à ſe *de Conſulatu ſuo* volumen, & Graece quidem, quemadmo-

modum & verſibus conſcripſiſſe diximus; vt ad eam quoque gentem nominis ſui ac Magiſtratus fama perueniret, quò adoleſcens ipſe exercendae eloquentiae gratia ſe contuliſſet, Sic ſere epiſt. vlt. lib. I. ad Attic.

II. Alterum vero caput eſto de elogiis iudiciiſque aequalium Romae virorum Illuſtrium ſuper eius Conſulis in Remp. meritis, puta Cn. Pompeij, M. Craſſi, Q. Catuli, M. Catonis, ac deniquè L. Gellij. Pompeius enim, vt CICERONEM primum è Syria decedens vidit, complexus, & gratulans, eius beneficio patriam ſe viſurum eſſe dixit, vt diuina illa Philippica II. commemorat, & I. Officiorum: *Vir*, inquit, *abundans bellicis laudibus hoc mihi tribuit, vt diceret, fruſtra ſe tertium triumphum deportaturum fuiſſe, niſi meo in Remp. beneficio, vbi triumpharet, eſſet habiturus.* M. Craſſus (cum quo tamen ſimultates CICERO aliquando exercuit, vt in huius vita Plut. auctor eſt) dixit, ſe, quod eſſet Senator, quod ciuis, quod liber, quod viueret, CICERONI acceptum referre. Quoties coniugem, quoties domum, quoties patriam videret, toties eius ſe beneficium videre: (vt Attico ſcribit lib. I. epiſt. 9. aliis II.) Quid? PATREM PATRIAE CICERONEM Q. Catulus, Princeps Senatus, & M. Cato pronuntiarunt. Ille quidem frequentiſſimo Senatu, & publici auctor conſilij, vt in Piſoniana ipſe commemorat: & in Sextiana alios idem iteraſſe elogium teſtatur, Plutarchus & Appianus, Graeci Hiſtorici, de hoc Catone: cum PATRIAE PATREM

appellaſſet populi factam acclamationem refert, primumque huic titulum honoris gratia tributum, indeque ad Imperatores Auguſtos deriuatum. Et C. Plinius maior li. VII. Natur. Hiſt. cap. 30. M. TVLLIVM ſic affatur. *Salue primus omnium Parens patriae appellate*, & Satyra VIII. Iuuenalis: ——*Roma parentem*,

Roma Patrem patriae CICERONEM *libera dixit*.

Ad hæc L. Gellius, vir clariſſ. in concione dixit. Si conſul CICERO cùm fuit, non fuiſſet, Remp. funditus interituram fuiſſe, vt ait orat. poſt reditum ad Quirites. Idemque hoc amplius ciuicam ei deberi à Rep. coronam cenſuit (vt in Piſoniana dixit, & Agellius lib. V. Noctium Attic. cap. 6.) quòd eius opera eſſet atrociſſima illa Catilinae coniuratio detecta, vindicataque. Octauius praeterea adoleſcens, Imperij hæres futurus, iactare ſe ſolitum, M. Brutus T. Attico epiſt. 17. refert.

III. Venio ad tertium arrogantiae caput, quo ab exſilio ſedecim menſium, (in quo & muliebriter nimis eiulando, etiam Terentiae coniugi ſcribens lib. XV. ſe geſsit:) reditum ſuum anno poſt Rom. conditam DCXCVI. gloriose nimis praedicat, initio lib. IV. ad Atticum, vt & de Senatus erga ſe voluntate, qui P. Clodio pro ſuo capite iugula oſtẽtarit, lib. I. ep. XI. Item in Piſoniana, ac Sextiana. Ad Vrbem enim ita ſe veniſſe ait, vt nemo vllius ordinis homo nomenclatori notus fuerit, qui ipſi obuiam non venerit. immo à Brundiſio Romam vſque agmen perpetuum totius Italiae vidit. neque enim regio fuit vlla,

neque

neque municipium, neque præfectura aut colonia, ex qua non publice ad CICERONEM venerint gratulatum. Magnæ erant effuſiones hominum ex vrbibus, maximè concurſus ex agris patrumfamilias cum coniugibus ac liberis; cumque viæ multitudine legatorum vndique miſſorum celebrarentur, vrbes Italiæ feſtos dies agere aduētus eius videbantur. Itaque in Piſonē ſic iactat. *Vnus ille dies mihi quidē immortalitatis inſtar fuit quo in patriā redij. Cum Senatum egreſſum vidi, populūque Ro. vniuerſum: cum mihi ipſa Roma prope cōuulſa ſedibus ſuis ad complectendum conſeruatorem ſuū procedere viſa eſt.* Et pro Domo ſua: *Ille vnus dies, quo die me populus Romanus à porta Capena, qua via Appia in Vrbē ducit, in Capitolium atq; inde domū ſua celebritate laetitiaque comitatū honeſtauit, tantae mihi iucunditati fuit, vt conſcelerata illa P. Clodij vis non modo nō propulſanda, ſed etiam emenda fuiſſe videatur.* Quin & extrema Oratione poſt reditū in Senatu, *humeris ſe Italiae Romā tunc reportatum fuiſſe* praedicat. Quod confirmans Plutarchus, minus & infra veritatē dixiſſe ait. ὥστε τὸ ῥηθὲν ὑπὸ Κικέρωνος ὕστερον, ἐνδεέστερον εἶναι τῆς ἀληθείας. Cū & Vatinius, Ciceronis hoſtis, iactanti, quod Italiae humeris ab exſilio relatus eſſet, ſubiecit: *Vnde ergo tibi varices?* Macrobius lib. II. Saturn. cap. 3.

IV. Denique de ſcriptis ſuis ac lucubrationibus quanta ſe pompa effert? T. Attico, lib. II. epiſt. I. ſcribens de Conſularibus à ſe habitis Orationibus; de reliquis item ingenij monumentis; praeſertim Philoſophicis atque Oratoriis, principio lib. II. De Diuinatione, vt dicere non dubitet: *Nullum fore Philoſophiae*

locum, qui non Latinis litteris à nobis illuſtratus pateret.

Leptae vero familiari quam arroganter Oratorem ſuum praedicat. lib. VII. epiſt. 17? Quod ne odio aut inuidia affingere videar, appendam: *Oratorem*, inquit, *meum tantopere à te probari vehementer gaudeo. Mihi quidem ſic perſuadeo, me, quicquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contuliſſe. Qui ſi eſt talis, qualem tibi videri ſcribis, ego quoque aliquid ſum; ſin aliter, non recuſo, quin quantum de illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrahatur.* Illud vero quale tandem eſt, ad Appium Pulcrum? *Quod diſertum non fuerit, ne meum dixeris.* Quodque alibi iactat, non ſatis eruditos fore, quibus ipſius cognita non eſſent. Quid vero de ſui Conſulatus Commentario quam Thraſonice apud Attic. lib. II. epiſt. I. iactat? *Meus*, inquit, *liber totum Iſocratis μυροθήκιον, atque omnes eius diſcipulorum arculas, ac nonnihil etiam Ariſtotelica pigmenta conſumpſit.* Moxque cum de Poſidonio vt ſua ſcribere deterrito, commemorauit: *Quid quaeris?* ait, *Conturbaui Graecam nationem; ita vulgo qui inſtabant vt darem ſibi quod ornarent, iam exhibere mihi moleſtiam deſtiterunt.* Rurſum de Magiſtratibus, Quaeſtura, & aedilitate, quibus perfunctus eſt, quam glorioſe iactat Verrina VII. quae de ſuppliciis inſcribitur: *Vt ego quos adhuc mihi magiſtratus populus Ro. mandauit, ſic eos accepi, vt me omnium officiorum obſtringi religione arbitrarer. Ita Quaeſtor ſum factus, vt mihi honorem illum tum non ſolum datum, ſed etiam commiſsum arbitrarer: vt me, Quaeſturamque meam quaſi in aliquo orbis terrae theatro verſari exiſtimarem: vt omnia ſemper, qua iucunda videntur eſſe, non modo*

his

his extraordinarijs cupiditatibus, ſed etiam ipſi naturæ ac neceſſitati denegarem. Nunc ſum deſignatus Ædilis; habeo rationem quid à populo Ro. acceperim.

CAPVT III.

Auaruſne & ſordidus M. CICERO? *Continentia eius laudata. Praedia vtriuſque M. & Q. recenſita. An Eloquentiae ludum* CICERO *aperuerit?*

AMBITIONIS ac diuitiarum comes auaritia eſt; illa laboraſſe M. Tullium, cùm de Conſulatus iactatione ſermo eſſet, non inficiabar. Diuitem verò fuiſſe, planum: id eſt laudis potius quã pecuniæ cupidum, & re ſua mediocri contentum. Tres enim fundos, & domum, Romæ poſſediſſe fertur, quam à P. Clodio diſturbatam Senatus ſua pecunia refecit; pro qua & diſertam, quae in manibus eſt, orationẽ habuit. Diues itaque videri poteſt è communi Philoſophorum ſententia, vel Stoicorum, qui ſolum ſapientem diuitem exiſtimarint. Hinc Q. Flaccus epiſt. 1. de Stoicorum ſententia:

Ad ſummum, ſapiens vno minor eſt Ioue, diues,
Liber, honoratus, pulcher, Rex denique Regum.

Non quo modo M. Craſſus, cognomento Diues, iudicabat, (lib. II. Officiorum & Paradox. vlt) qui vllam ſatis magnam pecuniam ei qui in Rep. princeps vellet eſſe, negabat, cuius

cuius fructibus exercitum alere non poſſet Hic tamen ipſe, niſi auro inhiãs eguiſſet, ait III. de Finib. Cic. nunquã Euphratẽ nulla belli cauſa tranſire voluiſſet, Flauius autẽ Blondus, Italicarum rerum ſcriptor, curioſe magis quam vere, duodeuiginti villas, ſeu prædia M. CICERONI ex ipſis ad Atticum epiſtolis attribuit: eiuſque inſiſtens veſtigijs Ioan. Seruilius Belga; Memorabilium, quos libros ad Valerij Maximi imitationem concinnauit, lib. II. ca. 2. Nominatque Marci prædium *Tuſculanum*, diſputationum Philoſophicarum opere nobilitatum: Item *Formianum*, in quo à Popillio Lænate flagitioſe percuſſus perijt: cuius fundi lib. II. ad Attic. epiſt. 14. meminit: *Lanuinum*, quod ibidem nominat lib. IX. epiſt. 8. alijs II. *Aſturicenſe*; *Arpinate*; *Puteolanum*; *Alſienſe*; *Pompeianum & paternum*, &c. Fundi autem *Freſinatis* meminit lib. XI. ad Attic. epiſt. 4. & 13. editionis Manutianae. *Academiam* Ciceronis villam, vbi & Academicarum Quæſtionum lib. IIII. cõſcripti, quorum duo tantũ reliqui ſunt, laudat C. Plinius lib. XXXI. Natur. Hiſt. cap. 2. *Digna*, inquit, *memoratu villa eſt, ab Auerno lacu Puteolos tendẽtibus impoſita littori, celebrata porticu ac nemore: quam & vocabat* M. CICERO *Academiã, ab exemplo Athenarum, ibi compoſitis voluminibus eiuſdem nominis; in qua & monumentum ſibi inſtaurauerat. Huius in parte prima exiguo poſt obitum illius, Antiſtio Vetere poſſidente, eruperunt fontes calidi perquam ſalubres oculis, celebrati carmine Laureae Tullij, qui fuit è libertis eius: vt protinus noſcatur etiam miniſterium eius ex illa maieſtate. Ponam enim ipſum carmen, dignum vbique, & non ibi tantum, legi:*

Quo tua, Romanæ vindex clariſſime linguae,
Silua loco melius ſurgere iuſſa viret,
Atque Academiam celebratam nomine villam,
Nunc reparat cultu ſub potiore Vetus:
Hic etiam apparent lymphæ non ante repertae,
Languida quae infuſo lumina rore leuant.
Nimirum locus ille ſui CICERONIS *honori*
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope.
Vt quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures oculis quae medeantur aquae.

Nominat & M. Tullius praedia in Formiano lib. VII. ad Attic. ep. 14. vt emendat quidē, ſenſu ita flagitante, Seb. Corradus, quā qui maxime de Tullio meritus, ex lib. XIV. ad Fam. ep. 14. & 18. & 19. ſequēti 16. *praedia* legendū coniiciens, vbi *praeſidia* in vulgus editur. Sic enim de mulieribus, quas Romae tū manere indecorū iudicabat: *Velim*, inquit, *eas cohortere, vt exeāt, præſertim cū ea prædia in ora maritima habeamus, cui ego præſū, vt in his pro re nata nōincōmodè poſſint eſſe.*

Quinčti vero *Tullij* fratris fundos duos reperio: *Laterium* quidem lib. IV. ad Attic, epiſt. 7. & lib. X. epiſt. 1, & ad Q. Fratrem epiſt. 1. lib. III. vbi & *Arcanum* alterū nominat: vtriuſque fortaſſe velut à latendo deriuato vocabulo. De hoc fundo ſic Marcus fratri: *In Arcano* inquit, *a.d.* IV. *Id. Sept. fui, quam aquam ibi ducebant non longe à villa; belle ſane fluentem vidi, praeſertim maxima ſiccitate.* Mox: *Nihil ei reſtabat praeter balnearia, & ambulationem, & auiarium. Villa mihi valde placuit, propterea quod ſummam dignitatem pauimentata porticus habebat: quod mihi denique apparuit, poſteaquam & ipſa tota patet, & columnae politae ſunt. Cameras quaſdam non probaui, mutariq́ue iuſſi: quo*

loco in porticu te ſcribere aiunt; vt atriolum fiat. Poſt non longe: *Ego locum aeſtate vmbroſiorem vidi nunquam: permultis locis aquam profluentem, & eam vberem. Quid quaeris? Equidem hoc, quod melius intelligo, affirmo, mirifica ſuauitate te villam habiturum, piſcina & ſalientibus aquis additis, palaeſtra, & ſilua viridicata.* Subiicit denique, *Quamquam ea villa quae nunc eſt, tanquam Philoſophia videtur eſſe, quae obiurget ceterarum villarum inſaniam.* Hactenus M. CICERO. Quae enim ibi *praedia* nominat, *Manlianum, Fuſidianum, & Bouilianum*, ea Pau. Manutius, optime de CICERONE meritus, in *Arcano* fuiſſe exiſtimat, non ab Arcano ſeiuncta. Haec fere de villis Tullianis, quas tamen Marcus, alienando L. Luculli magnificentiam, & M. Craſſi Diuitis luxum, effugiſſe videtur. Sic enim Paradoxo extremo, quo in Craſſum incurrit: *Capit ille ex ſuis praedijs ſexcenta ſeſtertia: ego centena ex meis.*

De ceteris opibus videamus. Rem enim aut patrocinio augere M. Tullius potuit, aut hereditate. Hereditatem quidem ex teſtamento creuiſſe T. Attico ſcribit lib. XI. epiſt. 2. Philippica vero II. ſeſtertium amplius ducenties acceptum hereditatibus reliquiſſe ait. Patrocinando autem ea fuit continentia, vt neque mercedes, neque dona, ne tum quidem cùm C. Verrem accuſaret, accipere ſit ſolitus. Falſo itaque *mercenarium patronum* nominat C. Salluſtius, aut quicunque eſt eius inuectiuæ auctor. Falſo quoque Q. Fufius Calenus apud Dionem Caſſium lib. XLVI. auaritiæ CICERONEM in patrocinijs, orationis initio, inſi-

inſimulat: tametſi per legem Cinciam capere â clientibus quid liceret, vt à Papirio Paeto Seruij Claudij fratris relictos libros ſeſe accepiſſe refert T. Attico, extrema epiſt. lib. I. & I. lib. 2. ac lib. XI. ad Famil. ep. 16. *Cincia* enim & *Titia* legibus Romae de donis ac muneribus antea latis, cautum erat, ne patroni pecunias à clientibus acciperent, neue quis ob cauſam orandam pecuniam donúmue caperet; vt paret lib. II. de Oratore, & è Catone Maiore: clarius vero è Corn. Taciti lib. XI. XII. & XV. Hiſtoriarum, vt explicat ex hoc, atq; Auſonio Gallo omnis Antiquitatis peritiſſimus I. C.tus Ant. Auguſtinus, lib. de Legibus, & ad Tacitum Lipſius noſter, quem honoris cauſa libenter appello. Huc accedit, ne quid in eas leges committeret, ſedulo cauiſſe CICERONEM, ne, quod Hortenſio obiecerat de ſphinge domi aſſeruata, Plutarcho, & Plinio lib. XXXIIII. cap. 8. narrantibus, retorqueri in eum poſſet. Omni enim culpa, qui in alterum dicit, neceſſe eſt vacare. Verũ enimuero domeſticum teſtem Q. Fratrem, cuius & proxime meminimus, libello De petitione Conſulatus, audiamus: *Hac tu plane ab ijs poſtulato, vt, quoniam nulla impenſa per te alij rem honeſtam, alij ſalutem ac fortunas omnes obtinuerunt, nec aliud vllum tempus futurum ſit, vbi tibi referre gratiam poßint, hoc te officio remunerent.* Quid? Ciliciam Proconſul qua abſtinẽtia, Plutarcho auctore, rexit? nullis vt muneribus corrumpi ſe ſineret, neque vocationes ſplendidas, cenaſue honoris populi Ro. gratia faceret. Ita enim

M. Catoni

M. Catoni ſcribit lib. XIIII. ad Fam. *Mihi, inquit, vt in huiuſmodi re tantoque bello maximè curae eſt, vt quae copiis & opibus tenere vix poſſumus, ea manſuetudine & continentia noſtra, ſociorum fidelitate, teneamus.* Attico vero ſe ἀδωροδόκητον præbuiſſe Ariobarzani Regi in Cilicia ſcribit lib. v. ep. 20. In altera vero epiſt. nullos honores ſibi, niſi verborum, decerni permiſiſſe. Statuas, fana, τέθριππα, id eſt, *quadrigas* prohibuiſſe; & ne pecunias quidem ad templum decretas accepiſſe Q. Fratri refert lib. I. ep. I. Immo nummum nullum erogari ſibi publice priuatumque paſſus eſt; vſque adeo, vt ne prætorium quidem vectigal acceperit.

De morum autem *Tullij* facilitate diſerte in ea ipſa vltima ep. lib. v. ad Attic. & Cæſar ipſe teſtatus eſt, vt eidem Attico lib. XIIII. ſic ſcribit: *Si quiſquam eſt facilis, hic eſt.*

Quod vero togam ad talos vſque demiſſam geſtare ſit ſoli tus, non ſuperbiæ grauitatique tribuendum, vt Q. Calenus ille vult apud Dionem lib. XLVI. ſed velandarum varicum gratia, vt C. Plinius ſcriptum reliquit; & Quinctilianus ea ratione refellit, quod omnes eo tempore Romani togam, vt pallium Græci, ad pedes demitterent. Varices autem habuiſſe Ciceronem patet ex ioco Vatinij apud Macrobium, lib. II. Saturnal cap. 3. & è Sidonio Apollinari Epiſc. Aruernorũ, lib. v. *Arpinatẽ varicoſum* appellante, ep. 5. quod ego tamẽ pace doctorũ, de Mario Arpinate acute dictũ exiſtimo, de quo Plutarchus varices habuiſſe & curam adhibuiſſe lepide cõmemorat.

Hic

Hic coronidis vicem appendam: *An Eloquentiae ſcholas Tullius habuerit?* Dubitandi iuſta cauſa olim etiam eruditis hominibus, in his Philelpho, vt illis temporibus non indocto, noſtriſque adeo maioribus viſa eſt. Caeſare enim Iulio omnia per vim tenente, & ad vnius imperium redactis omnibus, CICERO noſter multa ſalute & foro dicta & curiae; vt Dionyſius regno pulſus Corinthi ludum aperuit, ſic in Bibliothecam ſe totum ac litteras abdidit; ſcripſitque partim Philoſophica, partim Oratoria. Illa quidem vt ſe, oppreſsâ iam Repub. ipſe conſolaretur; haec vero ne dicendi vis orationiſque facultas exareſceret, ſed ſaltem in vmbra *declamitaret*; quam tunc vocem nouam fuiſſe in Bruto ait. Fabius certe Quinctilianus extremo Inſtitutionũ Oratoriarum opere, diſerte ita ſenſiſſe videatur. Hortatur enim ſuo, ac CICERONIS exemplo, vt, quem iam informauit, Orator aetate affecta ſeſe colligat, abdatque, & vel Hiſtoriam ſcribat, non niſi ab ingenuo quoque tractari ſolitam; vel praeceptis Eloquentiae, formandiſque nouis Oratoribus operam det. *Frequentabunt*, inquit, *eius domum optimi iuuenes, more veterum, & veram dicendi viam velut ex oraculo, petent. Hos ille formabit, quaſi eloquentiae parens, &, vt vetus gubernator, littora & portus, & quae tempeſtatum ſigna, quid ſecundis flatibus, quid aduerſis ratis poſcat, docebit: non humanitatis ſolum communi ductus officio, ſed amore quodam operis. Nemo enim minuì velit id, in quo maximus fuit. Quid porro eſt honeſtiùs, quam docere, quod optime ſcias? Sic ad Coelium ſe deductum*

 ductum

ductum a patre CICERO, *lib.* IX. *epiſt. profitetur. Sic Panſam, Hircium, Dolabellam in morem præceptoris exercuit, quotidie dicens, audiensq́.* Hæc Fabius. Sed Oratorem ipſum conſulamus: quà ſcribendo, quà docendo ætatem egiſſe ipſe ſic affirmat in Planciana: *Orationes ſcripſi ludis & ferijs, ne omnino vnquam eſſem otioſus.* Subſeciua quoque tempora, quæ incurrerent, ſe perire non eſſe paſſum, lib. I. de Legibus, & Philipp. II. diſerte ait: vt vigiliæ ipſius ac litteræ & iuuentuti vtilitatis, & nomini Romano laudis aliquid adferrēt. Deniq; libris de Diuinatione: *Quaerenti* inquit, *mihi multumq́ue & diu cogitanti quanam re poſſem prodeſſe quam plurimis, ne quando intermitterem conſulere Reip. nulla maior occurrebat, quam ſi optimarū artiū vias traderem meis ciuibus: quod pluribus iam libris me arbitror conſecutum.* Docendi vero munus aperte ſignificat, cum Volumnio lib. VII. ep. vlt. & Papirio Pæto lib. IX. ep. XVIII. ſe quaſi ludum, & diſcipulos habere, amiſſo regno forenſi, ſublatiſque iudicijs, teſtatur. Verum enimuero cum particulam *quaſi* adiecit, & in illis ipſis Epiſtolis perpetuo iocatur, credo eundē non tam ſcholas habuiſſe, aut doctoris perſonam ſuſtinuiſſe, quam grādes illos prætextatos *Hircium & Panſam*, teſte Tranquillo, per iocum appellaſſe, qui ſibi dicenti & aures darent, & ipſi etiam declamitarent, ſequerenturque CICERONEM: vt Craſſum & Antonium Oratores Sulpicius & Cotta frequentarunt. In quem morem ſucceſſiſſe poſtea videatur Recitandi aut poëmata, aut ſcripta, priuſquam in apertum proferrētur, laudanda

conſue-

conſuetudo. Ceterum ſi ludum Tullius aperuiſſet, nunquam ſic in Oratore ſcripſiſſet: *At dignitatem docere non habet, certe ſi quaſi in ludo: ſed ſi monendo, ſi cohortando, ſi percunctando, ſi communicando, ſi interdum etiam vna legendo, audiendo, neſcio cur non docendo etiam aliquid aliquando, ſi poſsis, meliores facere nolis.* Non igitur iuuentutem docebat Rep. gerēda impeditus, ſed dicebat non raro, ac declamabat; ne muta omnino eloquentiā conticeſceret ac langueret. Iam inde enim ab adoleſcentia, vt in Bruto ipſe teſtatur, commentabatur declamitans, ſæpe cum M. Piſone & Q. Pompeio, aut cum aliquo quotidie: idq; faciebat multum etiam Latine, ſed Græce ſaepius, ad Praeturam vſque: vel quod Graeca oratio plura ſuppeditans ornamenta conſuetudinem ſimiliter Latine dicendi adferebat; vel quod à Graecis, ſummis doctoribus, niſi Graece diceret, neque corrigi poſſet, neque doceri. Titinnio quoque apud Suetonium in claris Rhetoribus, vbi de Panſa & Hircio auditoribus commemorat, ita ſcribit: *Continebat doctiſsimorum hominum auctoritate, qui exiſtimabant Graecis exercitationibus ali melius ingenia poſſe.* Verū quanta ſit eorum, qui ſe docere profitentur, auctoritas docendi de ſuperiore loco iuuētutem, quantum munus, hæc Tullij loca luce meridiana clarius oſtendunt; aurea inprimis ſententia, è libro III. extremo de Finibus: *Impellimur* inquit, *natura vt prodeſſe velimus quàm plurimis, inprimiſque docendo, rationibuſq; prudentiæ tradendis. Itaque non facile eſt inuenire, qui quod ſciat, ipſe non tradat alteri. Ita non ſolum ad diſcendum pro-*

penſi ſumus, verum etiam ad docendum, & lib. I. de Diuinatione: *Quod munus adferre Reipub. maius, meliuſue poſſumus, quam ſi docemus atque erudimus iuuentutem, his præſertim moribus atque temporibus, quibus ità prolapſa eſt,&c.* Neque ſolum viuos ac præſentes diſcēdi ſtudioſos erudire ac docere honeſtum eſſe ait lib. I. Offic. & II. de Diuinat. ſed hoc idem etiam poſt mortem litterarum monumētis aſſequi, glorioſum prædicat.

CAP. IV.

Inconſtantiae nota in CICERONE *excuſata.*

VT Virtutum omnium laus atque perfectio Conſtantia eſt; ſic contra Inconſtantia leuitatis eſt argumentum, ac vanitatis ſocia; vt mendaces plerumq; iidem & ſint & habeantur. *Fides* autē perpetua eſt dictorum, factorumque conſtantia. Stoicis acutis in vocum originibus explicandis hominibus, ſic dicta vox, quod *fiat id quod dicitur*, vt ait Orator I. Offic. & lib. XVI. Tironi ep. 10. In dictis autem Inconſtantia, vanitas ſit; in factis autem leuitas. A quo vitio tantum abeſt vt abhorruerit CICERO, vt defendendam etiam purgandamque notam bene-longâ ad P. Lentulum Spinterem ep. 9. lib. I. ad Famil. ſuſceperit: quaſi boni interſit ciuis mutata interdū velificatione, foro, quod aiūt, vti, & prout res

res cum priuata tum publica exigit, aliam interdum perſonam, vt in ſcena actores ſolent, induere. Ita enim de Tullio Seneca Rhetor, vt a nobis eſt quidem editus, Controuerſia XII. *In Catone*, inquit, *moderatio; in* CICERONE *Conſtantia deſideratur.* Referam de multis pauca è TVLLIO, quae inter legendum occurrerunt. In dictis quidem ac ſtudijs quam varius? Iuriſprudentiam Rei militari longe poſtponit in Muraeniana, cauſae nimirum ſubſeruiens. At in Officijs ſui immemor togam ſago, Conſulatus ſui praedicandi gratia, longe iudicat praeſtantiorem; tritum illum verſum adhibens:

Cedant arma togae, concedat laurea linguae.

Latinam linguam idem inopem praedicat orat. pro A. Caecina: Lib. III. de Finibus, & I. de Nat. Deorum; Diuitem contra, atque adeo Graecâ locupletiorem principio lib. I. & III. de Finibus pronunciat. Epiſt. quoque ad Q. Fratrem, Graecis accepta fert omnia; Tuſculana vero altera, Graeciam verborum penuria laborare contendit, vt nos vberius lib. IV. Tuſſianarum Quaeſtionum cap. XVIII. diſſeruimus.

Poëtas vituperare lib. I. de Nat. Deorum videatur; eoſdem in ea quam pro Archia Poëta habuit ſic defendit, & laudibus in caelum tollit, vt vel Heracleenſem hominem Poëticae nomine Romana donãdum ciuitate confirmet. Horum etiam fabulas reijcit, lib. III. de Nat. Deor. Vtitur tamen non raro, ornatus gratia, fabuloſis narrationibus: vt in

Verrinis actionibus de Proſerpina. Item Tuſculana III. fuſe narrat Nioben in lapidem, Hecubam Priami in canem ob maledicentiã eſſe conuerſam.

Peripateticos celebrat pro A. Caecina; contumelijs eoſdem vexat lib. Offic. I. Pythagorae ac Platonis peregrinationes ad Chaldaeos excolẽdi ingenij gratia magnifice praedicat, laudatque lib. V. differens de bonorum ac malorum Finibus. Atqui peregrinationem vt ſordidam epiſt. ad Caelium damnat: de qua & B. Gregorij Nyſſeni epiſtolam Graece legere memini nuper admodum euulgatam.

In factis vero quãta tua, *Marce Tulli*, te enim appello, inconſtantia? Bello enim ciuili, Pompeij & Caeſaris partes ſic animi dubius paſſim diſceptas, vt quo te vertas ignorare penitus videare. Tua, tua illa vox eſt: *Ego vero quem fugiam habeo; quem ſequar non habeo.* Ita lib. VIII. epiſt. ad Fam. & Macrob. lib. II. Satur. cap. 3. C. Caeſarem nunc laudas, nunc vituperas: nempe ex eodem ore calidum pariter & frigidum efflare conſueſti; cuiuſmodi cum viatore iter facere Satyrus detrectet. Quod & Laberius mimus, cum anguſtè te in theatro ſedere diceres, *duabus te ſellis ſedere ſolitũ* aiebat: (Macrob. ibidem, & lib. VII. cap. 3. Seneca Rhetor Controu. XVIII.) Male enim audiebas, tanquam nec Pompeio certus amicus, nec Caeſari, ſed vtriuſque adulator: vt & bene-longa orat. Q. Fufius Calenus apud Dionem lib. XLVI. Rerum Rom. declamitat. Nonne hinc merito riſum eſſe exortum,

vera pronunciante mimo, ne cachinuum dícam, exiſtimas? Equidem nullus dubito. C. Caeſarem, vt patriae ſeruatorem, & in victoria Pharſalica clementem, in oratt. pro M. Marcello, pro Deiotaro Rege, pro Q. Ligario orans, & T. Attico, eidemque Ligario ſcribens familiariter ſic laudibus ornas, nihil vt addi poſſe videatur. Ab eo autem multa in Te benigne profecta ſtudia officiaque commemoras: hoc amplius epiſtola quadam: *Nihil tibi in mentem venire, quod optes, affirmas, quin tibi vltro Caeſar detulerit.* Atqui (ô hominis leuitatem!) C. Caſſio Caeſaris poſtea percuſſori ſcribens, lib. XII. ad Fam. Caeſarem appellas impurum, multiſque conuicijs in Officijs, & alibi, proſcindis. M. Lepidum laude interdum, nonnunquam vituperatione dignum cenſes. Q. Hortenſiū ſummū tunc in Oratoria principem laudibus ornas in Verrinis, orat. pro Milone, & lib. III. de Oratore: item prooemio & in extremo Bruti, qui de Claris eſt Oratoribus. Eundem ſaepius laceras lib. III. ad Attic. ep. 9. & lib. I. ad Q. fratr. ep. 3. Quid? C. Verrem, quem tot Actionibus accuſas, eundem in Cluentiana Praetorē Vrbanum, ſanctiſſimum vocas, & diligentiſſimum. Verum cur publica commemoro? politica enim haec ſunt, & ad ciuilem in gerendo Magiſtratu diſſenſionem pertinent. Venio nunc ad OEconomica ſeu domeſtica. Terentiam coniugem, ex qua Tulliū ſuſtuleras, quam tenerè ac molliter lib. XIV. ad Fam. adamare ac praedicare viſus es? eandem mox Attico ſcribens

& vituperas,& ſcelerate feciſſe commemoras. Quod diſcidium eo vſq; proceſſit, vt in diuortium eruperit, virginemque poſtea duxeris: vt illa C. Salluſtio nupſit. Sed de his infra fortaſſe copioſius.

Tranſeo ad excuſandi conatum. Affirmari idem modo, & modo negari, inconſtantis eſſe ecquis neget? Qualis Gnathonis illa apud Comicum in Eunucho ſermo:

Ait quis, aio; negat; nego. Poſtremo imperaui egomet mihi,
Omnia aſſentari, is quaeſtus nunc eſt multo vberrimus.

Senarius quoque Graecorum exſtat:

Τὸν αὐλὸν αἰνεῖν, καὶ ψέγειν ἀνδρὸς κακοῦ.

ac veteri Prouerbio id genus homines ſaepius perſtringuntur, vt *Polypo ac Proteo mutabiliores, Chamaeleonte verſatiliores. Euripo* denique ſurſum verſũ recurrẽte *inſtabiliores. Quod fretum,* (ait in Muraeniana Orator) *quem Euripum tot motus, tantas, tam varias habere putatis agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos aeſtus habet ratio Comitiorum?* Verum deeſſe, quo venia dignus ipſe videatur, equidem non arbitror. In ſtudijs enim opinionibuſque literarum, ac Philoſophiae, ſententiam interdum migrare quid vetat? Diei enim prioris, vt P. Syri mimus ait, diſcipulus dies eſt poſterior: idque non ſine exemplo ſummorum, in Philoſophia virorum, Platonis & Ariſtotelis, qui & ſecum ipſi pugnant interdum, & ab alijs non raro diſſentiunt. Ariſtoteles etiam, in Phyſica praeſertim Auſcultatione, priorum ſenten-

tias aliter ſaepe recitat, quam ab ipſis ſint pronunciatae, quo refellat pronius ac plauſibilius: quod eſt ibidem a Simplicio, docto interprete, vt obſeruatum, ſic etiam explicatū vberius. Fit etiam nonnunquam vt ex vulgi ſenſu coram plebe loquendum ſit; alias ex ſapientum ſententia longe ſint diuerſa pronuncianda. Idem etiam vir Virtutem vitio commutans, nunc laude, nunc vituperatione dignus eſſe videatur. Adhaec Academicum fuiſſe CICERONEM quis ignorat? qua in Academia noua illud valuit:

Nullius addictus iuraui in verba magiſtri;
Quo me cumque rapit tempeſtas, deferor hoſpes.

Igitur in ſingulis Philoſophorum ſectis, quid placeret potiſſimum complexus, nunc Socraticus eſt ac Platonicus; nunc Stoam Zenonis ſequitur: Peripateticos etiam nonnunquam, Epicureos quoque minime cōtemnit, ſed ita, vt ipſe fatetur, nihil vt affirmet: quaerat omnia, dubitans plerumque, & ſibi ipſe diffidens. Denique, vt Dialogorum mos eſt, τὸ πρέπον ſeruat religioſè, vt perſonae, quae inducuntur, ſectae ſuae ſenſum quaeque ſequantur. Quo fit, vt peccata dixerit aequalia in Paradoxis, quae M. Bruto Stoico obtulit; nunc imparia peccata pronunciet. Deos idem inuiſibiles ait lib. I. de Natura Deorum C. Velleius Epicuri ſectator; quos viſibiles contendit è Platonis ſenſu in Timaeo, quem Dialogum Latinè tranſſcribebat. Diuinationem modo tollit, modo confirmat, ſed varijs inductis perſonis: diſputante libro priore fratre

 Q. Tullio,

Q. Tullio, Stoico; altero vero libro M. Tullio Academiae cauſam agente. Exſilium pro A. Caecina orans non ſupplicium, ſed ſupplicij perfugium portumque nominat; in Paradoxis vero ſceleris poenam vocat. Quo modo & in carcere variatum, poena ne ſit, an reorum cuſtodia: qua tota de re & in Catilinae coniuratione Caeſaris atque Catonis ſentẽtiae diſcreparunt. Exſiſtit & hic nodus, quem ſupra cap. I. attingere memini, quod eidem M. Catoni ſcripſerit TVLLIVS, ſe ex eorum numero eſſe, qui gloriam cõtemnendo deſpicatui ducerent; alibi autem non ſemel laudis ſe cupidum, ſtudioſumque fateatur. Duplicẽ enim philoſophando III. Tuſculana *gloriam* facit, *Veram & inanem*. Hanc temerariam atq; inconſideratam, & plerumque peccatorum vitiorumque laudatricem, auraeque popularis nunciam eſſe; illam contra ſolidam quandam rem, & expreſſam, non adumbratam: quae ſit debita Virtuti merces ac praemium. Hanc ſe minime repudiare profitetur; illam fugere ſe, veluti vmbram capi neſciam, praedicat. Vix enim reperitur (ait I. Offic. & pro C. Rabirio perduellionis reo) qui laboribus periculiſque aditis non quaſi mercedem geſtorum veram illam deſideret gloriam. Stoicos vero ſi ſequaris, facile hæc quaeſtio profligabitur: neutram eſſe virtute praedito gloriam ſpectandam: quòd, vt tota Tuſculana V. diſputat, ſeipſa contenta ſibi Virtus merces ſit, rectéque factorum conſcientiâ, ſolatium.

CAP.

CAP. V.

Num dicax Orator? calumnia confutata. Dicacitatis CIC. *exempla in Philoſophos, & Hiſtoricos. Libros de Iocis M. Tironis videri.*

DICACEM quoque CICERONEM, & ſalibus dicterijsque plus aequo delectatum aiunt aduerſarij; vt & odia ſibi multorum inimicitiaſque pararit, eorum potiſſimum, qui vel priuatim odiſſent; vel adeo delicati eſſent, vt vrbanitate etiam, quaeque dentibus ac felle carerent facetijs offenderentur. Hinc M. Cato iunior, ſeuerus ipſe, aut tetricus potius Stoicus, (vt in Ciceronis vita Plut. refert) audita eius pro L. Murena actione, qua Stoicorum παράδοξα falsè irriſit: *Quam ridiculum* ait *Conſulem habemus*, L. quoque Papirius Paetus *ſcurram velitē* nominabat. *Conſularis* item *ſcurra*, teſte Macrobio lib. II. Saturn. cap. I. ſed ab inimicis, dictus. Plutarchus ad ſatietatem vſque dicterijs abuſum refert, vt & κακοηθὴς *malignus* idcirco ſit habitus. Verba adſcribam: ἡ δὲ περὶ τὰ σκώμματα καὶ τὴν παιδιὰν ταύτην εὐτραπελία, δικανικὸν μὲν ἐδόκει καὶ γλαφυρόν. χρώμενος δὲ αὐτῇ κατακόρως, πολλοὺς ἐλύπει, καὶ κακοηθείας ἐλάμβανε δόξαν. Iterumque: Κικέρων δὲ πολλαχοῦ τῷ σκωπτικῷ πρὸς τὸ βωμολόχον ἐκφερόμενος,

φόρτικος, καὶ πράγματα σπουδῆς ἄξια γέλωτι καὶ παιδιᾷ κατειρωνευόμενος ἐν ταῖς δίκαις, εἰς τὸ χρειῶδες, ἠφείδει τοῦ πρέποντος. Quod autem immodicè iocando hoſtes pararit, ibidem commemorat: τὸ μὲν οὖν πρὸς ἐχθροὺς δοκεῖ ῥητορικὸν εἶναι. τὸ δὲ οἷς ἔτυχε προσκρούειν ἕνεκα τοῦ γελοίου, πολὺ συνῆγε μῖσος αὐτῷ. Quo etiam pertinet amarum illud Io. Laſcaris, Graeci hominis in TVLLIVM epigramma, lib. IV. Tullianarum cap. XVI. à nobis allatum:

Hinc inde, Hinc illic ſedet is, reſidetque, vagatur,
Ardelio, Conſul ridiculus, leuis eſt.

Verum dicacitatis Tullianae, pace tua Lector, exempla colligam. Officiorum I. in Cynicos inuehitur, nec immerito fortaſſe. altero vero, in Panaetium, virum apprimè doctum incurrit. III. vero libro, in *Romulum*, vrbis Romae conditorem, caeloque donatũ: de quo ſic Ennius accinebat:

Romulus in caelo cum Dijs agit aeuum,

Vel, vt integre quidam legunt:

——cum Dijs genitalibus aeuum
Degit.——

Quo etiam moriente deficere Sol hominibus extinguique viſus eſt. Sic enim ille: *Peccauit, pace vel Quirini, vel Romuli dixerim. Cum enim viſum eſſet vtilius ſolum, quam cum altero regnare, fratrem interemit.* Qui in Vrbis aeternae auctorem adeo iniurius ac maledicus exſtitit, quomodo, quaeſo, parceret *Philoſophis*, atque *Hiſtoricis?* *Socratem* enim Tuſculana V. reprehendit, quod Archelaum Perdiccae F. qui tum fortunatiſſimus haberetur, beatum eſſe negaret.

Atqui vnum illum Apollo Pythius è tripode ſapientiſſimum mortaliũ, quòd ſe nihil ſcire praeter id vnum, modeſte fateretur, praedicauit. Qui è caelo Philoſophiam in terras deuocauit, atque adeo in domos familiaſque introduxit: alijs nimirum relinquens mandanſque caeleſtium rerum commentationem, contentus morum Philoſophia, vt hominum vſibus maxime neceſſaria. *Theophraſtum*, Academicarum Quaeſt. lib. 1. damnat, virum cum dicendo ſuauem, tum ita moratum, vt prae ſe probitatem quandam & ingenuitatem ferret; quòd vehemẽtius fregiſſet veteris diſciplinae auctoritatem, Virtutemque ſuo decore ſpoliaſſet, imbecillamque reddidiſſet: quódque negauiſſet in ea ſola poſitũ eſſe beate viuere. *Epicurum* adhaec, vt indoctum, argumentandique rudem, ſaepius perſtringit; aſſerens ſummum hominis bonum corporis voluptate, qua ſenſus titillantur ac permouentur, metiri ſolitum: quando alij animi voluptatem, non corporis interpretentur: qua tota de re diſſerere copioſe & Laur. Vallam, hominem Romanum, ſingulari libro memini.

De Hiſtoricis autem, *Herodotum* Hiſtoriae, quam primus adornauit, Graeciae prope parentem, libro 1. de Legibus, vt innumerabilibus refertum fabulis damnat: ibidemque *Theopompum*, Chium genere, Iſocratis cum *Ephoro* auditorem, vanitatis arguit. Reprehendit & in Oratore, quòd vocalium concurſum ſtudioſe nimis vitauerit: elationeque dicendi, (vt in Bruto ait) Philiſti ac Thucydidis luminibus

nibus ſit obſtruere conatus. Quod & Photius noſter CP. Bibliothecae Cod. CLXXVI. copioſe teſtatum reliquit. Apponam Latine, vt nos pridem conuertimus: *Ne temere quidem aut praeter rationem primas ſibi vindicaſſe Theopompum, cũ Demonſtratiui generis orationes non pauciores quam viginti millium verſuum conſcripſerit: quin & ſupra quindecim verſuum myriadas, in quibus Graecorum ac Barbarorum res geſtas hactenus narratas legere liceat. Adhaec vero nullum ait eſſe Graeciae alicuius pretij locum, vrbemue, quò non ipſe peruenerit, publiceq; perorans magnũ decus ac virtutis in dicendo ſuae monumentum reliquerit. Haec de ſe ipſe pronuncians, eos qui ad ſaeculum prius dicendo claruerunt, aetatis ſuae oratoribus longe poſtponit, ac ne in ſecundis quidem ſubſiſtere poſſe affirmat; clarumq; id eſſe vel è ſcriptis vtrorumque & orationibus ad poſteros tranſmiſſis.* Sic Photius. Quamobrem ne quid praeuaricari calumniando videar, non iniuria notat CICERO *Herodotum* quidem, vt fabularum patrem: *Theopompum* vero vt elatum: vtrumque autem fabuloſae vanitatis redarguit. Plutarchus quoque *de Herodoti malignitate* idem ſingulari libello pronunciauit.

Ceterum de Sophiſtarum numero *Gorgiam Leontinum* in Oratore CICERO perſtingit, vt numeris abutentem inſolentius: (numeroſa enim oratione maxime delectabatur) atque arrogantius in cõuentu poſcere quaeſtionem ſolitum. Ponere enim quemque iubebat, de quo quis audire vellet, ait Tuſcul. I. & I. de Orat. & II. de Finib. *Ægyptios.* autem dementiae M. Tullius inſimulat lib. de Nat.

Deorum,

Deorum, quos tamen diſcendi gratia Pythagoras, & Plato, alijque adierint: ad quos adeo Dij gentium ac Iupiter ille Opt. Max familiariter diuerteret, prandiaque (teſte Homero Poëtarum principe Iliad. *α*.) agitaret. Ridet, nec immerito, Orator noſter, vt & Satyra XV. Iuuenalis, AEgyptiorum ſuperſtitionem, & εἰδωλομανίαν: qua & allia ac feles in Dijs, ſed qui in hortis ſuis naſcerentur, (ô caecitatem!) numerarint. ita CIC. lib. I. & III. de Nat. Deor. & Strabo lib. XVII. Geograph. Belluas vero eadem natio vtilitate conſecrabat, & quidem omne fere beſtiarum genus. Bos illic ſanctus, quem *Apin* nominabant. Eò denique dementiae prolapſa gens eſt, vt quamuis carnificinam (teſte eodem Geographo, atque in Tuſcul. V. diſput. TVLLIO) prius ſubierit, quam ibim, aut aſpidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violaret, nedum occideret. Redeo ad CICERONEM: cuius Iocorum libros tres *Tiro Tullius* libertus collegerat, vt auctor eſt M. Fabius lib. VI. Inſtitut. Orator. cap. III. his verbis: *Vtinam Quinctus, & libertus eius Tiro, aut alius, quiſquis fuit, qui tres hac de re libros edidit, parcius Dictorum numero indulſiſſet; & plus iudicij in eligendis quam in congerendis ſtudij adhibuiſſet, minus obiectus calumniatibus foret: qui tamen nunc quoque, vt in omni eius ingenio, facilius quid reijci, quam quid adijci poſſit, inuenient.* Haec Quinctilianus: qui tametſi dubitet, *Tironis* tamen potius quam *Quincti* fratris opus fuiſſe credam. Ille enim eos proceſſus, patroni operâ, in litteris fecerat, vt & κανὼν, &

Cenſor

Cenſor ſcriptorum ipſius fuerit: eiuſdemque epiſtolas ſuis admiſcere non dubitarit; vt ait epiſt. 18. lib. xvi. Quem etiam Agellius lib. xiii. Noct. Attic. cap. 9. liberaliter ab eo, iam inde à puero inſtitutum, ſocium & adminiſtrum ſtudiorum Ciceronis fuiſſe teſtatur. Aſconius quoque Paedianus auctor eſt, libros iiii. *de* Ciceronis *Vita* ſcripſiſſe Tironem. Quid multa? certe Macrobius Tironis fuiſſe *Iocorum libros*, ſuis etiamtum temporibus creditum ait. Verum enimuero quoniã illi libri temporum iniuriam effugere non potuerunt, feremus eorum deſiderium leuiter lectis Ciceronis *Iocis*, quae à Quinctiliano lib. vi. cap. 3. à Seneca Rhetore Controuerſia xviii. Plutarcho in vita Cic. & Apophthegmatis, ac Macrobio lib. ii. Saturn. cap. 3. adferuntur: additis & aliorum Iocis ac Ridiculis, à Tullio ipſo lib. ii. De Oratore ad Q. Fratrem exempli gratia allatis, traditiſque praeceptis, vt & à M. Fabio capite *de Riſu* veluti Oratori futuro neceſſarijs. Quae quidem Ciceronis de Oratore pars, vt obſcura, implicata, ac perdifficilis, lucem doctiſſimi Turnebi commentationibus nuper accepit. De illis autem ſic Macrobius ii. Saturn. cap. 1: *Animaduerto duos, quos eloquentiſsimos antiqua aetas tulit, Comicum Plautum, & Oratorem* Tullium, *eos ambos etiam ad Iocorum venuſtatem ceteris praeſtitiſſe.* Et Tullius ipſe Papirio Paeto ſcribens, lib. ix. epiſt. 16. pro ſuis duntaxat iocis ſeſe, ac Caeſarem familiarem ea agnouiſſe, quae leporis multum, venuſtatiſque

que & acuminis haberent: *Caeſar*, inquit *habet peracre iudicium, & vt Seruius frater tuus (quem litteratiſsimũ fuiſſe iudico) facile diceret: Hic verſus Plauti non eſt; hic eſt: quòd tritas aures haberet notandis generibus Poëtarũ ex conſuetudine legendi; ſic audio Caeſarem, cum volumina iam confecerit* ἀποφθεγμάτων, *ſi quid adferatur ad eum prò meo, quod meum non ſit, reijcere ſolere*. De eodem ipſo Caeſare, ſalibus & ipſum valuiſſe I. Offic. ait: *Bene loquendi de Catulis opinio non minor; ſale mero conditus & facetijs Caeſar*. Adhaec Volumnius, *Eutrapeli* cognomentum vrbanitatis gratiâ inuenit, Oratori noſtro perfamiliaris: cui etiam lib, VII. epiſt. penult. ſalium, facetiarumque dilectum mandaſſe apparet. Vrbane enim iocans cum Eutrapelo, ſalinas, hoc eſt, vt equidem interpretor, ſales non ſatis diligenter collectas queritur. Omnium enim in ſe dicta, ex quo diſceſſerat, etiam Sextiana, conferri. Itaque ſperabat ſe reliquiſſe notata genera Dicteriorum ſuorum, vt cognoſci ſua ſponte poſſent: qualia lib. II. de Orat. ſub Antonij perſona diſputata *de Ridiculis* ἔντεχνα, & arguta reliquiſſet. Idem oratione pro Cn. Plancio: *Ego*, inquit, *quia dico aliquid aliquando, non ſtudio adductus, ſed contentione dicendi, aut laceſsitus: & quia, vt fit in multis, exit aliquando aliquid ſi non perfacetũ, attamen fortaſſe non ruſticũ: quod quiſque dixit, me id dixiſſe dicunt. Ego autem ſi quid eſt, quod mihi ſcitũ eſſe videatur, & homine ingenuo dignũ atque docto, nũ aſpernor: ſtomachor vero cum aliorum nõ me digna conferuntur*. Idemque CICERO L. Flaccũ repetundarum reum teſte Macrobio li. II. Sat. ca. 3. ioci oportunitate de

manifeſtiſſimis criminibus exemit. In quâ quidem oratione illud ridiculum occurrit: *Cum coronam aureis litteris imponebant, reuera non plus aurum tibi, quam monedulae committebant.*

CAP. VI.

De Ridiculis apud CICERONEM.

ITERA-DVM eadem iſta mihi vt lepida, inquies. Ego vero ac libenter; quod ab vrbanitate naturâ minime abhorream; & quidam ex Ariſtotelis, Peripateticae ſcholae principis ſenſu, eiusque, quo de agitur CICERONIS, ac M. Fabij aemuli mente diſſeram. Hi enim de *Ridiculis* ad vitae vſum, & ad Oratoris decorum diſſerunt. Ariſtoteles lib. IIII. Ethic. ad Nicom. cap. VIII. Vrbanitatem in medio collocat: quales faceti homines Graecis εὐτράπελοι: quaſi εὔτροποι, id eſt, *verſatili ingenio praediti* nominantur. Idemque *dexteros* appellare videtur, quod dicant, audiantque, quae libero atq; ingenuo ſunt homine digna. Nam quod nimium eſt aut parũ, quia vtrimq; abeſt à medio, in vitio cubat. Videtur autem hominum vita requiete, hoc eſt, animi relaxatione, & iocis ludiſque indigere: ſine quibus tetrica ſit ac triſtis hominum conditio; & atrae bili vir quiſq;. σκυθρωπὸς ἢ μισάνθρωπος, tabique appareat obnoxius; qualis Timon ille hominum oſor, & Hippolytus fuiſſe perhibetur:

tur: de quo Homerus, Cicerone interprete:

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Intereſt igitur, quis, & apud quos & quales, ac quemadmodum ſales iaciat. Qui enim in riſu mouendo nimij ſunt, modumque non ſeruāt, ſcurrae videantur, φορτικοὶ ſunt hoc eſt, vt equidem interpretor, *moleſti ac paene intolerabiles.* Quo in genere vetus olim Comoedia peccauit, & Latinorū duo, Plautus, teſte Horatio in Arte poëtic. v. 270. itemque Martialis Bilbilitanus. Contra vero, qui nec ipſi ſalſe quidquam ac ridicule dicere poſſunt, & dicterijs offenduntur, agreſtes & inſulſi homines habendi ſunt; vt quibus nihil inſit leporis ac venuſtatis, ſed hebetes ac ſtupidi cenſendi. Vnde illud à Catullo iactatum:

O ſaeclum inſipiens & inficetum.

Et: *Idem inficeto eſt inficetior rure.*

At qui concinnè & lepidè ſalibus ac iocis oportune vtuntur, faceti atque vrbani nominandi. Nominibus autē varijs id genus hominum efferimus. *Vrbani* enim dicti, ab vrbis ſermone, & in his doctorum: cui contraria ſit *Ruſticitas. Venuſti* quoque, quòd cum gratia quadam, ac ſeuerè dicant. Adhaec *ſalſi*, pro ridiculis, quae ſalſa eſſe oporteat; quod Orator Atticorum dicit eſſe proprium: vnde & *merum ſal* Hiſpani hodieque de ridiculo vſurpant, vt & Comicus Afer:

Qui ſalem habeat, qui in te eſt.

Salſum igitur, quod non inſulſum. Vt enim ſal in cibis leniter aſperſus, ſi tamen immodicus non ſit, palatum afficit, voluptatemque

affert: ſic hi quoque in dicendo ſales audiendi ſitim faciunt ac recreant. *Facetum* autem non in ridiculis modo domicilum habet, ſed migrationes in alienum locum varias; quas Rhetorum filij *Tralationes*, metaphoras Graeci nominant. Elegantiam enim excultam interdū ſignificat, vt in Epiſtolis CICERO Bruti illud vſurpat: *Nae illi ſunt pedes faceti!* Tribuit & Q. Flaccus

——*Molle atque facetum* P. Virgilio.

Iocum autem accipimus, quod eſt *Serio* contrarium. *Dicacitas* vero à dicendo, qui ſermo cum riſu aliquo inceſſit. Ideo Demoſthenem *Vrbanum* fuiſſe aiunt, *dicacem* negant, inquit M. Fabius Quinctil. lib. VI. cap. 3. Macrob lib. II. Saturn. cap. 3. & Plut. in comparat. CICERONIS & Demoſth. *Ridicula* item generatim dicta, quae à Graecis diſputatio περὶ γελοίȣ inſcribitur. De *Vrbanitate* Domitius Marſus diligentiſſimè, quae interciderunt, conſcripſerat. *Dicteria* denique CICERO noſter, Corn. Nepoti familiari ſcribens apud Macrobium lib. II. cap. I. quae breuiter & acute dicta eſſet, appellauit. Definit Fabius *Vrbanitatem* virtutem, quà nihil abſonum, nihil agreſte, nihil inconditum, nihil peregrinum neque ſenſu, neque verbis, neque ore, geſtu ne poſtet deprehendi: qualis Graecis Atticiſmus fuit. Diuidit autem *Ridiculum*, vt ſit aliud in rebus, aut factis; aliud in verbis, ſeu dictis. Tertium denique genus, quod è medijs rebus cōſtat, quae riſum varie moueant, vel ex nobis, vel ex alijs. Materia vero Ridiculorum eſt in iſtis

vitijs,

vitijs, (vt ait ſecundo de Oratore) quae ſunt in vita hominum, neque carorum neque calamitoſorum, neque eorum, qui ob facinus ad ſupplicium rapiendi; eaque belle agitata videntur. Eſt etiam deformitatis, & corporis vitiorum ſatis bella materies ad iocandum. Vitandum itaque Oratori vtrumque, ne aut ſcurrilis iocus ſit, aut mimicus. Quapropter ne dicet quidem ſalſe Orator (inquit Fabius lib. VI. cap. 3.) quoties poterit; vitetque propoſitum illud CICERONI, vt puto, tributum: *Amicum potius quam dictum perdidi.* Imo dictum potius aliquando perdet quam auctoritatem minuat. Nemo enim patronum in miſerabili cauſa iocantem ferat; ac ne in capitali quidem accuſatorem. Et ſunt interdum Iudices triſtiores, quam vt riſum ferant. Solet quoque nonnumquam accidere, vt quod in aduerſarium iacimus, in noſtrum rednndet caput. Frangit interdum iram, odiumque iocus oportunus: vt Pyrrhum Epirotarum Regem, vt in eius vita refert Plutarchus, & Fabius lib. VI. cap. 3. initio, & Val. Maximus lib. V. cap. I. Audierat enim Tarentinos iuuenes in vino & epulis largius de ſe locutos: cumque rationem facti repoſcerentur, quod negari non poſſet, neque defendi, riſu ſunt elapſi. Vnus enim ex ijs: *Immo,* inquit, *niſi vinum nobis defeciſſet, præ illis que de te dicturi eramus, quae relata ſunt, ludus & iocus fuiſſent. Occidiſſemus enim te.* Quae ſimplex veritatis confeſſio Regis iram in riſū conuertit, eaque vrbanitate criminis eſt periculum depulſum.

Venio nunc ad CICERONIS de multis pauca ridicula. vt in Verrem Actione VI. ſed vt ab alijs dictum, *fore vt omnia verreret*, cum diceretur *Verres*. Herculi quoque, quem expilauerat, *moleſtiorem* ait *fuiſſe apro Erymanthio*. Sacerdotem adhaec malũ, cui Verres ſucceſſerat, *qui tam nequam Verrem ſacrificaſſet*: quaſi porcum ſacrificaſſe oportuerit. Cum in eodem Verris iudicio teſtem roganti dixiſſet Hortenſius: *Non intelligo haec aenigmata. Atqui debes*; inquit CICERO, *cum Sphingem domi habeas*. Acceperat autem ille à Verre aeneam ingentis pretij ſphingem: vt in CICERONIS vita Plut. & Fabius lib. VI. cap. 3. commemorãt. Et pro A. Caecina in Sex. Clodium Phormionem teſtem CICERO ait: *Non minus igitur niger, nec minus confidens, quam ille Terentianus Phormio*. Idemque memorata Vatinij (in quem & perorauit, odiũque exercuit) morte, incerto tamen auctore: *Fruamur* ait, *interim vſura*. Cum autem poſt viuere cognouiſſet: *Male pereat*, inquit, *qui male mentitus eſt*: vt refert Plut. in Cic. Et occurrenti Ouinio cum liberto, cum interrogaſſet: *Satin ſaluae res?* & dicenti *Saluae*: *Mortuus igitur eſt*. Illa quoque M. CICERONI aliquando, ſed non in agendo, exciderunt. Cum coqui filius candidatus prenſando ſuffragium coram eo eblandiretur, ſubiecit, auctore Fabio lib. VI. cap. 3. *Ego quoque tibi iure fauebo*. Quo in ioco etſi Donatus in Adelphos Terentij, *quoque* pro *coce* conſtituat (Q. enim & c. mutuas inuicem interdum operas in pronunciando praeſtant) tamen in *iuris* ἀμφιβολίᾳ latere dicterij venuſtatem

ſtatem arbitror. Quale illud apud Plut. de P. Cotta, qui haberi Iuriſperitus affectabat, cum indoctus eſſet & iners. Eum CICERO ad teſtimonium dicendum in quadam cauſa, citauit. Nihil cum diceret ſe ſcire: *Putas fortaſsis*, inquit Tullius, *te de iure interrogari*. Diſſimulauit & CICERO, cum Sex. Annalis teſtis reum laeſiſſet, & inſtaret ei identidem accuſator: vt Fabius ibidem ait.) *Dic M.* TVLLI; *nunquid potes de Sex. Annali dicere?* Coepit ille verſum de Q. Ennij Annali ſexto recitare:

Qui potis ingentes cauſſas euol..ere belli.

Obiurgantibus quoque amicis, quòd repudiata Terentia ſexagenarius Popilliam virginem duxiſſet: *Cras* inquit, *mulier erit*. Cumque M. Lepidus in Senatu Patribus Conſcriptis dixiſſet: *Ego non tanti feciſſem ſimile factum*: ſubiecit CICERO: *ego non tanti feciſſem* ὁμοιόπτωτον ait Macrobius lib. II. Saturn. cap. 3. Luſit nimirũ in ſchemate *Similiter cadentium*, vt ille propemodum *Deſinentium*: Ex his dicterijs (cetera enim non colligo) facile intelligas, cur dicax ſit habitus CICERO, ac præ illo ſeuerus ac veluti σκύθρωπος Athenienſis Orator Demoſtenes.

CAP. VII.

Obſoletiſne voribus, & quatenus ſit vſus CICERO?

EXSTARET Statilius Maximus de Singularibus apud CICERONEM poſitis, à Fl. Cariſio Soſipatro laudatus, nullo negotio profligari haec quaeſtio poſſet; ſed quia temporũ iniuria nobis hos libros inuidit tẽtendũ eſt aliquid paucis, de multis ſiue naeuis, ſiue ſi mauis, virtutibus TVLLIANIS ordine collectis. Exorti eum ſunt non pauci, qui CICERONIS, vt ipſi quidem nominant, naeuos diligenter annotarint: Virtutes contra, quae illis numero praeponderant, caecutientes non obſeruant, Non ſecus atque muſcas vulneribus iumentorum libenter inſidere, ſanis autem partibus non item, monent Baſilius ille Magnus, eiuſque contubernalis Gr. Nazianzenus. Totũ vero aliquam non naeuo aut crepundijs, ſed corpore omni velle cognoſcere, cordati profecto eſt viri. Alcaeum quoque Poëtam (vt hoc Orator lib. I. de Nat. Deorum; illud vero in Bruto de Claris Oratt. refert:) naeuus in pueri articulo, & ſi corporis macula eſt, delectabat, lumenque hoc illi videbatur; ſic & acutius ij cernunt, qui virtutes ponderum momentis maiores præpollere exiſtimant, vitiaque obtegunt. Talia in P.

Terentio

Terentio optimo Latinitatis auctore alij adnotarunt. Verum Oratorem noſtrum haec facile purgabunt, cur rariora aut ſingularia interdum adhibuerit vocabula; nimirum veterum ante ſe Poëtarum phraſes, vt in Philoſophicis diſputationibus Accij & Pacuuij multa occurrunt aut Helleniſmos eſſe dixeris aut Archaiſmos: aut certe hac, ſimiliue praefatione, *vt ita dicam* ab illo molliri: aut denique ius ſibi auctoritatemque cudendi nouas voces TVLLIVM vſurpaſſe. *Singularia* autem haec merito videantur:

Abſtergebo.
Adulta,
Admiribilitatem facere.
Albatus.
Appëitas & Lentulitas.
Beatitas, pro Beatitudine.
Cernere hereditatem.
Compromiſſum.
Debitio, pro debito.
Deſperare ſaluti.
Dies reliquas, *pro* reliquos.
Domo me tenui pro domi
Exaggerare rem familiarem, pro augere
Exorſerit, pro exorta ſit
Extrahere rem.
Fuluiaſter lib. 12. ad Attic.
Hilarus & Hilara vita.
Inante diem.
In diſcrimen, *& poteſtatē eſſe:* bis in Maniliana.
Indolentia.
Impatibilis.
In frontem inſcriptum.
Illudere exiſtimationi.
Intercapedo, lib. IX. epiſt 22. quatamen voce filium vſum *lib.* XVI. *epiſt.* videas.
Latere mihi valeat, 2. Catilin. interpolante Lambino.
Latinienſes
Multiſſimus, *vt* Ipſiſſimus
Nigror, pro nigredine.
Non modo, pro non modo non,

do non: *vt in Varijs lect. Muretus lib.* x. *cap.* VII. *annotat.*

Nummatio.

Opinatio.

Paſtio.

Peteſſunt, pro petunt.

Poſſunt oculi, pro valent.

Potiri pacem, pro pace *vt Terent*: Potiri commoda.

Puniuntur, pro puniunt.

Quidem certe.

Quatefacio, epiſt. 4. *ad Brutum? vt* vacuefacio *in Catilin.*

Rotundare.

Sciſcere, pro Sancire.

Semigrare, pro M. Caelio

Sequeſtrium. ibidem

Terminalia.

Tornare.

Vietum

Viridicataſilua, pro viridi *epiſt.* I. *lib.* III. *ad Q.* Fratrem

Vt eſſem, pro qualis.

Vt es, pro, vt facis, vel ſoles: *aut* ignauus *exaudiendũ*: Quod ſi, vt es, ceſſabis, faceſſam.

His ſubtexam & alia, per Saturam à me olim in aduerſaria relata, & nunc ordine vtcumque digeſta:

Abortio.

Aceruatim.

Actuoſus, vt infra ſuſpicioſus, vultuoſus, laborioſus, & imperioſus.

Adipale

AEgrimonia

Aggregare

Arbitraretur, pro crederetur

Amandare

Aſſentatoria

Atratum

Audientia

Braccati, vt Pomp. Mela: Totum braccati corpus.

Cancelli

Celebrari

Coaequare

Commodare

Conciliatricula.

Confiſio

Conflictio

Conſcelerati

Contemptio

Corollarium.

Diſceptare

Diſcriminare

Enucleare

Eſſeda

Eſſedarij

Eſſedarij
Expultrix, in Tuſcul.
Exulcerare & Exulcerata cauſſa
Fiſtulator
Furenter
Hebetabat, id eſt, hebes erat.
Illecebra
Imperioſus, qui imperium teneat vt: Imperioſorū populorum & regum illuſtrium.
Interpretata, paſſiuè: in re controuerſa atque inter pretata.
Laborioſus
Largiter
Maſtrucati.
Meditatum paſſiuè vt, Conceptum.
Menſarius
Mirabiliter, & Mirificè
Mirificatio
Moeſtitia
Morigerari
Nauicularia, vt Argentaria.
Obſoleuit
Opacare
Ordinare
Ordinatim
Oſtiatim
Pacificatoria legatio
Pedetentim
Periclitari
Praeſidium ſtatiuum
Praecipitare, paſſiuè
Primoribus labris.
Principatus
Procraſtinare
Quadrare
Quotenorum iugerum, vt ducenorū. Sic Plaut Quotumo die, *vt Septimo.*
Receptum, vt, Promiſsum
Relaxare
Reuertiſſem, pro, reuerſus eſsem.
Sermocinari
Superbiloquentia
Suppeditare, paſſiuè pro, ſuppetere
Suſpicioſus
Tibicini modi, vt Ludus fidicinus.
Turpificari
Vultuoſus
Zonarij vt Tabernarij & Tabellarij.

TALE illud CICERONIS eſt in Maniliana orat. quod equidem poſt Agellium lib. I. Noctium Attic. bis ibidem repetitum docui in *Nodis* CICERONIS, cap. VI: *In poteſtatem eſſe*. Quibus nunc plura adijcio: Videri ſimile Plautinum illud, *In mentem fuit:* & Terentianum:

Vbi me videt eſſe in tantum honorem.

Quin & Orator Diuinatione in Verrē: *Quae*

iu

amicitiam populi Ro. ditionemque eſſent. Et: *Vt in vberrimas Siciliae partes Siciliam quaereremus*, pro *parte vberrima.* Item *Tua ſcelera dij immortalis in noſtros milites expiauerunt.* & lib. x. ad Attic. *Quo die in Tuſculanam eſſem futurus*, pro *venturus.* Praepoſtera quidam haec, ſi ad praeceptionum regulas Grammaticarum exigantur, ſed Graece ſunt imitatione expreſſa: quibus hæc vſitata ὑπὸ χεῖρα, & ὑπ' ἰσχὺν *in poteſtatem eſſe.* Item ὑπ' αὐγὰς *in luce* frequens eſt. Talia ſunt: στέλλειν ἐπ' οἴκου & ἐπῆλθεν ἐπὶ φυλῆς.. Itemque Homericum illud Iliad. ε. v. 327. & Iliad. λ. v. 400.

Νηυσὶν ἔπι γλαφυρῇσιν ἐλαυνέμεν—

Naues ad concauas currum dirigeret.

Sed illud quale tandem eſt, quo vt incongrue locutum M. Antonium grauiter CICERO in Philippicis reprehendit. Sic enim ille grauis Oratoris hoſtis:

An illa contumelia eſt, quam facit dignus!

Terentium tamen, & Plautum *Contumeliam facere* dixiſſe nõ raro eſt obſeruatũ. Ille enim:

Quin nouo modo ei faceres contumeliam.

Idem etiam *Dicere contumelias* dixit Cormicus. M. Plautus vero in Aſinaria:

Tu contumeliam alteri facias, tibi non dicatur?

M. Fabius ita M. Antonij locum accepit, ceterique ſunt inſecuti: at melior eorum ſententia eſt, merito id exagitatum a CICERONE videri, quod diceret: *quam facit dignus*, pro, *qua afficitur dignus:* vt eſſet Cõtumeliam facere, ſicut *Damnum, iacturam, flagitium, ruinam*, pro, *perpeti:* ſenſitque Antonius, non putandam contumeliam, qua afficeretur qui ea dignus eſſet.

Quemadmodum & ille apud Comicum maledicere ſe negat, qui ea diceret quibus alter dignus eſſet. Quis autem, obſecro, veterum ſic locutus eſt, ait CICERO aut nunc audiat loqui? Clara haec explanatio inſpicienti cum diligentia locum; aſſentientibus & Turnebo, & Mureto, Galliae ocellis. *Piiſſimum* quoque, quia CICERONI diſplucuit, bonum probumq; vocabulum eſſe non poſſe exiſtimemus Addamus ſi placet & alia e Tullio, ſed deprauate edita Singularia. Adfert enim Corn. Fronto è libro I. de repub. CIC. *Vt ad eam vrbem, quem incolas, poſſis adnare.* Amicus ſingularis Simon Barrauius Toloſas, vt & litterarum, ſic & Iuris peritiſſimus, vetere mihi olim neceſſitudine coniunctus, legendum videri per epiſtolam monuit: *vt que eam vibem quam incolas poſſis adornare.* At ſimiliter legi queat *adnauigare*, vel adiuuare. Difficilius vero illud è lib. XV. ad Atticum, ep. 26. conſiderandum mihi propoſuit, vt à doctis hominibus plane deploratum, vt & aſteriſci notam affixerint. Manutius etiam vt deprauatũ aſſequi ſe poſſe negaret. Atqui deſperatis morbis fieri medicinam vetat Hippocrates: tentandum tamen aliquid poſt tot eruditos, ſanari an locus, aut certe ſenſum eijcere queat. Seb. Corradus ita legebat: *Octauam partem tolli luminariũ aedium ad Strenae memineris.* Memineris, inquit, niſi res impediatur tolli octauam partem luminarium earum aedium quae ſunt ad Streniae fanum. & ſane CICERONES in Carinis aedes habuiſſe apparet ep. 3. lib. 2. ad Q. Fratrem & Pub. Victori

ctori regione IIII.caput ſacrae viae a Carinis oritur ab Streniae ſacello. Pet. Victorius ait audiſſe ſe qui legeret *pro Tulli luminarium medium; Tullianarum aedium*: Is vero Dionyſius eſt Lambinus, ſed coniectura verius quam librorum ductus anctoritate. Leon. vero Malaſpina pro *Tulli*, reponebat *tuli*, pro paſſus ſum, & exaudit *tolli*., interpungitque: *memineris cur Caerellia*. Simo Boſius doctiſſ. I. C. legit & explicat: *Octauam partem tuli luminarium in aedium ἄθυρα. ne memineris cui Caerellia*. Iunius autem Fr. è Gloſſario *aſtranea*, iuncta voce pro *ad Straneae*, hic comminiſcitur ingenioſe. Ego vero Barrauio propemodum aſſentior, vt interim aliorum in re dubia ſollertiam minime contemnam, ita è veſtigijs ſcripturae veteris reponenti: *Octo pedes tolli luminaria aedium ad Streniae memineris*: Hoc eſt, octo pedes altius tolli luminaria aedium mearum ad Streniae aedē memineris. Et vero Iuriſprudentes *De ſeruitutibus Vrbanorum praediorum* differunt Pandectarum libris, & Barn. Briſſonius lib.I.Antiquitat. Iuris.

Addamus denique & illud, è M.Fabij Dialogo de Oratoribus ſui ſaeculi:(Huius enim potius quam Corn. Taciti videri iam diximus, quod prooemio libri VI.Inſtitut.Orator. vindicare ſibi Rhetor videatur, cum ſe librū *De cauſis corruptae Eloquentiae* emiſiſſe dicat:) *Priores* (inquit) CICERONIS *Orationes non carere vitijs antiquitatis. Lentus in principijs, longus in narrationibus, otioſus circa exceſſus. Tarde commouetur, raro incaleſcit, pauci ſenſus optimi: ac veluti in rudi aedificio*

firmus ſane paries,ſed non ſatis ſplendens. Quae de Antiquitatis vitijs notat, eorũ pauca accipe. Libris enim de Inuentione, *Confirmandi genera compluria* dixit,pro *complura*; quod in Terentij Phormionem Donatus annotat. Ex oratione vero pro M. Tullio Decula (quem Conſulem anno poſt Ro. conditam DC. LXXII. cum Cn. Dolabella Faſti exhibent) haec Priſcianus adfert: *Hoc iudicium ſic expectatur, vt non vnae rei* pro(*vni rei*, ἀρχαϊκῶς) *ſtatui, ſed omnibus conſtitui putetur*. Idem que Grammaticus adfert ex orat. pro Vareno (ſic enim è M. Fabio legendum, non Varron( ) *Ea caedes ſi potiſsimum crimini datur, detur ei cuia interfuit; non ei cuia nihil interfuit. Cuia* dixit antiquè, quod *cuius* longe frequentius; vt *Cuium pecus* Maro dixit ruſticè potius quam vrbane, vt in eius Vita admonet Donatus,ſeu quis eſt alius auctor.

Senis adhaec CICERONIS oratio caneſcere coepit, cum remiſſius & lenius, vt L. Craſſus primus oſtendit,dicebat. T. Atticus quoque, libro de Legibus primo, ita ad CICERONEM: *Te ipſe* inquit, *mutaſti, & aliud dicendi genus inſtituiſti, vt quemadmodum familiaris tuus in ſenectute numeros in cantu reciderat,ipſaſque tardiores fecerat tibias, ſic tu à contentionibus, quibus ſummis vti ſolebas, quotidie relaxes aliquid,vt iam oratio tua non multum à Philoſophorum lenitate abſit*. Hinc etiam *gradarium* vocari arbitror à L. Seneca epiſt.ad Lucilium XL. Propria haec nimirum humanarum rerũ conditio, vt ſenio non langueſcant modo corporis vires, ſed & animi vigor fatiſcat. TVLLII tamen in M.Antonium Philippicae

picae dicendi decus, Secunda potiſſimum, retinere videantur.

CAP. VIII.

An Soloeciſmi in CICERONE?

ROMANAE princepē Eloquentia quis merito, niſi impudens, & interiorum litterarum ignarus, ſoloeciſmi accuſet? quo nullum vitiū aeque Latinitati contrarium: quod litteratores Graeci appellarit paulo clementius σολοιχοφανὲς, vitiumque eſt, inquit AElius Donatus, in contextu partium orationis contra rationem artis Grammaticae factum. Si quid autem perturbatum in TVLLIO occurret, neq; ad praeceptionum regulas reſpondeat, non ſtatim damnandum, obeloque fodiendum. Hoc enim ſi permititur, ποταμῶν χωρῶσι πηγαί, quod vetere verbo dici ſolet, cum non loqui nos CICERONEM doceamus, ſed ab ipſo potius diſcere debeamus. Quare tantum abeſt vt talia quaſi libera & vaga in veterum ſcriptis reperta, Solaeciſmi vocancandi ſint, vt ornamenta etiam atque floſculi putari debeant. Qualia multa parentum memoria audax Grammaticorum, correctorumque ignoratio vel abiecit atque oblitterauit, vel mala manu contaminauit. Huiuſmodi vt poſthac in veterum ſcriptis occurentia damnare quod, magnae & intolerabilis audaciae

ciae fuerit, deſinant, non pigebit in praeſens vnum & item alterum CICERONIS locum, totidemque Terentij ac Maronis excutere, & probam eſſe monetam oſtendere. Adfert in CICERONIANO Dialogo Deſiderius è CICERONIS epiſtola neſcio qua; *Diu commorans Athenis, quoniam venti negabant ſoluendi facultatem, erat animus ad te ſcribere*. Rectum erat futurum è Grammaticorum praeceptionibus, & ἀκόλουθον *diu commoranti Athenis erat animus ad te ſcribere*: vt oblitus videatur Orator quid antea poſuiſſet, & ſic incongruè intuliſſe: vtque feſtinatio relegendi quae ſcripſiſſet facultatem negarit. Verum ſtudio id factum nullus dubito, idque Graecorum frequenti exemplo. Sic enim Plato de Legibus: ὅγε προάγων λόγος. ὅγε μὴ ἀπείργασαι, βούλομαι ὑμῖν εἰς τὸ μέσον αὐτὰ θεῖναι Rectum erat futurum Τοῦδε προάγοντος λόγου. Praetereo Xenophontis, Demoſthenis, ac de Poëtis Homeri, Euripidis, Sophoclis, & Ariſtophanis plurima loca, quae à G. Budaeo, ac Ioachimo Germano allata memini. Nos cum Latina hic tractemus, Graecis exemplis ad oſtentationem cumulandis ſuperſedemus. Similia appendamus. ſic enim Lentulo Tullius: *Cetera quae ad te pertinebũt, cum etiam plus contenderimus quam poſſumus, tamen faciemus quam debemus*. T. Attico quoque lib. x: *Multas à te accepi litteras eodem die omnes diligenter ſcriptas: ea vero quae voluminis inſtar erat, ſaepe legenda, ſicuti facio; in qua non fruſtra laborem ſuſcepiſti*. Vides hic cogitationem à *litteris* tranſiſſe ad *epiſtolam*, reſcribendumque fuiſſe: *eae vero, quae voluminis inſtar erant ſaepe*

 legendae.

legendae. Et alibi: *Interuerſo regali hoc dono grauiter nos tuliſſe*: pro *Interuerſum eſſe regale hoc donum* Tale eſt illud P. Terentij, quem lectitaſſe aſſiduo Oratorem paret:

Nam nos omnes, quibus eſt alicunde aliquis obiectus labos,
Omne quod eſt intereà tempus, priuſquam id reſtitum eſt,
Lucro eſt pro, *nobis omnibus*.

Item: *Reſtitue me in quem accepiſti locum*,
Et quaſi non renunciata tibi haec ſint, ſic fore.
Mihin quiſquam?

Tale & hoc Maronis x. AEneidos, quod immutandum negant Critici:

Poſtera lux, mea ſi non irrita dicta putabis,
Ingentes Danaum ſpectabis caedis aceruos.

Vulgo enim editur *ſpectabit caedis aceruos*. Et lib. XI. v. 384. ——*Solitum tibi, meque timoris*
Argue tu Drance.——

Nec dubium quin tranſtulerit Graecum illud: δόξαν δέον εἰωθός. Ibidemque v. 216.

Iuſtitiaene prius mirer belline laborum.

Et rurſum 280. *veterum memini laetorque malorum*

Horatianum vero illud lib. IIII. oda VIII. quam vagum perturbatumque videatur?

Donarem pateras, grataque commodis

Alij enim *commodus* legendum cenſent, & lib. I. oda. XXXVII. de Cleopatra.

Fatale monſtrum, quae generoſius
Perire quaerens——

Item lib. II. ODA. XVII.

——*quid moror altera (pars,)*
Nec carus aequae, &c.

Non

Non enim ad verba, ſed ad ſenſum ſtructura aptatur: vt & in illo Comici,

Vbi illic ſcelus eſt, qui me perdit?

Omitto reliqua, quae iam interpretum diligentia atque induſtria commode explanat. Mitto & illam olim à doctis agitatam hominibus quaeſtionem, ab Apollonio, Diomede, & Fabio, vtrum vno tantum verbo Soloeciſmus eſſe queat, vt Barbariſmus Nam de his quidem ſatis ſuperque.

CAP. IX.

An Philoſophus CICERO *cenſendus?*

QVI Philoſophorum numero M. TVLLIVM eximunt, nae illi praepoſteri ſunt atque iniqui ingeniorum cenſores: cum primus ille Romanorum, vt paſſim gloriatur, Philophiam Graecorum propriam Latina ciuitate donarit, ad poſteroſque tranſmiſerit: cuius poſtea veſtigijs inſiſtentes, atque adeo ſcripta eius illuſtrantes, vt M. Fabius Victorinus, libros *de Inuentione Rhetorica*, & Boethius Seuerinus *Topica* Commentario explananda ſuſceperũt: vt & Aurelius Macrobius, nuperque a nobis è Belgica Bibliotheca erutus *Fauonius Eulogius* Carthaginienſis Rhetor, è ſexto de Repub. libro P. Scipionis ſomnium, hoc eſt Sphaeram prope vniuerſam expoſuerunt, Philoſophi

ſane titulo iudicarunt. Lactantius adhaec Firmianus, (quo Chriſtianorum ad CICERONEM propius acceſſit nemo) TVLLIVM modo *perfectum*, modo *ſummum*, modo *Romanae Philoſophiae principem* honoris gratia appellare non dubitat. Quid? M. Fabius, B. Auguſtinus Hipponenſis Epiſc. parentumque memoria Rodolphus Agricola, decus Friſiae, nonne ſua ex eius fontibus hauſerunt? Auguſtinus profecto lecto eius Hortenſio, qui liber de laudibus erat Philoſophiae, adeo admirari ſe ſolitum ſcribit, nihil vt requireret hic amplius, praeter IESV CHRISTI nomen. Huius etiam libri lectione ad Chriſtianae, hoc eſt, verae Philoſophiae contemplationem incenſum ſe fuiſſe ingenue cōfitētur lib. III. Confeſſ. cap. 4. & lib. VIII. cap. 7. & principio libri De vita beata. Idemque Doctor Epiſt. LVI. ad Dioſcorum CICERONIS commendat lectionem; vt & litteras quas vocamus Humanitatis, tanquam AEgyptiorum idola, veluti ſpolia ab iniuſtis poſſeſſoribus, legendo Platonicorū libros, vindicāda cenſuit lib. VII. Confeſſ. cap. 9. & lib. II. De doctrina Chriſtiana cap. 18. & 40. itemque Hieronymus epiſtola ad Magnū Oratorem, & nos pluribus ſupra lib. I. Tullianarum Quaeſtionum cap. 30: Equidem ſi fas iudicium eſt interponere, quandoquidem Hortenſius CICERONIS malo publico intercidit, de Tuſculanis ipſius diſputationibus, quae eſt de Animi domādis perturbationibus, ac Virtutis praeſtātia accurata diſputatio, idem cum Auguſtino pronun-

pronunciare auſim. Similiter & de *Officiorum* ad Filium aureo libello: quem non modo legendum aſſiduè, ſinuque geſtandum, ſed ad verbum ediſcendum C. Plinius maior prooemio ad Veſpaſianum ſuadet. Q. adhaec Catulus olim, teſte Lactantio lib. VI. cap. 2. in eo ipſo Hortenſio loquens; & Philoſophiam rebus anteponens omnibus, malle ſe dicit vel vnum paruum *de Officijs* libellum, quam benelongam orationem pro ſeditioſo homine Cornelio. Nunc ſingula diſcutiamus.

Quoniam vero Philoſophia in tres eſt diſtributa partes: in Naturae obſcuritatem; in diſſerendi ſubtilitatem, in vitā atque mores, vt ait in Lucullo, qui primus eſt liber Academicarum quaeſtionum: & lib. II. de Orat. ſingulas propemodum partes TVLLIVS pertractauit. In Dialecticis quidem *Topica* conſcripſit, quibus facit ſtudioſe, vt ſequatur aureū dicendi flumen Ariſtotelem, quo modo in eodem ipſo Lucullo nominat. Quae *Topica* quoniam Iuris exemplis in C. Trebatij Iuriſconſulti gratiam non paſſim obuijs ornauit, eo ſunt viſa pleriſque difficiliora: leguntur tamen illuſtrata hodie ab erudiiſſimis etiam Iuris interpretibus Ant. Goueano, & Achille Statio, Luſitanis, poſt Boëthium, & Agricolam, vt iam diximus. Eſt & Sebaſtiani Foxij Paraphraſis ac Scholia: & Pet. Velleij Gueuarae Commentarius. Phyſica fortaſſe non plenè pertractaſſe demus, niſi quòd Deorum naturam tribus ſit libris complexus, ac de Diuinatione rerum futurarum cum Q.

Tullio Fratre duobus libris diſſeruerit accuratè. Verum enimuero principem eam Philoſophiae partem, quae eſt De vita & moribus, nemo Romanorũ cum à CICERONE diſceſſeris, copioſius tradidit aut diſertius. Clamãt quae in manibus ſunt, quaeque Oratorijs ſeſe adaequarunt, Philoſophiae volumina. In his de expetendis fugiendiſque rebus libris duobus diſſeruit. De Repub. item & optimo ciuitatis ſtatu, Platonis exemplo libris ſex: etſi magnam partem temporum iniquitate perierunt. De legibus quoque libris egit tribus, conformatis ad exemplum XII. Tabularum, eiuſdemque Philoſophi Platonis. Sed teſtem ipſum domeſticũ audiamus. Sic enim Tuſculana v. *Socrates primus Philoſophiam deuocauit è caelo & in vrbibus collocauit, & in domos etiam introduxit, & coëgit de vita & moribus, rebuſque bonis & malis quaerere. Cuius multiplex ratio diſputandi, rerumque varietas, & ingenij magnitudo Platonis memoria & litteris conſecrata, plura genera efficit diſſentientium Philoſophorum. E quibus nos id potiſſimum conſectati ſumus, quo Socratem vſum arbitramur: vt noſtram ipſi ſententiam tegeremus, errore alios leuaremus, & in omni diſputatione quid eſſet veriſimillimum quaereremus.* Cum igitur differendi ſubtilitatem Stoici potiſſimũ ad ſe raperent, vt hinc etiam Dialecticos Orator nominet non raro: Naturae vero obſcuritatem Phyſici eſſe Philoſophi in eo ſtudio conſeneſcentis (quam Medicus, auctore Ariſtotele, excipiat) ſatis conſtet; ipſe Morum Philoſophiam ſibi reique publicae vtiliorem fore iudicauit. Merito itaque, vt lib.

de Natura Deorum ſcriptum reliquit, non mediocrẽ a prima aetate in hac Philoſophiae parte curam operamq́ue conſumſit: & cum minime videretur, tum maxime eſt Philoſophatus. Quod & orationes declarant refertae Philoſophorum ſententijs: & doctiſſimorum hominum familiaritates, quibus ſemper domus eius floruit: & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Poſidonius; à quibus eſt inſtitutus. Quo in ſtudio hoc etiam verſabatur attentius, quod, vt ait in Bruto, ſublata iam eſſe ratio iudiciorum videretur. Phaedrum itaq; Epicureum principio valde vt Philoſophum probauit, vt ait lib. XIII. ad Fam. epiſt. I. Philonem mox Academicum, qui Mithridatico bello cum Athenienſium Optimatibus Romam fugiſſet, domi audiuit; vt in Bruto, & I de Nat. Deorum refert: quem in Lucullo Clitomachi facit auditorem. Hinc etiã aetate maturior cum viceſimum iam annum exceſſiſſet, *Diodoto Stoico* domi ſuae in Dialecticis operam dedit; quem *ſuum* nominat epiſt. 4. lib. IX. ad Fam. vt quidem emendat. inibi Pet. Victorius, homo in CICERONIS lectione diu multumque cum laude verſatus; cum *Diodorus* diuerſus ab eo Philoſophus in editis paſſim vulgaretur; diſſentientibus hic etiam interſe Lutetiae Ramo atque Turnebo. Hunc ipſum Diodotum caecum fuiſſe, & Geometriae (quis credat?) peritiſſimum lineas vt ducarent monſtraſſe, Tuſcul. V. commemorat, mortuumq́ue ſcribit, & centies H-S. ſibi reliquiſſe teſtamento, T. Attico lib. II. epiſt. 20.

refert. Mortuum inquam, Caeſare & Bibulo Coſſ. anno poſt Ro. conditam DCXCIIII. Auctor eſt quoque ipſe in Bruto, & Tacitus; ſeu potius Fabius Dialogo de Oratoribus, CICERONEM apud Philonem Academicum, & Diodotum Stoicum Romae omnes Philoſophiae partes penitus hauſiſſe. Audiuit & (Plutarcho in eius vita atteſtante, Strabone itē lib. XIIII. & I de Finibus, & I. de Natura, ac de Fato) Rhodi etiam Poſidonium Apamienſem è Syria Stoicum: aetatiſque anno octauo ac viceſimo Athenas cum veniſſet, vt idem auctor eſt, Antiocho Aſcalonitae veteris Academiae verbo quidem Philoſopho, re autem ipſa, ſi pauca mutaſſet, germaniſſimo Stoico, operam nauauit, vt legas lib. I. de Legibus: I. de Nat. Deor. in Bruto, & in Lucullo. Epicureos quoque ibidem duos cum Attico frequenter audiuit, Phaedrum & Zenonem, vt lib. II. de Finibus, & I. Tuſcul. affirmat. Quae cum ita ſint, videtur à Poſidonio & Diodoto Stoicam ſectam; à Phaedro & Zenone Epicuream; a Philone & Antiocho Academicam; à Cratippo, Staſea Neapolitano, & M. Piſone Peripateticam; ab alijs aliam haereſim hauſiſſe, quas & in libros de Finibus bonorum & malorum retulerit, & in Academicis ac Tuſculanis Quaeſtionibus explicarit. Academicum tamen ſe potiſſimum profeſſus ſic in Oratore ſcribit: *Fateor me Oratorem, ſi modo ſim, aut etiam quicumque ſim, non ex Rhetorum officinis, ſed ex Academiae ſpatijs exſtitiſſe.* Catoni quoque Stoico Philoſopho de Stoica diſciplina ſcribens prolixe

lixe lib. xv. ad Fam. ep. 4. ſic praedicat: *Haec quae mihi tecum communis eſt ſocietas ſtudiorum atque artium noſtrarum, quibus à pueritia dediti atque deuincti, ſoli propemodum Philoſophiam illam veram & antiquam, quae quibuſdam otij eſſe ac deſidiae videtur, in forũ, & in Remp. atque in ipſam aciem paene deduximus.* Grandior iam & ſexageſimo ſecundo aetatis anno, cum vnius Caeſaris Dictatoris dominatu (verbis ipſius vtor perlibenter) omnia Romae tenerentur, ad Philoſophiam, cui multum adoleſcens diſcendi cauſa temporis tribuerat, ſe retulit, & Sapientiae ſtudium longo ſpacio intermiſſũ reuocauit: vt copioſius quidem lib. II. de Officijs affirmat; breuius vero Tuſcul. initio ſic profitetur: *Philoſophia* inquit, *iacuit vſque ad hanc aetatem, nec vllum habuit lumen litterarum Latinarum; quae illuſtranda & excitanda nobis; vt ſi occupati profuimus aliquid ciuibus noſtris, proſimus etiam, ſi poſſumus, otioſi.* Igitur non dicis, quod aiunt, gratia philoſophatum M. TVLLIVM per omnem prope aetatem, quantum Reipub. negotia patiebantur, conſtat; nõ paucis, vt ille apud Ennium cenſuit faciendum Neoptolemus, lib. II. de Orat. Eant itaque qui hanc Oratori noſtro philoſophandi laudem auferunt, homines ignari atque obſcuri: qui eos demum Philoſophos falſa quadam opinione nominant, qui ruſtice atque adeo barbarè loqui id demũ philoſophari eſſe iactant, tantùmque ab Eloquentia receſſerũt,

Quantum Hypanis Veneto diſsidet Eridano.

Quod ſi verum eſſe Philoſophum barbarum concedamus, Platonem, quo nemo inter

Graecos Attica lingua diſertior exſtitit, Philoſophum fuiſſe negemus oportet. Si enim, quod res eſt, Dialecticae Rhetorica ἀντίστροφος eſt, altera ex parte reſpondens, & mutuas praeſtant operas: quòd illam pugno, hanc palmae extenſae Zeno compararit; certe barbara non toleranda Logica, ſi deſerta Oratoriâ eſt. Et Sapientiae ſi coniungenda Eloquentia eſt, ne infans plane ſit ac muta; vt ipſe paſſim Orator omniſque adeo ſchola decantat; dubitabimus adhuc, an quia dicendi laudem TVLLIO tribuimus, Philoſophandi ac ratiocinandi adimere iure poſſimus? Sunt namque vt Virtutes inter ſe omnes nexae, ſic & artes omnes ac diſciplinae, vt in Liciniana ait, arctiſſimo vinculo colligatae. Nihil itaque inepti homines efficiunt, qui ita ratiocinantur: Orator eſt; Philoſophus ergo non item: non magis quam ſi Philoſophos fuiſſe neges Socratem, Platonem & Ariſtotelem, aut Poëtas ſimul & Philoſophos Empedoclem, Parmenidem, Cleanthem, Xenophanem, Timonem, & Epicharmum Siculum; quòd vt eorum fragmenta adhuc reliqua oſtendunt, verſibus Philoſophica complexi ſint, pluresque apud Athenaeum & Clementem Alexandrinum alij exiſtant; apud Latinos T. Lucretius Carus, CICERONIS familiaris, Epicurea dogmata libris ſex, qui in manibus ſunt, pertractauit: vt & medica Nicander, & ſiderum formas ſituſque carmine Aratus deſcripſit. Sed Ariſtoteleis quoque ac Peripateticis huius quidem aeui breui reſpon-

deam neceſſe eſt. Qui dum Ariſtotelem vt oportet legunt, quin Eloquentiam imitantur? quem aureum dicendi flumen CICERO iure nominat, Quin diuinam eius Methodum proponunt, qua via ac ratione, & diſerte TVLLII exemplo, de re quauis propoſita diſſerere queant? ſi enim Academicus (fatendum eſt enim) CICERO, nihilque certi in rebus pronunciat, nec in vnius verba Magiſtri iurauit; quidni illi concedamus, quod ſibi licere Stagirita, vt à Platone (quo per annos viginti doctore eſt vſus) per inuidiam ſaepe diſcederet, exiſtimauit. Quo etiam nomine mulus, qui matrem ferit, identidem eſt appellatus, vt in Parallelis eius atque Demoſthenis, ſeu de coniungenda Philoſophiae Oratoria olim diſſeruimus. Sed referent fortaſſe atque occurrent etiam hodie Graeci, qui cum Argyropylo, teſte Politiano, vt Philoſophiae ignarum TVLLIVM inceſſunt, quòd ἐνδελέχειαν in Tuſculanis *perennem quandam ac continuatam motionem* in Animae definitione ſit interpretatus, odio nimirum adducti; quòd fidem Graecae nationis, vt vanae in iudicio orat. pro Flacco eleuarit. Nimirum.

——*Manet alta mente repoſtum*
Iudicium TVLLI——

Verum hanc de Graecis controuerſiam lib. IV. Tullianarum Quaeſtionum cap. XIII. & XXI. profligauimus.

CAP.

CAP. X.

An vitioſus Poëta CICERO? Παρήχημα, *Echo,* & Echoinus verſus, *qui vulgo male* Leoninus *appelletur.*

POETAM minime malum fuiſſe TVLLIVM, immo omnes qui ſuam anteceſſerant aetatem pangendis verſibus facile ſuperaſſe, è Plutarcho ceteriſque iam docuimus, lib. I. Tullianarum cap. XXVIII. Reprehendunt tamen aemuli verſum hunc CICERONIS; quin & Iuuenalis Satyra x. irridere eſt auſus:

O fortunatam, natam me Conſule Romam!

Quae ſyllabarum iteratio vocis deſinentis & inchoantis tantum abeſt vt Critici vitio dandum exiſtimarint, vt etiam imitandum ſibi duxerint, quòd poſteriores etiam Poëtas mire id affectaſſe obſeruarint. Vnus enim omnium inſtar Tibullus, eques Romanus, & caſti ſermonis ac ſuauis auctor, plerumque ſyllabas ſtudio geminat: vt, ne longius abeam, ſtatim in limine:

Me mea paupertas vitae traducat inerti.

Qualia M. Ant. Muretus ibidem, & Ioannes Garzonius Venetus plura alibi in cultiſſimo illo Poëta ad calculos reuocarunt. Παρήχησιν autem vel Παρήχημα Rhetorũ filij Schema nominãt ἀπὸ τοῦ παρηχεῖν. Budaeo *Adnominationẽ*; nobis *Reſultationem* nominare Latinè liceat, vt in Poëtis antiquis, praeſertim Marone

Ioui-

Iouianus Pontanus *Alliterationem* ſolitus eſt appellare. Echo vero à Latinis *Vocis imago* redditur à Marone, Horatio Flacco, atque adeo CICERONE: quam ſic Ariſtoteles in Problematis ſectione XIX. definit ἀφὴ φωνῆς τῆς νεαλῆς ληγούσης. Et Euodus Poëta li. IIII. Anthologiae.

Ἠχὼν μιμολόγον, φωνῆς τρύγα, ῥήματος οὐρήν.

Sum ſermonis equa, ac vocis faex, caudaque verbi.

Virgilius autem IIII. Georgic. vim Echus eleganter exprimens:

——aut vbi concaua pulſu
Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.

Et Auſonius Gallus, epiſt. XII.

——reboat nemorum vocalis imago.

Horatius vero Oda XII. lib. I. Carm.

——cuius reſonat iocoſa Vocis imago.

Rurſum Oda XX.——*vt iocoſa*
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Ad quae vetus interpres Porphyrio *Imaginem* quaſi *imitaginem* litterarum ſubtractione deriuat. CICERO autem Tuſculana III. de gloria verba faciens: *Ea* inquit, *virtuti reſonat, vt imago.* Sic enim nuper in Nodis Tullianis lib. II. cap. 22. ſublato gloſſemate de membranis antiquiſſimis repoſuimus. Quidam enim nimis officioſe addunt *τὸ voci*: & Turnebus reponemdum cenſuit. *vt imago gloriae*, lib. II. Aduerſariorum cap. 6. pro plauſu. Verum ego Varronianum illud hic vſurpem: *Cras credam, hodie nihil.* Redeo ad ſchema, quo & vſos video in Epitaphijs ſibi, dum viuerent, condendis Poëtas duos, Cn. Naeuium, & M.

Accium

Accium Plautum, apud Agellium lib. I. Noctium Attic.cap. 24. Ille epigramma hoc ſibi Campana quadam ſuperbia poſuit.

Mortales immortales flere ſi foret fas:
Flerent Diuae Camenae Naeuiom Poëtam.

Plautus veto ſepulcro inſcribendum curauit.

Scena eſt deſerta, dein Riſus, ludu' Iocuſque
Et numeri innumeri ſimul omnes collacrumarunt.

Vbi Turnebus idem lib. x. cap. 12. *Numeros innumeros* pro vincta, ac ſoluta oratione ſeu proſa accipit vt Auſonius.

Innumeros numeros doctis accentibus effer

Sed haec critici viderint: mihi hic quidem παρήχησις magis placet, quae figura Lucretio ac Maroni, & vt diximus, Tibullo mire placuit. Lucretius enim ſimiliter lib. II. de rerum Natura.

Seminaque innumero numero, ſummaq; profunda,
Multimodis volitent aeterno percita motu.

Rurſum lib. III.

Et ſpectare immortales mortalia membra
Et numero innumero certareque praeproperanter.

Sunt & alia Lucretiana talia:

———*vera ratione repulſa*
———*& clara loca candida luce.*

Virgilius vero plurima habet a Pontano ſingulari Dialogo obſeruata. vt: *Fama malum. Date tela. Stuppea flamma manu,*
Et III. Aeneid. v. 183.—*caſus Caſſandra canebat.*
Et lib. VII.—*patriaque Latinus Sede ſedens.*
Et lib. XI. v. 124.—*ô fama ingens, ingentior armis.*
Propert. lib. II. *Colchis Colchiacis vrat ahena focis.*
De Hiſtoricis vero T. Liuius ab. V. C. *Interea*

dedita

dedite prophanos : *nos* in his enim iiſdem litteris ſingulae dictiones inchoantur : vt praeter Plautum, qui haec ſaepe affectat, Terentij illa crebro occurrunt, *Tantam tam improuiſam*, & *conſilia conſequi conſimilia*. Rurſum:

Mihi oſtentatam tam breuem, tam optatam, tam inſperatam.

Item: *Fatue fateor : illa illico : adeam ad eam :* Aliaque. Sed ad CICERONEM, cuius cauſſa, agitur, redeamus & è multis pauca notemus. In P. Scipionis Somnio è lib. VI. de Rep. ſic de Luna: *Citima terris luce lucebat aliena*. Et ad M. Brutum, referente Quinctiliano lib. IX. cap. 4: *Res mihi inuiſae viſae ſunt*. Et alibi, *Statua tua ſtabat*. Et *Difficile factu eſt. eſt enim*. *Dicta eſſe dicebat. Ad eas tres res. Eum qui faceret, facere ciuibus omnibus*. Et in Caeliana: *Vnquam quemquam*. Rurſũ in Piſoniana : *Sed ne quo modo fieri quidem poſthac poſſint, poſſum vllo modo ſuſpicari*. Et primo de Orat: *Hos quos nos Oratores vocaremus*. Alibi vero: *Omnia quidem praeclara rara*. Non igitur inuſitatum id, vt quibuſdam viſum, cum & in Graecis Tragicis, Euripide & Sophocle, & Homero conſimilia obſeruarit elegantiſſimus Muretus, lib. I. Variarum lectionum cap. XV. Deſinant itaque aduerſarij haec reprehendere.

O Fortunatam natam——Et illud lib. I. Offic.

Cedant arma togae, concedat laurea laudi

Sic enim è Piſoniana CICERONIS legiſſe quoſdam pro——*laurea linguae*, adnotat Pet. Victorius lib. V. Variarum lectionum cap. viceſimo quarto pro quo vulgo verius legitur *cõcedat laurea linguae*, vt & Quinctilianus lib.

XI.

xi. Inſtitut. Et in CICERONEM Salluſtij nomine declamatio, atque Plutarchus, vt ſup. cap. i. docere memini, nihil vt repetere ſit neceſſe. Sed hoc agamus: Exſtat & lepidum hoc Epigramma lib. iv. Florilegij, Tit. i. velut ἠχοῦς παράδειγμα Gauradae poëtae:

Ἀχὼ φίλα μοι συγκατάινεσόν τι. τι;
Ἐρῶ κορίσκας, ἁ δέ μ' οὐ φιλεῖ. φιλεῖ.
Πρᾶξαι δ' ὁ καιρὸς καιρὸν οὐ φέρει. φέρει.
Τὺ τοίνυν αὐτᾷ κερμάτων τὺ δὸς. τὺ δὸς.
Ἀχώ, τί λοιπὸν ἢ πόθου τυχεῖν; τυχεῖν.

De his forſitan Martialis luſit lib. ii. Epigram. 86.

Nec retro lego Sotade Cinedum,
Nuſquam praecula quod recantat Echo,
Turpe eſt difficiles habere nugas,
Et ſtultus labor eſt ineptiarum.

Ab Echo autem *Echoicus ſeu Echoinus verſus* deriuandus eſt potius, quam inepte, vt vulgo fit, *Leoninus*. Qualis ille Maronis ix. Aeneid. v. 634.

I nunc & verbis virtutem illude ſuperbis.

Sic enim appellare malo cum Had. Iunij Nomenclatura, Seruium Honoratum de Metris ſecutus, quam vt *Leonini carminis* rationem reddere cum Iul. Caeſare Scaligero lib. de Poetica coner. Equidem ad CICERONIS verſus quod attinet, numeris minime vitioſos, quemadmodum aduerſarij cenſent, ſed probe reſultare arbitror. Natam enim Remp. Romanam, quod è L. Catilinae faucibus erepta ſalua permanſiſſet, initiò Catilinariae tertiae praedicat: iurene optimo, an glorioſe nimis, ſupra capite ii. iam diſſeruimus. Arma

vero ſeu ſagum togae cedere I. Offic. lib. TVLLIVS contendit: contra vero ſui oblitus cauſaeque ſubſeruiens in Mureniana armatogae praeferenda cenſuit:calidum nimirũ & frigidum ex eodem ore efflans: qua de re & cap. IIII. diſputatum vberius.

Nunc in Homero ſchema hoc conſideremus: quod Hermogeni Rhetori ſubtiliſſimo eſt, cum in ſermone duae, tres, quattuorue dictiones aut nomina, aut verba quis efferat, ſono quidem affinia, re autem & notione diuerſa. Vt πείθοντο Πειθίαν. & Ἐυπειθῆ πείθοντο Odyſſ. ώ. v. 464. & illud apud Suidam: Ανέπλαττε Πλάτων πεπλασμένα ὀνόματα: forte de Cratylo Platonis iactatum. Item tritum illud antiqui ſcriptoris: Σάμια μία ναῦς. Rurſumque Homericum, de Bellerophonte, Iliad. ζ. v. 201.

Ἤτοι ὁ κάπ πεδίον, τὸ Ἀλήϊον οἶος ἀλᾶτο.

Ὃν θυμὸν κατέδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

Quos verſus M. TVLLIVS III. Tuſculana ſic reddidit:

Qui miſer in campis moerens errabat Aleis,

Ipſe ſuum cor edens, hominum veſtigia vitans.

Tale Heſiodium illud:—— φυλέα φίλον μακάρεσσι θεοῖσι. & Theocriti quædam: atque in Odyſſea Homero frequentata, vt in Iliad. ά. Euſtathius eſt auctor, ad illud: v. 404.

Αἰγαίων᾽ ὁ γὰρ αὖτε βίῃ οὗ πατρὸς ἀμείνων.

Bifariam reſultare hanc figuram, ſic concludens, ὀρθῶς καὶ ἀντιγραμμένως. *Directè*: vt illud: Ἐυπειθεῖ πείθοντο. *Inuerſe*: vt inuerſis litteris, θυμὸς καὶ μῦθος: λέπας καὶ πέλας; Lycophr. Horũ rurſum alia in ſcriptura, alia in cõſonanti-

F bus:

bus: vt ἐδδείσαν, οὐδ' ἔτ' ἔδησαν. Iliad ά. v. 406. Sæpe etiam vtroque fieri aſſolet: Homero Odyſſ. λ. v. 83.

Εἴδωλον δ', ἑτέρωθεν ἑταίρου πολλ' ἀγόρευε.

Siracides capiet 35. verſu 4. Μὴ ὀφθῇς ἐν προσώπῳ κυρίου κενός. Quod in vulgata eſt: *Non apparebis ante conſpectum Domini vacuus.* Aliter etiam καινὸς legi hic notat Euſtathius. Quo ex loco colligere liceat eius etiam num aetate αι diphthongum, non vt αϊ; ſed vt Latinus *ae* per e, efferri ſoli tam, contra atque hodie recentiores, Aldus, Deſiderius, & Mekerchius diſputant. Talia quoque & illa Attico ritu conſtructa, verbo iterato, vt eidem poëtae Iliad. ί.— ὅσκεν ἀρίστην βουλὴν βουλεύσῃ. Prouerbia & hic Euſtathius laudat: Ηλῳ γὰρ ἧλος, κατὰ παροιμίαν: *Clauus clauo pellitur*, quod Ariſtoteles Polit. emendandum cenſet: & affine eſſe, Πάσσαλος πασσάλῳ. Addamus & illud, in quo παρήχησις eſt, Adagium: Ζεῖ χύτρα, ζῆ φιλία: *Feruet olla, viget amicitia.* Idem Scholiaſtes ad illud Iliad. δ. v. 168. ἀπάτης κότον, reſonare illi, atque referri ait, ὅρκια πάτησαν. De quo & Ariſtophanis interpres in Plutum, ibi: στεφανώδης κότινος στεφάνῳ. idem obſeruat, quod vt dixi, prolixe ad ά Iliad. v. 404 Euſtathius. Audio & Io. Moriſotum, Dolae apud Sequanos Medicum peritiſſimum, de Parechemate olim litteris quaedam conſignaſſe, vt idem C I C. Paradoxa Stoica ante Turnebum Graece conuertit; ſed ea videre non contigit.

CAP.

CAP. XI.

Superior an inferior Demoſthene CICERO?

EXTARET Caecilius Calantianus domo Siculus, qui, teſte Suida, Demoſthenis ac TVLLII comparationem deſcripſit, noſter hic comparandi labor ſuperuacaneus fortaſſe videri poſſet: etſi hoc nomine Caeciliũ Plutarchus initio Demoſthenis, & Photius noſter in Bibliotheca audaciae nomine arceſſant, quod nimis vbique temerè inconſulteque auſus eſſet collationem CICERONIS cum Demoſthene proferre. Quod iudicium ferre Plutarchus de ſtylo quidem defugit, quamuis Romam, ſed affecta iam aetate, commigrarit. Dionyſius tamen Longinus, cognomento Criticus, audacior paulo non recuſat committere inuicem vtriuſque Oratoris dictionem. Sic enim libro *de ſublimi dicendi genere* ad Terentianum, vt nunc editus eſt limatior, cap. x. de CICERONE σύγκρισιν inchoans ait: quae adſcribere, etſi lib. II. Tullianarũ a nobis allata, non pigebit: *Copioſiſſime* CICERO *tanquam pelagus quoddam, in apertam & porrectam multis in locis diffunditur magnitudinem. Vnde credo hic quidem Orator in dicendo affectibus concitatior, ignei vigoris multum retinet; nec non animoſae & inflammatae concitationis.* Demoſthenes *vero in amplitudine & maieſtate conſiſtens, non quidem friget, ſed neque tam*

volubilis eſt & cõtortus (vt mihi quidẽ videtur) in nonnul lis alijs quam in iſtis. Haec vero dico, quatenus etiã nobis vt Graecis hominibus, de iſtis aliqua cognitio & iudiciũ Atque CICERO *ipſe à Demoſthene, quoad magnitudi nem, differt. Huius enim ſublimitas breuis, & conciſa e maiori ex parte:* CICERONIS *vero fuſior & copioſior Et noſter quod vi, celeritate, item robore & vehemen velati incendat, rapiatque ſimul obuia quaeque; procel loſo cuidam turbini ac fulmini commode aſſimilari poſſi* CICERO *autem, mea quidem ſententia, ceu ingen quoddam incendiũ, vndique depaſcitur omnia, & ſurſu voluitur, multam & conſtantem ſemper retinens inflam mandi vim: alibi tamen aliter apud ipſum diſtributam continuatione vero & ſucceſſione nutritam. Sed de vos demum ipſi melius iudicare poteſtis. Demoſthenica porro & ſublimi orationi datur commode locus, tum i ipſis exaggerationibus grandioribus, tum in vehementi ribus perturbationibus, adeoque quotieſcumque audit rem perterrefacere neceſſe eſt: fuſae contra orationi v perfundendus ſeu fouendus tanquam infuſione quada auditor. Locorum enim tractationibus, perorationibu item maiori ex parte, digreſſionibus, enarrationibus o nibus, demonſtrationibus, hiſtorijs, & Phyſicis tractation bus, & non paucis alijs partibus, apta & congrua ora fuſior & copioſior.* Haec Longinus de vtroque Or tore: in quibus Demoſthenicae, quae denſi eſt; & Tullianae, quae fuſior & copioſior, or tioni ſit locus. Similem adhaec Deus vtriſq naturam indidit, vt è Plutarcho, initio Dem ſthenis, & M. Fabio lib. x. cap. I. Vitiſque à n bis olim comparatis, Olympiade CXIV. an III. nũc docebimus. Vterq; honoris & glori cupientiſſimus; libertatis ambo & Reipu aman

amantiſſimi: in periculis & armis timidi: rerú varietati, quae in hac vita accidunt, ſubiecti: ex obſcuris & mediocribus potentes & magni euaſerunt; qui Regibus & Tyrannis ſeſe obiecere: filiam ſinguli vnam habuere, & ante obitum amiſere: Virtutes in ambobus dicendi pleraeque ſimiles: conſilium item, ordo diuidēdi, praeparandi, probandi ratio: omnia demum quae orationi ſubijciuntur. Elocutionis tantum diuerſitas fuit aliqua. Demoſthenem enim conſtat eſſe denſiorem; CICERONEM autem copioſiorem: illum concludere aſtrictius; pugnare hunc latius: illum acumine; hunc frequentius pondere: Illi nihil detrahi poſſe; huic nihil addi: curae plus in illo, in hoc naturae. Eodem item aetatis tempore in forum progreſſi cauſas agere coeperunt; TVLLIVS ſeptimo & viceſimo anno, teſte Agellio lib. xv. Noct. Attic. cap. 28. Grauem vterque Reipublicae cauſa aduerſarium ſuſtinuit: ille Philippum Macedonum Regem; hic in Conſulatu coniuratos Catilinae, ac denique M. Antonium. Reip. conſtituendae III. Virum, in quem vt ille in Philippum XII. ſic XIIII. Philippicas illius titulo & exemplo, conſcripſit. Exſulauit vterque, & reuocatus eſt. Demoſthenes ad Chaeroneam, ſic Pharſalico praelio, fuga ſalutem ſibi Tullius quaeſiuit. Mors quoque violenta vtrique accidit immerenti, eadem prope aetate; ille ſexageſimo, noſter vero climacterico, tertio & ſexageſimo aetatis anno: quos & Iuuenalis Sat. x. deplorat:

Eloquio ſed vterque perit Orator, vtrumque
Largus & exundans letho dedit ingenij fons.

Ad haec Philippicas, vt iam dixi, vterque reliquit; duodecim ille, hic quatuordecim; ille ad Philippi epiſtolam in ijs ſemel perorauit. Hic ad M. Antonij epiſtolam Philippica decima-tertia verba faciens, ſingula prope verba exagitat. Exterorũ iudicia veluti diribitores collegimus: nunc Romanum Oratorem, ſed arrogãtius ſeſe iactãntem, audiãmus. *Nobis* inquit CIC. in Oratore, *nõ ſatisfacit ipſe Demoſthenes: qui quamquam vnus eminet inter omnes in omni genere dicendi, tamen non ſemper implet aures meas; ita ſunt auidae & capaces, & ſemper aliquid immenſum infinitumque deſiderant.* Vnde & Quinctilianus ait: *Nec ipſi* CICERONI *Demoſthenes ſatis videtur eſſe perfectus, quem dormitare interim dicit.* Idemque Fabius diligens CICERONIS vbique defenſor, ſic vtiuſque virtutes Oratorias comparat lib. x. cap. I. vt Romanum Oratorem tribus potiſſimum praeferat: puta ſalibus atque vrbanitate, quòd alter tetricus nimis ac rigidus; quo etiam nomine ab AEſchine apud Dionyſium Halicarnaſſeum reprehenditur (lib. extremo de ſtylo Demoſth.) Dehinc commiſeratione. Aculeos enim in peroratione relinquens, regnabat CICERO, vincebatque aequales. Sic enim in Oratore ait: *In miſerationibus, etiamſi plures dicebamus, Perorationem mihi tamen omnes relinquebant: in quo, vt viderer excellere, non ingenio ſed dolore aſſequebar.* Sic pro L. Murena, & pro T. Annio Milone, & pro Corn. Balbo perorauit. Denique Epiſtolis anteponit: in

in quibus, inquit, etſi exſtent vtriuſq;, nulla contentio eſt. Ibidem quoque C. Salluſtium Demoſtheni propiorem facit, vt Thucydidis aemulum: quem Hiſtoricum octies ſua manu Demoſthenes tranſſcribendo edidicerat, vt refert Lucianus *lib. in librorum multitudine tumentem*, & Agathias lib. 11. Hiſt. & Suidas in Stagira. Subijcit idem M. Fabius Rhetor & Cenſor acerrimus: *Attici, praecluſis concluſionibus obſcuri, Salluſtium atque Thucydidem ſuperant; triſtes ac ieiuni Pollionem aemulantur; otioſi & ſupini, ſi quid modo longius circumduxerunt iurant* CICERONEM *ita locutum fuiſſe*. Plinius denique minor Caluum Oratorem Demoſtheni propius acceſſiſſe quam CICERONEM pronunciat. In quam ſententiam Seneca Rhetor Cōtrouerſia XIX. concedere non dubitat: *Cuius*, ait, Calui *compoſitio in actionibus ad exemplum Demoſthenis riget: nihil in illa placidum, nihil leue eſt, omnia excitata & fluctuantia* Cauſa in promptu, quod Aſianus CICERO: Atticus Demoſthenes: hic conciſus ac ſtrictus; ille torrentis inſtar redundans; vt & doctiſſimus docet Turnebus Aduerſ. lib. XXVIII. cap. XXII. Finiam B. Hieronymi comparatione: *In M.* TVLLIVM, inquit lib. de vita Clericorum, *illud pulcherrimum Elogium eſt: Demoſthenes tibi praeripuit, ne eſſes primus Orator; tu illi, ne ſolus.*

CAP. XII.

Felixne an infelix in vxore & liberis? CIC. *Degeneres fere doctorum liberi. Quincti Tullij cum filio interitus.*

MIRANDVM ſane quo Naturae vitio accidat, praeſtantium virorum liberos plerumque degenerare, immo, quod Graecorũ Prouerbio iactatur τῶν ἡρώων τέκνα πήματα, noxios non raro eſſe, probrumque familiae adferre: itemque probis parentibus naſci interdum improbos videas. Ne plura colligã exempla, eſt domeſticum TVLLII in manibus. De quo ſic Seneca Rhetor Suaſoria VII. *M. Tullius, filius* CICERONIS, *nihil ex paterno ingenio habuit praeter vrbanitatem.* Et in Seuero Auguſto AElius Spartianus: *Reputanti mihi, neminem prope magnorum virorum optimum, & vtilem filium reliquiſſe ſatis claret. Denique aut ſine liberis viri interierunt*, (vt Romulus, Numa, Camillus, Scipio, Demoſthenes, Virgilius, alij) *aut tales habuerunt plerique, vt melius fuerit de rebus humanis ſine poſteritate diſcedere. Quid de Caeſare? quid de* TVLLIO *dicam? cui ſoli melius fuerat liberos non habere. Quid de Auguſto? qui nec adoptiuum bonum filium habuit, cum illi eligendi poteſtas fuiſſet ex omnibus.* Plura eius generis nobis ſuppeditant cum veteres, tum nouae hiſtoriae. Pericles, qui eloquentia ſua tonare ac fulgurare dictus, duos

reliquit

reliquit filios ſtupidos, & tertium Cliniam, furioſum etiam. Ariſtides quoque, Iuſti cognomento, nullius rei filium eſt nanctus. Hippocratis quoque filij degeneres in Prouerbium ceſſerunt. Thucydidis adhaec filij duo paternae virtuti non reſponderunt, vt docet apud Platonem Socrates. Demoſthenes quoque Orator, quem TVLLIVS ad imitandũ propoſuit, talibus exẽplis commotus, dixit, vt teſtatur Ariſtides Rhetor in Cimone: τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὥσπερ εἱμαρμένη εἴη, φαύλους ἀποβαίνειν υἱούς. Huc pertinet Theognidis illud

Εἰδὲ ἦν ποιητὸν, καὶ ἔνθετον ἀνδρὶ νόημα,
Οὔποτ' ἂρ ἐξ ἀγαθοῦ πατρὸς ἔγεντο κακός.

Filiolo itaque auctus M. TVLLIVS anno ante Conſulatum, qui erat Vrbis cond. DCLXXXIX. L. Iulio Caeſare, C. Marcio Figulo Coſſ. vt T. Attico ſcribit; ſalua Terentia coniuge, quam Paedianus *Fabiam*; Plutarchus *Fabiam Terentiam* appellaſſe videtur: de qua dicendum prius. Cum hac enim annos plurimos ſine querela coniunctiſſime vixerat, laborum aduerſorũque ſocia, vt liber ad eam liberoſque, quartuſdecimus Epiſtolarum Familiarium ſatis clamat, quaeque cum Tullia filia, CICERONE atteſtante, Deos caſtiſſime coluerit. Falſo igitur Declamator (neque enim ille C. Salluſtius eſt) ſic in CICERONEM incurrit: *Verum, vt opinor, ſplendor domeſticus tibi animos tollit: Vxor ſacrilega, ac periurijs delibuta; Filia matris pellex, tibi iucundior atque obſequentior quam parenti par eſt.* Haec ſi non calumnia eſt, quae vnquam calumnia viſa? Hinc & maledicus ille, credo, Q.

Fuſius Calenus in ſuam orationem apud Dionem lib. XLVI. probroſe incluſit, & Donatus Maronis interpres; (reclamãte interim Seruio Honorato, longe illo praeſtantiore ac fideliore) Poëtae illud: AEneid. VI. v. 623.

Hic thalamum inuaſit natae, vetitoſque Hymenaeos.
de CICERONE à Poëta ſcriptum eſſe credere audet: quod tamen flãgitium inceſtus, inter tot tantoſque Oratoris noſtri aemulos, ſi verum eſſet, non-nemo euulgaſſet. Quin &, teſte Plutarcho, ſe cum Terentia curas Reipub. ſaepius, quam Terentia priuatas ſecum communicaſſe, iactare ſolebat. Haec Brundiſij ab exilio reuertenti marito officioſa, laetaque occurrit: mox tamen, vt Cn. Plancio lib. IIII. epiſt. 14. CIC. ſcribit, in reditu ſuo nihilo meliores res domeſticas quam Rempub. offenderat; turbatas nimirum, ſeque alieno aere oppreſſum. Qua de re variae apud Atticum querimoniae, quaſi ſcelerate fecerit, aeſque ingens, cui ſoluendo non eſſet, cõtraxerit lib. XI. epiſt. 16. ac. 24. Et lib. XII. ep. 13. Diuortium itaque cum Terentia fecit anno poſt Rom. Cond. DCCVII. M. Aemilio Lepido, C. Iulio Caeſare tertium COSS. Quae Terentia Vibio Rufo deindè nupſit, vt refert Dion lib. LVII. mox alijs: & tertium ac centeſimum aetatis expleuiſſe annum (quis credat?) ſcribit C. Plinius lib. VII. Natur. Hiſt. cap. XL. & Valerius Maximus lib. VIII. cap. 14. Scripſere nonnulli, & curioſe obſeruatum ab Hieronymo epiſt. contra Iouinianum, Eloquentiam velut augurio quodam in eius nuptijs paulatim degeneraſſe:

generaſſe: *Illa* inquit, *coniux egregia, quae de fontibus Tullianis hauſerat ſapientiam, nupſit Salluſtio, inimico eius; & tertio Meſſalae Coruino & quaſi per quoſdam gradus Eloquentia deuoluta eſt.* Non enim eadem eſt, vt falſò quidam putarit, *Terentia* C. Maecenatis vxor, Licinij Proculeij F. quam & *Liciniam* vocari ab Horatio Oda XII. lib. II. Carm. doctiſſ. interpres Torrentius obſeruat, quamque perdite adamatam iurgio poſt intercedente ſimiliter repudiauit. Taedio vero diuortij cum moerore, tum febri triennium CICERO conflictatus ſomnum capere non potuit, ſi Plinio eidem lib. VII. Natur. Hiſtoriae cap. 51. credimus. Huc reſpexit, credo, Iauolenus Priſcus L. 64. de donat. inter vir. & vx. lib. Pandect. XXIIII. Tit. 2. *Trebatius inter Terentiam & Maecenatem reſpondit: Si verum diuortium fuiſſet, ratam eſſe donationem; ſi ſimulatum, contra:* Arbiter nimirum Trebatius controuerſiarū connubialium Maecenatis ac Terentiae fuit. Reſpexit huc etiam acutè Seneca Epiſt. CXIV. de quotidianis Terentiae cum Maecenate diuortijs: Hunc eſſe qui vxorem millies duxerit, cum vnam habuerit: innuens reditum in gratiam ſaepius è quotidianis iurgijs. *Amantiū enim irae* inquit Comicus, *amoris eſt reintegratio.* Equidem ad TVLLIVM redeo, qui repudiata Terentia, virginem vxorem ſtatim duxit; vt quidem Terentia dictitabat, formae gratia, vt autem M. Tiro CICERONIS libertus ſcripſit, diuitijs eius adductus, vt aes alienū diſſolueret. Erat enim puella diues, eiuſque bona CICERO fidei commiſſarius heres relictus

custo-

cuſtodiebat. Quamobrem cum permagnum aes alienum haberet, amicorum & familiarũ impulſu puellam vxorem praeter aetatem duxit, vt illius facultatibus creditoribus ſatiſfaceret, vt rectè Plutarchi locum Franc. Fabricius, homo doctiſſimus, melius quam ad eam diem interpretes omnes conuertit. Et certe apud Dionem lib. XLVI. Q. Calenus CICERONEM exacta aetate virginem duxiſſe notat, ἵνα ἐκ τῆς οὐσίας δανείσματα ἀποτίσῃ, *vt illius facultatibus ſe aere alieno liberaret*. Quinctilianus quoque lib. VI. Inſtitutionum, de ridiculis agens: CICERO, inquit *obiurgantibus quod ſexagenarius Popilliam virginem duxiſſet: Cras*, inquit, *mulier erit*. Vbi & illud obſerua, *Popilliam* duxiſſe, qui biennio poſt capite truncatus eſt à C. *Popillio Laenate*, eiuſdem gentis Picenae regionis, quem rogatu M. Coelij parricidij reum non minori cura quam eloquentia anteà defenderat, quique vltro M. Antonium rogauit, vt ad CICERONEM proſcriptum perſequendum, iugulandumque ſe mitteret, caputque illud Antonio, impius atque ingratus percuſſor, attulit, quod pro eius rei capite quondam perorauerat. *Publiliam* tamen nominari hanc ſecundam CICERONIS vxorem animaduerto, lib. ad Attic. XII. epiſt. 27. Sed haec ſcripturae varietas, mea quidem ſententia, eadem in *populo & poplico* fuit, & in primo Vrbis Romae Conſule *Publicola* & *Poplicola*, quaſi *populum colente*, vt Dionyſius Halicarnaſſeus monuit, quaſi δημοκηδής eſſet. Etſi *Publicolae* nomen Turnebo magis arriſit lib.

XXX. Aduerſ, cap. 29. & *Poblilia tribus*. Hanc quoque nuncio remiſſo repudiauit, teſte Plutarcho: quòd viſa eſſet Tulliae filiae CICERONIS morte laetari. Hinc ei negotiũ cum *Publilio* fuit, de dotis ſolutione, quantum è lib. XVI. ad Atticum docti homines colligunt. Filia autem apud P. Lentulum generum (qui & P. Corn. Dolabella eſt) è partu diſceſſit, vt idẽ Plutarchus, & in Piſonianam Aſconius, & Macrobius lib. II. Saturn. annotarunt: Qui *P. Cornelius Dolabella* eſt cum Caeſare tunc in Hiſpania verſatus, vt eidem Attico lib. XIII. & Philippica II. ſcribit. Huius Tulliolae mortem, quod tenere parens adamaret, tam molliter tulit, nullius vt conſolationem admitteret, vinceretque conſolationem amicorum, vt Seruij Sulpicij lib. IIII. ep. 5. aliorũq; familiariũ, immenſus dolor. Cõpoſuit itaque ſibi librũ, quem *Conſolationem* vel *De luctu minuendo* inſcripſit, vt II: de Diuinatione, & in Tuſculanis, & ad Atticum lib. XII. & XIII. & Lactantius lib. I. cap. XV. Diuinar. Inſtitut. teſtantur; non eam, quae noſtra memoria CICERONIS nomine *Conſolatio* foras data eſt, eruditi quidẽ hominis, ſiue Car. Sigonij, ſiue, vt ipſe dicere ſoleret, familiaris, at non CICERONIS. Nunc ad Filium reuertor, qui ſeptennis parentis exſilium doluit: cumque primum ſapere coepiſſet, acerbiſſimos dolores miſeriaſque percepit, vt Terentiae coniugi lib. XIV. perſcripſit. Et vero Quincto fratri, ſapientiorem, quam optate poſſet, puerum nominat. Vide & Oratt. pro Domo ſua, & De haruſpicum reſponſis.

ponſis. Huic praeceptorem *Dionyſium*, hominē eruditum, dedit, qui & ipſe cum Dionyſio Magnete aſſiduiſſime verſatus operam eloquentiae dedit, priuſquam in Rhodum proficiſceretur. Dubitare autem ſubit, dum in epiſtolis ad Atticum laudatum totius eruditionis nomine hunc Dionyſium animaduertam, ſit ne Dionyſius Halicarnaſſeus; cuius hodie & Hiſtoriae exſtent rerum Romanarū copioſae: Rhetorica item, ac Critica leguntur. Sed cur nullum in ſcriptis eius veſtigium aut vola, inquies, apparet? An quia ſimultatem cum parente exercuit, vt ex lib. VIII. ad Atticum ep. 4. colligas: aut quia puduit piguitque diſcipuli à parente ſummo magno familiae probro degenerantis? vt hinc vel nominare detrectarit. Certe ad Cn. Pompeium, & Q. AElium Tuberonem Romanos diſerte ſcripſit. Sed haec Critici viderint, & nos ad Controuerſiam quartam Senecae Rhetoris: vbi & huius filius, Dionyſius quoque dictus, elegans magis declamator, quam vehemens. Quin & ſe parentem filium ac Q. Tullium iuniorem ſubdocere identidem non erubuiſſe Q Fratri perſcripſit. Sedecim annorū filius cum eſſet Arpini C. Claudio Marcello. L. Corn. Lentulo coss. anno V. C. DCCIIII. togam puram accepit, vt T. Attico lib. IX. ep. 20. & vltima ſcribit. Qua etiam aetate, vt ipſe de more acceperat, fratriſque filio Quincto Laodiceae ſimiliter dedit. Deducebantur autem tunc à parente aut propinquis in forum adoleſcentes, vt Tacitus, ſeu potius Fabius in Dialogo de

de Oratoribus & Plutarchus de Caſſij filio, & in Auguſto Tranquillus ſcribunt: togamque ſumebant virilem, poſita praetexta: quam & *puram* Latini nominabāt, & Graeci ἀπόρφυρον, quòd purpura, quae in praetexta cernebatur, careret. Plutarchus ibidem ἀνδρεῖον ἱμάτιον appellat: Dion lib. XLV. ἀνδρικὴν ἐσθῆτα vocat, vt Romani *Virilem togam.* Obſeruatum & eo ipſo die in Capitolium deduci, qui togam virilem ſumerent ſolitos, ex Val. Maximo lib. V. Memorab. cap. 4. de M. Cotta, de quo idem Dion Caſſius lib. XXXVI. Tractabilem autem tunc fuiſſe; & patri vt Pompeij partes ſequeretur auctorem exſtitiſſe T. Attico ſcribit, ab eodemque Pompeio bello ciuili alae alteri praefectū fuiſſe filium, lib. 2. de Officijs CICERO oſtendit. Domum vbi reuertit, multum etiam temporis litterarum ſtudijs dedit, curabatque parens, vt non minus Graece quam Latine diceret, ſuo vt exemplo par eſſet in vtriuſq; orationis facultate: quod initio Officiorum, & in Oratorijs Partitionibus declarat. Hinc Athenas miſſus, vt Cratippum Peripateticorum tunc principem audiret; pro ſcelus nefandū! ſeductus à Gorgia Rhetore, non Leontino, voluptate ac poculis corruptus eneruatur. De quibus aetatis erratis ad Tironem ſcribit; notauitque vt ebrioſum ac degenerem Seneca Rhetor Suaſoria VII. *Cui natura memoriam demſerat, & ebrietas, ſi quid ex ea ſupererat, ſubducebat.* Et Plinius lib. XIV. Nat. Hiſtoriae cap. 22. *Tergilla,* inquit, CICERONEM M. *Filium binos congios ſimul haurire ſolitum ipſi obijcit:*

Marcoque

Marcoque Agrippae à temulento ſcyphum impactum. Etenim haec ſunt ebrietatis opera. Sed nimirum hanc gloriam auferre CICERO *voluit interfectori patris ſui M. Antonio. Is enim ante eum auidiſsime apprehenderat hanc palmam; edito etiam volumine de ſua ebrietate.* Haec Plinius. Obſeruo & M. Antonio familiarem Q. Tullium iuniorem vſque eo fuiſſe, vt dextellam M. Antonij patruus vocaret. Laudatus eſt autẽ à M. Bruto, qui eum Athenis inuiſerat, ſecumque in Macedoniam duxerat, eoque legato vſus multa feliciter geſſit, vt in Bruto Plutarchus refert: commendauitque per epiſtolam, quae quarta eſt, parenti, vt & Meſſalla a que Trebonius, alijque laudarunt, ſed quorum patri ſuſpecta commendatio, vt ab amore profecta, eſſet, vt ad Atticum teſtatur. Conſulatus quoque collegam Octauium habuiſſe Seneca, Plinius, & Plutarchus affirmant. Addit Graecus hic etiam ſcriptor, Senatum imagines M. Antonij ſuſtuliſſe in parentis CICERONIS gratiam, honoreſque decretos antiquaſſe: decreuiſſe denique ne quis deinceps Antoniorum M. praenomine gauderet. Quam etiam poenam M. Capitolino regni affectati reo irrogatam memini. Sic Deus in CICERONIS domum finem Antonij vltionis contulit. Credam autem his quidni teſtibus promptius quam Appiano Alexandrino? qui ab Octauiano CICERONEM filium Syriae Praetorem factum ſcribit; niſi ſi *Praetorem* Graecorum more pro ςρατηγῷ bellique Imperatore dixeris, aut Proconſulem. Seneca enim noſter Aſiam obtinuiſſe ait, lepidam

pidam hanc de illo ebrioſo Suaſoria VII. hiſtoriam narrans: *Erat Ceſtius nullius quidam ingenij*, CICERONI *etiam infeſtus: quod illi non impune ceſſit. Nam cum* M. TVLLIVS F. *Aſiam obtineret (homo qui nihil ex paterno ingenio habuit praeter vrbanitatem:) cenabat apud eum Ceſtius. M.* TVLLIO *& natura memoriam demſerat: & ebrietas ſi quid ex ea ſuperer at, ſubducebat: ſubinde interrogabat, quis ille vocaretur, qui in imo recumberet. Et cum ſaepe ſubiectum nomen Ceſtij excidiſſet, nouiſſime ſeruus, vt aliqua nota memoriam eius faceret certiorem, interroganti domino, quis ille eſſet, qui in imo recumberet, ait: Hic eſt Ceſtius, qui patrem tuum negabat litteras ſciſſe. Afferri protinus flagra iuſſit, &* CICERONI*, vt oportuit, de corio Ceſtij ſatisfecit.* Igitur hoc commodi attulit, quod parentem vindicarit Cicero filius; incommodum contra, quod M. Antonij vinolentiam potando ſuperarit, cuius effugere parens violentiam niſi caeſus potuit. De exitu vero, quo dignus erat, nihil compertum; niſi obſcurum, inglorium, degenerenique perijſſe. Memorabilem vero Q. Tullij patruelis finem Dion ita lib. XLVII. praedicat. Q. CICERONEM Marci fratrem, filius, cũ proſcripti omnes à M. Antonio eſſent, abſcondit: & quoad eius fieri potuit ſeruauit. Occultauit enim, vt inueniri non poſſet. Qua de cauſſa quaeſtionibus omnibus excruciatus, nullum tamen indicium fecit. Q. parens re intellecta, cum filium admirans, tum miſericordia motus, vltro prodijt, ſeque ipſe percuſſoribus tradidit, & vna cum filio interfectus eſt: percuſſores interim orans, repugnante filio, ne

in ſuis oculis filium iugularent, ſed ipſe praeuerteret: vt Plutarchus & Appianus commemorant. Hic adeo in vtrumque parentem pius exſtitit, vt cum parens Quinctus Pomponiam, Titi Attici ſororem repudiare vt moroſam ac difficilem, iurgijs aſſidue incidentibus etiam abſens cogitaret, filius conciliarit vtrumque, ad concordiamque adegerit. Diſcordiae autem an zelotypiae cauſa fuerit, quòd Statium ſeruum maritus plus aequo dilectum etiam manumiſerit, incertum. De his enim & Attico crebro ſcribit, & Q. Fratri. Ex his colligis, vt rem in pauca conferam, infelicem vtrumque fratrem in coniuge ac liberis exſtitiſſe. Marcum quidem Terentiam, & mox Popilliam repudiaſſe dotiſque ſolutione impeditum; filium vero à paterno ingenio nimium quantum degeneraſſe. Tulliam adhaec delicias ſuas in partu mortuam moroſamque domi vxorem Terentiam toleraſſe: nihilquae propius factum, quàm vt diuerteret Quinctus, abſque filio fuiſſet: quem vna ſecum iugulatum cernere debuit. Sors haec dura litteratis hominibus vt rixoſa plerumque vxor obtingat iam inde a Socrate, quam & Xantippe afflixit: ſed haec hactenus, alijque copioſius pertractabunt.

PRO

PRO CICERONIANIS

CAP. I.

Aridos an reddat ac timidos, qui CICERONEM *imitantur.*

NASCITVR, vt in Lernaea hydra, alterum calumniae caput, Aridos enim CICERONIANOS falſò conuitiantur, ieiunos, ſqualli-dos, exangues, eneruos, ſteriles, meticuloſos, ac denique imbecillum partum edentes. Quod quam temere aduerſarij obij-ciant, vel me tacente res ipſa clamet. Non longe abiero: CICERO ipſe, (vnde enim po-tius, quàm a fonte, auſpicer, calumniamque refellam?) nonne plura longe maioraque ingénij monumenta, ſi molem ſpectes, tamet-ſi Reipublicae negotijs, ac Magiſtratui geren-do impediretur, reliquit, quam vel Philoſo-phiae principes in ſuo quique genere ſummi, & in ſcholis conſeneſcentes, Plato & Ariſto-teles. Diſertiſſimus ille quidem Plato, vt ſi Graecè loqui Muſae vellent, non alia vſuras lingua iactaretur; hic vero eius viginti ipſos annos auditor, via ac ratione ſcribendi arte lõge omnibus antecelluit, excitatusq; Xeno-cratis ſeu potius Iſocratis dicendi laude, po-meridianis & ipſe ſcholis eloquentiae prae-cepta ἐξωτερικῶς ſuis tradidit. Adhaec ſi

Oratori componere Oratores Graecos conuenit; nonne Iſocratem, & qui hoc plures longe reliquit Orationes, Demoſthenem CICERONE ſcriptorum numero inferiorem deprehendas? quorum neuter Philoſophica conſcripſit, quamuis hic Platonem ſtudioſe audierit, non Ariſtotelem, vt ſingulari ad Ammaeum epiſtola Dionyſius Halicarnaſſeus euincit. Ille etiam a forenſibus actionibus vmbra ſcholiſque contentus, metu quodam refugit. Copioſior itaque his omnibus cum Philoſophis tum Oratoribus CICERO. Quare ieiunus iniuria appelletur. Qui enim hunc ariditatis accuſet, illos merito damnet oportet. Equidem ſi aridos ac ieiunos eos nominent, qui prudenter ac circumſpectè pauca, eaque ad amuſſim edolata potius limant & euulgant, quam ſinuoſa volumina & ineptiarum plauſtra, fatebor equidem, quod dari ſibi volunt, & aſſentior. At enim non ea aridi notio eſt, ſed in vitio ponitur: qualis Laconum breuiloquentia. De tribus vero dicendi generibus CICERO, mea quidem ſententia, eiuſdemque aſſeclae, in alterum potius extremum Aſiaticum dicendi genus inclinant. Quod ſi ad medium, Atticum nimirum ac ſubtile perueniat, (De his eum formis in Oratore ad Brutum, & de optimo dicendi genere ipſe diſſeruit:) ſumma ea dicendi laus omnium Rhetorum punctis commendetur. Adde & redundantem M. Fabio in iuuenibus placere rationem prae ieiuna: quod adimere citius quam adijcere procliue ſit.

CAP.

CAP. II.

Cur ſcribant vt limatiora, ſic & pauciora: & de extemporali dicendi genere.

DE recentioribus CICERONIS aemulis quando vrgent aduerſarij, cur vt pauciora ſic & elaborata magis edant, videamus. Demus quoniam ita volunt, pauciora hoc ſaeculo, limata tamen ac diſerta, Attica quadam venuſtate, principes illos parentum memoria eloquentiae viros monumenta foras dediſſe; Bembum inquam, Sadoletum, Polum, Corteſium, ac Seripandum, purpurei omnes Senatus aeterna in vrbe Roma columina; ſed quae talia cum in hiſtoria, tum in ſacris litteris ſcripta reliquerint, quae vt opima vina aetatem ferant, typis ſaepius tranſcribantur, leganturque à iudicio praeſtantibus viris. Errant enim, & cum ruſticorum vulgo puerili quadam ſententia hallucinantur, qui librorum ingenti mole operis bonitatem metiuntur. Non ſecus atq; in amicitiae leges peccantes, dum dona nō tam donantis animoquàm magnitudine praepoſterè aeſtimant. Vere enim Callimachum apud Athenaeum dicere ſolitum exiſtimo: Μέγα βιβλίον μέγα κακὸν Quae enim Petrus Bembus numeris ſolutaque oratione conſcripſit, pauca

illa quidem ſunt, ſed accuratione ſummâ colligata, ea ad veterum gloriam credo perueniſſe, Iacobi vero Sadoleti collegae ipſius libri diſerte conſcipti, nuper denuo ſimul euulgati, cum Philoſophiae eam partem potiſſimum, quae de Moribus eſt, illuſtrant, tum Pauli ad Romanos epiſtolam perdifficilem ſane, ſalebriſque de Gentium ad Euangelium vocatione impeditam; Pſalmos item nonnullos Regij vatis paraphraſi quadam explanant. Seripandus quoque ex Auguſtinianorum ſodalium familia Senatus eiuſdem decus, eandem ipſam Paulinam epiſtolam, quaeque ad Galatas data eſt; tractatis interim nodis ac quaeſtionibus fidei cõtrouerſis, quam diſerte venuſteque expoſuit? Gregorius Corteſius vero & ipſe Cardinalis, ad Hadrianum VI. Pont. Max. *B. Petrum Eccleſiae* Catholicae caput *Romae fuiſſe*, poſt Io. Fiſcherũ Roffenſem Epiſc. & Io. Cochlaeum cõtra ſaeculi huius ac tẽpeſtatis deprauatas opiniones diſertè oſtẽdit. Et Hadrianus Card. Tit. S. Chryſogoni, homo diſertus, quam ſelectis Latini ſermonis Formulis veluti è M. Tullij campis floribus mire inclaruit? & in Britannia ſedis Apoſtolicae internuncius (vt Polydorus Virgilius refert) infelici tãdem fato, conſcius, neſcio cuius, Romae coniurationis, extorris patria in Thracia periiſſe creditur. Reginaldus vero Polus, vt Regij ſanguinis, ſic & regia dicendi maieſtate (quod de Meſſalla Coruino M. Fabius, & de Iulio Caeſ. Scaligero filius praedicat:) praeditus, Apoſtolicae ſedis auctoritatem omni maior

tyrannide

tyrannide in Britannis diſerte vindicauit. Viuent vigebuntque eorum ſcripta, vt omnibus numeris abſoluta, dum litterae litterarumque ſtudioſi in pretio ſunt futuri. Tenebriones vero etſi varia temere euulgarint cadent citius, & intermorientur, quo plura, vt à loquacibus ſolet, ineptè falſoque dicta ſine delectu accumularint. Eraſmi enim Roterodami, bone Deus, quot quantaque volumina, hac ſaeculi felicitate, qui CICERONEM delibarit, quotus ęa quiſq; legere extra PROVERBIORVM opus exoptet? Quis non, ſi iudicio valeat, Epiſtolarum Pauli Manutij libellū, eiuſdemque in Tullianas ſcholia magnae illi Operum moli anteponat? Quis vero non Perpiniani noſtri graues Orationes, aut iucūdas M. Ant. Mureti Panegyricas Romae habitas praeferat? Quorum hic vnam illius *De Deo trino & vno* orationem ſuis omnibus praeſtare libens confitetur. Taceo interim, pauca illa quidem ſed docta Romuli Amaſaei, Andreae Naugerij, Iulij Pogiani, Chriſt. Longolij, ceterorūque eleganter ſcripta; & de ſacris rebus copioſius differentes Hieronymi Oſorij Luſitani Epiſcopi Commentarios: ac varijs de rebus Io. Geneſij Sepuluedae Cordubenſis diſſertationes. Omitto & diſertos illos Corrados Q. Marium & Sebaſtianum. Fremant igitur omnes licet, dicam quod ſentio, rem in pauca conferendo; bonitate ac praeſtantia, non mole doctorum hominum ſcripta exiſtimanda videri: qui eximijs atque elucētibus animo intenti, omnia in ſcriptis luci adornandis dili-

gentius intuentur, expendunt, ac perſcutantur. Meticuloſos adhaec aiunt Κικερομάστιγες eſſe ſolere Ciceronis aemulos: quod laudi potius quam vituperationi ſit dandum. Formidanda enim ſunt perpetua, cum iam liuor atque amor, peſſimi rerum iudices, deceſſerint, poſterorum de nobis iudicia. Quae qui negligunt, nae illi ridendos ſe atque exſibilandos propinant. Recte enim in Eroticis Naſo canit:

Paſcitur in viuis liuor; poſt fata quieſcit.

Et: *Scripta placent à morte ferè: qui laedere viuos*
Liuor, & inuiſo carpere dente ſolet.

Demoſthenem autem ac Theophraſtum à ſuauiloquentia ſic dictum trepidaſſe in dicendo Athenis refert Agellius lib. VIII. Noctium Attic. Quin & Oratorem noſtrum ingenti interdum ad dicendum metu acceſſiſſe ipſe in Cluentiana locuples teſtis: *Semper* inquit, *magno cum metu incipio dicere. Quotieſcumque dico, toties in iudicium videor venire.* Et Actione in Verrem prima: *Cum illius temporis in mentem venit, quo citato reo dicendum eſt, non ſolum commoueor animo, ſed toto corpore perhorreſco.* Quid? Milonianae Orationis principio quanta trepidatio? quanto vero iuſtius fas eſt trepidare, ſi quid poſterorum oculos ſubiturum perpetuòque duraturum in apertum proferas; quam ſi Orationes habeas? quarum verba, alata ab Homero dicta, cito praeteruolent?

Sed vrgent ijdem aduerſarij extemporalem eſſe dictionem Ciceronianis ademtam.

Egregiam vero laudem & ſpolia ampla reportant!

Quouſ-

Quouſque tandem patientia abutentur noſtra? quouſque illorum nos furor eludet? Quaſi vero non multo praeſtet cunctabundum in dicendo eſſe, quam quidquid in buccam venerit effundere: idemque dicti paenitentia paulo poſt retractare. Quid vero litteris ea mandare ac typis conſignare? Nonne aegrè ac nō ſine ingenti rubore, vel in ferrea fronte atque ore duro reuocentur? Neſcit enim vox ſemel emiſſa reuerti.

Sed hic rurſum mihi nodus veluti manum properanti ad exitū inijcit, his vt reſpōdeam, animíque ſenſū aperiam quaerentibus, familiariterne Latine, ac verba ex tempore fundere expediat? an cunctabundum, quod Ciceronianis iſti obijciunt. Equidem ſi alterutram in partem peccandum ſit, lentos in familiari ſermone, in ſcriptis vero diſertos malim; quam aridos contra in ſcribendo, & in familiari colloquio volubilitate ſine dilectu effuſos. Quo de genere commentatum aliquid eſſe memini hominem eruditum Nic. Beraldum, Gallum? & Hiſpanum παραδοξότερον Franciſcum Sanctium Brocenſem. Ariſtidem autem Rhetorem refert in Sophiſtarum vitis Philoſtratus, qui ab extemporanea dictione abhorruit, cum eius ludum audiendi gratia forte M. Antoninus Imp. eſſet ingreſſus; vtque verba faceret rogatum reſpondiſſe παῤῥησίᾳ quadam: οὐκ ἐσμὲν τῶν ἐμούντων: *Vomentium è numero* ſe eſſe negabat, quales qui quidquid in buccam incidiſſet extempore funderent. Veritus fortaſſis eſt reprehenſionem

Hannibalis, hominis militaris quidem, ſed Barbari: qui vt in ſecundo de Oratore TVLLIVS commemorat, cum Phormio Philoſophus *de re militari*, etſi priuatus, diſſereret, delirus ab eo ſenex eſt appellatus. Demoſthenem vero non niſi meditatũ, vt initio Olynthiacae dixit ἐσχαμμένον ad dicendum, nedum ſcribendum veniſſe: ac ne CICERONEM quidem noſtrum, qui in illius potiſſimum veſtigijs pedem poſuit, accepimus. Hũc etiam ſeruum, quod nunciaſſet comperendinatam eſſe cauſam, manu miſiſſe ferunt. Accidit nimirum extemporaneis iſtis garrulis, vt cum ad ſcribendum ſe conferunt, animum tam frigide ingeniumque intendant, vt ſermoni quotidiano nimium confiſi effundant verius quam ſcribant ſenſa mentis; ſintque elumbes ac ſine neruis. Non ſecus atque Poëtae quidam de plano atque altero in pede ſtãtes, vnguibus non admorſis verſus extempore fundunt ἡμεροβίους florum inſtar eodem die naſcentium, ac marceſcentium, animantiumque ad Hypanim fluuium. Similes adhaec, mihi quidem tales videãtur, vrinatoribus, ac gladiatoribus arti ſuae nimium confiſis. Quo fit vt hi ferro plerumque pereant; vndis illi ſuffocentur. Verum enimuero caue putes haec, quae diximus, vt minuta, negligenda videri, quòd eius accuratae in loquendo ac ſcribendo Imitationis Tullianae vſus perpaucorum ſemper hominum fuerit, eritque dum litterae vigebunt. Non enim ideo ſuperuacanea inutiliſue ducenda cura: vel

nihil

nihil rerum omnium bonarum magnopere fuerit capeſſendum. Quid enim omnium hac ſaeculi infelicitate, iudiciorumque deprauatione nunc in honore eſt, ac pretio? aut quid non deſpectum potius atque contemtum? Comparantur enim doctis hominibus, atque adeo harum rerum intelligentibus vigiliae noſtrae: lucubrationeſque dantur, non indoctae & inconditae plebi, ſed eruditis. Quandoquidem

Scinditur incertum ſtudia in contraria vulgus.

Doctorum vero hominum quanta ſit raritas nemo vnquam quaerendum ſibi putauit; quorum maximè excellentes vix ſingulos ſingulae aetates ferant: qui in ſcenam quidem prodire atque theatrum ingeniorum (nam de obſcuris ac latentibus nihil pronuncio) audeant. Maleuolos autem & alienae induſtriae reprehenſores, cum ignauia ipſi diffluant aut tabeſcant, plorare ac longum valere iubeo. Quare qui ſcripta foras dare ſtylo Ciceroniano cogitant, Horatij illud extremo primo Sermonum ſibi ſubijciant:

Scripturus non te vt miretur turba labores
Contentus paucis lectoribus.——

CAP.

CAP. III.

Hiſtoriam ſcribere CICERO, *Ciceronianique num poßint?*

CALVMNIA haec errorque grauis eſt eorum, qui odio occaecati de artibus praepoſtere iudicant, Negant ſcilicet CICERONEM, eiuſque aſſeclas Hiſtoriae ſcribendae aptos videri, propterea quòd dicendi character Oratoris atque Hiſtorici diuerſus ſit, Quaſi verò ſummũ atque excellens TVLLII ingenium ac verſatile, quod ad omnia, vti Caecina dicebat, armauit, non idem cum laude texere Hiſtoriam potuerit! Difficilior enim, contorta, & acris Oratio, quae Oratoris propria eſt, quàm tracta quaedam& fluens, quae Hiſtoricorum eſt: vt auloedus hic eſſe, quod Prouerbio iactatur, queat, qui citharoedus eſſe nequeat. Longe aliud aequalium CICERONIS de ipſo Romae iudicium fuit, qui eum & probè norant, nec ab eo, quod praeſtare nequiret, poſtulaſſent: quique vnus pro millibus, vt ille ait, eſſe queat, T. Pomponius Atticus Hiſtoriam, libro de Legibus primo, efflagitat. Verba apponam : *Poſtulatur*, inquit, *à te iam diu, vel flagitatur potius Hiſtoria. Hic enim putat te illam tractante effici poſſe, vt in hoc etiam genere Grae-*

ciae

aîte nihil cedamus. Atque vt audias quid ego ipſe ſentiam, non ſolum mihi videris eorum ſtudijs, qui litteris delectantur, ſed & patriae debere hoc munus; vt ea quae ſalua per te eſt, per te eadem ſit ornata. Abeſt enim Hiſtoria litteris noſtris, vt & ipſe intelligo, & ex te perſaepe audio. Potes autem tu profecto ſatisfacere in ea: quippe cum ſit opus, vt tibi quidem videri ſolet, vnum hoc oratorium maxime. Audin' vero ſatisfacere T. Attici iudicio CICERONEM poſſe, & vero quiſquam infitias iuerit? Dignum adhaec ſummo Oratore opus is iudicat, quicum ioca ſeria communicare, vt cum mortalium nemine libentius, conſueuiſſet; qui & ipſe Atticus, teſte C. Plinio, elogia illuſtrium ſui ſaeculi litteris conſignarit, cuique ſic familiariter reſcripſit CICERO: *Hortaris me vt Hiſtorias ſcribam.* Item: *Ardeo ſtudio Hiſtoriae, incredibiliter enim me commouet tua cohortatio.* Quam vero pronum illi fuerit ac facile, vel de multis Verrinae, narrationibus, plenae ſatis oſtendunt. HISTORIA enim nihil eſt aliud, quam narratio geſtae rei, ab aetatis noſtrae memoria remotae, arte contexta, mixtaque prudentiae: quam ignorare turpiſſimum ſit, ac plane puerile. Tali enim 2. de Orat. elogio ornatur: *Hiſtoria, teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriae magiſtra vitae, nuncia vetuſtatis.* Cuius etiam leges TVLLIVS ipſe conſcripſit: primum *nequid falſi dicere audeat* Deinde *nequid veri non audeat*; *Denique ne qua ſuſpicio gratiae ſit in ſcribendo, nequa ſimultatis.* Quas leges Graecos Latinoſque Hiſtoricos & Annales aſſidue legendo, CIC. notarat. Caeſare enim & Bibulo COSS. hoc

eſt,

eſt, poſt Romam conditam ɪↄcxcɪɪɪɪ. Hiſtoriae ſe totum tradidit, tenebatque rerum Romanarum, vt nemo tunc melius, memoriam, M. Varronem ſemper excipio, qui ſacra ritusque penitus imbiberat, monumentiſque literarum mandarat, doctius fortaſſe quam diſertius, praedicatque Orator noſter Academicarum Quaeſtionum initio, quas illi προσφωνεῖ: vt huic viciſſim M. Varro togatorum doctiſſimus ſuos *De lingua Latina* libros inſcripſit. Adhaec de Geographia, (quae varietate locorũ Hiſtoriae alterũ lumẽ, alterumq; Chronographia, quae temporum deſcriptio eſt,) ſcribere rogatus inſtituerat. Sic enim ad eundem T. Atticum ſcribit, lib. II. Epiſt. 4. *De Geographia dabo operam vt tibi ſatisfaciam: ſed nihil certi polliceor. Magnum opus eſt, ſed tamen, vt iubes, curabo, vt huius peregrinationis tibi opus exſtet.* Item epiſt. 6. Γεωγραφικὰ *quae conſtitueram magnum opus eſt; ita valde Eratoſthenes, quem mihi propoſueram, à Seraphione, & ab Hipparcho reprehenditur.* Plutarchus quoque idem de Hiſtoria ſcribenda in CICERONE confirmat, noluiſſe tamen Graecorum fabulas, conciones, laudationeſque funebres huc conferre, quorum neutrũ in Hiſtoria probaret: vt patet in CICERONIS *Bruto*, qui de Claris eſt Oratoribus, & libris de Legibus. Hiſtoriam enim Funebribus orationibus factam ait eſſe mendoſiorem, vt & T. Liuius lib. VIII. extremo teſtatum reliquit. Sed cur Hiſtoriam non abſoluit? impeditus nimirum Repub. adminiſtranda; ſatis vt otij Hiſtoriae ſcribendae non ſuppeteret: ac ne

Philo-

Philoſophiae quidem locos omnes, vt inchoarat optaratque maxime, Latinis illuſtrare litteris, quia cauſa grauior obſtitiſſet, pertractauit. Itaque Hiſtoriae ſcribendae de ſuo potiſſimũ Conſulatu (quo de & ipſe pauca velut Commentaria ſcripſerat, & quidem Graecè:) prouinciam reiecit in L. Luceium, vt ait lib. v. ad Famil. epiſt. 12. & Poſidonium Rhodi per epiſtolam rogarat, vt de ſuo Conſulatu, ornatius quam ipſe fecerat, ὑπόμνημα componeret; ſed deterritum ſe ſignificarat, vt leges lib. II. ad Attic. epiſt. 1. Hiſtoria enim, vt ait lib. de Legibus primo, neque occupata opera, neque impedito animo ſuſcipi, nec exiguo tempore abſolui poteſt. Vtrumq; opus eſt, & cura vacare, & negotio Idem de Poëtica Orator affirmat, Q. Fratri ita ſcribens: *Poëma animum vacuum ab omni cura deſiderat.*

Quod Naſo ſic expreſſiſſe videtur:

Carmina proueniunt animo deducta ſereno.

Et, *Carmina ſeceſſum ſcribentis & otia quaerunt.*

Hinc & Poëtae Silenum docentem inducebant, vt Satyrorum praeſidem, in ſyluas ſe abdentem, hiſpida & cana barba, vinculiſque aſtrictum, vt in Bucolicis Maro, doctoris nimirum perſonam repraeſentando. Nunc de alijs idem artibus breui dicendum videatur.

CAP.

CAP. IIII.

An reliquae Diſciplinae tractari CICERONIS *verbis queant?*

QVAERI hîc video, quod dubium amplius eſſe nequit; datis ijs quae diximus, potuiſſe CICERONEM, & Ciceronianos hodieque poſſe Hiſtoriam conſcribere, atque adeo Geographica: etſi in his ob aſperitatem peregrinorum vocabulorum (de qua Melae eſt ac Plinij iuſta expoſtulatio) tractari aegre res poſſit: ſed cum id accidit, verum illud Manilij eſt:

Ornari res ipſa negat, contenta doceri.

Sunt enim vt virtutes ipſae aptae inuicem; quod ſupra docuimus, ſic & artes nexae inter ſe ac vinctae:——*alterius ſic*

Altera poſcit opem res, & coniurat amicè.

Si quis tamen forte, vt fieri amat, in repugnando refractarius exiſtat; Inductione ſingula oſtendamus, ducto à Philologia, ijsque artibus (quae in ſermone verſantes, prima ſunt laudatarum artium fundamenta) initio. Illud enim manifeſtum eſt, noſtra parentumque memoria duos inprimis M. TVLLII ſtudioſos diſertoſque homines, poſt M. Varronem toga-

ogatorũ doctiſſimũ libris *De lingua Latina* ad CICERONEM editis, venuſte quoque ac copioſe de ſermonis Latini praeſtantia verborumque copia ediidiſſe; Bononiae Q. Mariũ Corradum libros XIII. cuius & Epiſtolae ad eruditos ſaeculi ſui viros manibus circunferuntur. Vbertum adhaec Folietam Ligurem, & Hiſtoriae Genuenſium ſcriptorem, de linguae Lat. dignitate ea litteris mandaſſe, quae ad antiquorum gloriam aſpirent: vt taceam interim M. Ant. Sabellici hac de re Orationem, & Gabr. Barrij, Calabri, tres de Latina lingua libros: qui & de aeternae Vrbis atque adeo Italiae laudibus, & Patriae antiquitate commentando pertractauit. Et vero vnde potius exempla tutiuſque Grammatici quam ex eloquentiae fonte hauriant? Poëtica autem, &, de qua dictum eſt poſtremo, Hiſtoria, ad hanc referuntur. TVLLIVM autem minime malum Poetam fuiſſe itidem à nobis hîc, & in Tullianis Quaeſtionibus copioſe diſputatum eſt. Arati enim Phaenomena ſi integra ad nos perueniſſent, nec Caeſaris Germanici, nec Auieni Feſti verſibus admodum indigeremus. Nam quos de ſuo Conſulatu verſus luſit, minime perennarunt. Rhetorica ſic propria M. TVLLII ſunt, vt ab hoc vberrimo fonte ſingula M. Quinctilianus, & Cornificius hauſerint. Ceteri praeterea recentes Rhetores, qui ſcholis praeceptiones dictarunt, Adr. Barlandus, G. Caſſander, & Corn. Valerius, praeceptor quondam meus, à CICERONE ſunt mutuati. Ariſtotelis

etiam bene-dicēdi libros Cyprianus Soarez, noſtrae Societatis Rhetor, adiunxit: quos Philoſophi libros III. poſt Pet. Victorium, qui Commentario illuſtrat, in Italia Sigonius & Muretus Latine conuerterunt: Portus etiam & Ant. Riccobonus breuius quàm Victorius & accuratius explanarunt.

Dialectica vero quae altera huic ex parte, reſpondet, & conciſius diſſerit, à CICERONE in Topicis tractatur, etſi Iuris ea exemplis in C. Trebatij gratiam illuſtrarit. Vnde & Boëthius Sēuerinus diligēs Gothicis illis temporibus Philoſophus, qui & Topica illa cōmentario explicaſſet, ſua de Definiendi ac Diuidendi ratione hauſit: parentū item memoria Rodolphus Agricola. Imo Hubertus Suſſanneus, Gallus è M. TVLLIO Definitiones ſelectas dedit: vt integram diſſerendi artem è CICERONIS fontibus Ioach. Perionius, elegans quidem dictione, ſed nō ſatis diligens ac fidus Ariſtotelis interpres: cui & Caelius Curio ſuccenturiatus accedit. Si vero de Graecis bonis Latina facere CICERONIS verbis libeat, habes *Timaeum* è Platone conuerſum, ceteraque in Lexico illo Ciceroniano ab H. Steph. collecta reperias. Nunc ad grauiores diſciplinas gradum faciamus.

Ius Ciuile CICERO ſaepe laudat, & Iuris fontes XII. Tabularum Leges (quas lib. II. & III. de Legibus imitando expreſſit,) vt carmen neceſſarium ediſci ſolitas; & fremerent omnes licet, omnium Philoſophorum bibliothe-

bliothecas ſuperaſſe affirmat. Idemque confidentius forte quam verius, ſe triduo Iureconſultum fieri poſſe iactat: & ad artem via ac ratione redigi poſſe vaſtum illud immenſumque pelagus arbitratur. Tentarunt id noſtrae tempeſtatis politiores Iuriſperiti, ſed inchoarunt potius quam abſoluerunt. Pandectae adhaec adeo Latinè loquuntur, de Iure reſpondentibus diſertis Prudentibus, Papiniano, Paulo, Vlpiano, ceteriſque, vt ne CICERO quidem, etſi ab inferis exiſteret, neruoſque ingenij intenderet, diſertius Leges conſcribere poſſet.

Artem Medicam de Latinis Corn. Celſus & Caelius conſcripſere: etſi, vt opinor, Celſus Rhetor magis quam Medicus fuit: quod de Nicandro (cuius ſunt Theriaca & Alexipharmaca) & de Arato Solenſi, qui Aſtrologica reliquit, CICERO & Fabius praedicant, ea verſibus, quae minus intelligerent, prodidiſſe. Sacras vero de Fidei rebus Controuerſias à CICERONIANO quoque, ne nimis modo luxuriet oratio, tractari & poſſe & ſolere, ſatis de multis verum eſſe oſtendant Melchioris Cani, Epiſcopi, Loci Theologici, diſerti & acres, atque oppoſiti Melanchthonis aliorumque Haereticorum ineptis falſiſque cōmentis. Pau. Corteſiū item quondam editū Baſileae me, videre memini, qui, vt dixi, Sententiarum (quem ſcholae nominant) Magiſtrum Pet. Lombardum, nodis Quaeſtionibuſque refertum, Latine tamen diſertéque

repraeſentarit. Quae cum ita ſint, efficitur neceſſario, maiores etiam diſciplinas a Ciceronianis commode pertractari. Deſinant itaque hunc ignauiae ſuae colorem praetexere aduerſarij, qui CICERONEM temere damnant, & generoſos ſpiritus ab eius imitatione, quà inuidia deterrent; quà ignauia refugiunt.

EPILO-

EPILOGVS.

De cauſſis corruptae Eloquentiae.

CAVSSAM denique quaerimus cur & diſerti, & Eloquentia excellentes pauci hac tempeſtate exiſtant: cum ijs abundent homines librorum praeſidijs, reperto tandem diuino formis excudendi artificio, quibus praeſidijs veteres haud dubie caruerunt. Vtilis ſane, vt nunc quidem tempora ſunt, inueſtigatio rei abditae: quomodo ferè & M. Fabium, ſeu Corn. Tacitum olim quaeſijſſe memini, (Illi enim potius Critici quam Tacito Dialogum attribuũt, vt ſaepius monui,) De ſui ſaeculi Oratoribus, antiquis ne & quare, concedant. M. vero Tullius antea in Brutode claris Oratoribus diſſeruerat diſertè, vt omnia: at ille ab aetatis ſuae Oratoribus, quod res eſt, facile victos ſuperiores omnes demonſtrauit. Equidem multas colligi cauſſas poſſe deficientis Eloquentiae animaduerti in huius ſaeculi hominibus: Praematuritatem nimirum, quà aetatis, quà ſtudiorum: Ignauiam ſeu laboris fugam: adhaec Faſtum ingeniorum, atque delicias; quorum illo culmen ſe arcemque tenere exiſtimant, dũ vix ad montis radicem peruenerint. Delicijs vero eneruata praeſtantiſſima quaeque ingenia in ipſa, quod aiunt, herba occidunt, & vix ad maturitatem perueniunt. Accipe & plures amiſſae culpas Eloquentiae: Prauam puerorum in litteris inſtitutionem: ineptorum lectionem librorum: lucri immaturam cupiditatem: elegantis contemptum dictionis: ver-

naculae nimium linguae ſtudium in Gallis, Italis, atque Hiſpanis: nulla denique ac perexigua diſertis hominibus, qualia Medicis ac Iurecõſultis ſolent, praemia eſſe propoſita. Quemadmodum vero, vt hinc ordiar, praecoqua poma cito arboribus decidere ac putiſcere obſeruas; ſic praematura ingenia cito heu pereunt, & quaſi in flore marceſcunt. Vel, ſi vitales ſint pueri, & ad grandiorem aetatem, quod accidit rarius, perueniant, quaſi defeſſa ſit natura atque effoeta, mox degenerant; vt ex acutis hebetes, è promptis tardiores reddantur. Teſtem laudemus M. Quinctilianum, Cenſorem ſtudiorum grauiſſimum: Praecox, *inquit*, ingeniorum illud genus, hand temere ad frugem peruenit. Et, ne longius abeam, en vnum de multis exemplum. Hermogenem Tarſenſem Rhetorem (cuius ſunt in manibus de Rhetoricis atque Ideis dicendi acute conſcripti libri) Philoſtratus & Suidas referunt quindecim annos natum eò gloriae proceſſiſſe, vt M. Aurelius Imp. eius audiendi cupiditate teneretur. Caeſar igitur praeſens admirabatur adoleſcentis Rhetoris facundiam, cum extempore diceret: quo nomine ſplendidis eum donis donauit. Hic vero corroborata iam aetate dicendi illam facultatem, ſine vlla manifeſta cauſa, aut vi morbi, penitus amiſit. Nimia vero ſtudiorum, vrgentibus parentibus, feſtinatione fit profecto, vt raro admodum perfectus quem quaerimus Orator exſiſtat, ac vix ſingulos ſingulae aetates ferant: nimirum Poëticae, Antiquitatis, Graecarum litterarum, Philoſophiae, Mathematicarumque artium peritos aut ſatis imbutos, quantum futuro Oratori ſufficere Fabius lib. XII. exiſtimauit. Quotus enim quiſque eſt hodie, qui nauiter has ipſas artes omni laude & praedicatione dignas, vitaeque neceſſarias, vel à limine ſalutandas putet? His enim omnibus diſciplinis perdiſcendis non eſt quod

quod ignaui adoleſcentes eruditiſſimo hoc litterarum ſaeculo doctores ſibi & libros deeſſe querantur. Plenae ſunt Bibliothecae, plenum forum. Otio iuuentus abundat, abundant & ſcholae magiſtris Eloquentiae, Poëticae, Antiquitatis: Philoſophiae denique doctores minime deſiderantur. Rectè itaque, vt Comicus in Adelphis, ſpem profectus in ſtudijs facit, ſi conſtanter, quod in manibus eſt, vrgeatur. Sic enim ait:

Nunquam ita quiſquam benè ſubducta
ratione ad vitam fuit,
Quin res, aetas, vſus ſemper aliquid ap-
portet noui,
Aliquid moneat; vt illa, quae te ſcire
credas, neſcias:
Et quae tibi putaris prima, in experiun-
do repudies.

Vindicanda itaque & excitanda denuò pro viribus Eloquentia eſt, praeſtantiſſimorum hominum auctoritate atque conſilio: eorum vero qui contra ſentiunt, minuenda nobis hactenus opinio fuit; idque maiorum exemplo. Auguſti enim Caeſaris aetate, Maecenatis accedēte beneficentia, tanta doctorum hominum ſeges enata eſt, tanta Oratorum copia exſtitit, tanta Poëtarum atque Hiſtoricorum vis, artificumque fuit, vt ad eorum praeſtantiam ne aſpirare quidem nunc poſſimus; aequare vero multo minus: propterea quod mirari citius quàm ſingulorum imitari virtutes procliuius ſit.

APPROBATIO.

FRANCISCVS FLERONTINVS *Praepoſitus Prouincialis Societatis* IESV *in Belgio, poteſtate ad id mihi facta ab admodum R.P.N. Praepoſito Generali* CLAVDIO AQVAVIVA, *facultatem concedo, vt* CICERO à calumnijs vindicatus *à* P. Andrea Schotto, *Societ. noſtrae & eiuſdem Societ. eruditorum hominum iudicio examinatus, & approbatus, typis excudatur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas dedimus* Tornaci, *die* 28. *Aprilis, anno* M.DC.X.

FRANCISCVS FLERONTINVS.

MEMORABILIVM INDEX.

Numerus paginam deſignat. a. b. c. principium, medium, finemque paginae.

A

Academia CICERONIS *villa* pag. 28. *b. c. à* Tullio *Laurea liberto laudata* 29. *a.*
AEgyptij an laudabiles. 46. *c. Philoſophi eos diſcendi gratia adierunt* 47. *a Eorum idololatria* 47. *b.*
AEſchines in Demoſthenem 8.
Alcaeus Poëta de pueri naeuo 56. *c.*
Alexander Magnus laudis nimis cupidus 15. *c.* 18. *c.* 19. *a.*
Alliteratio Iouiano Pontano quid 77. *a.*
An familiariter Latinè loqui ſit vtile? 105. *a.*
Andreas Naugerius Venetus, Poëta & Orator 103. *b.*
Angelus Politianus malè de Imitatione ſenſit 9. *c.*
Antiochus Aſcalonita Academicus, vel potius Stoicus 72. *b.*
Antiquitatis exempla in M. Tullio 63.
M. *Antonio* 111. *Viro addicti M. & Q. Tullij iuniores.* 95. *c.* 96. *a. de Antonia gente decretum* 96. *b.*
Ariſtidis Oratoris ad M. Antoninum Imp. dictum 105. *c.*
Aratus de ſuis rebus ſcripſit 16. *a.*
Ariſtotelis aureum dicendi flumen 75. *a. à Platone diſſentit ibid. in refellendo inconſtans* 40. *c.* 41. *a. gloriae cupidus* 19. *c.*

INDEX:

Artes Oratori neceſſariae 118.*c.*

Artes & Virtutes inter ſe nexae 74.*b.*112.*b.*

Artium Inductione enumeratio 113.144.

Aſinius Pollio Cic.*hoſtis* 8.*b.*9.*b.*

T.*Attici otium* 13.*b.*

S.*Auguſtinus de* Cicerone 68.*b.*

Auguſti Caeſ. aureum dicendi ſaeculum 118.

B

Barbaries Philoſophum non decet 73.*c.*

Bartholomaeus Riccius de Imitatione libris tribus 10.*b.*

de Bellerophonte Homeri verſus, Cic. *interprete.* 51.*a.* 81.*b.*

Bonas hodie contemni litteras 100.*c.*107.*a.*

Bruti quale de Cic. *iudicium* 8.*b.*13.*a.*

C

Cæcilius Calantianus de Oratoris vtriuſque comparatione 83. *a.*

A. *Caecinna dicebat Tullij ingenium ad omnia aptum.* 108. *b.*

C. *Caeſar de ſuis bellis ipſe ſcribere maluit* 16. *a.* *nunc laudatus nunc vituperatus à* Cic. 38. 39.

L. *Caeſar iocis delectatus* 49. *a.*

Q. *Calenus in* Ciceronem *apud Dionem declamitat* 8.*c. quid de ſtylo eius cenſeat,* *ibid.*

Cardinales *Ciceroniani* 101.192.

1.*Gregorius Corteſius* 102. *b.*

2.*Hadrianus* Card. *eiuſque caſus* 102.*c.*

3.*Iac. Sadoletus eiuſque ſcripta* 102. *b.*

4.*Pet. Bembus* *ibid.*

5.*Reginaldus Polus, Britannus* 102.*c.*

M. *Cato Patrem patriae* Cic. *nominat &* Q. *Catulus* 23.*c.*24.*a.*

Q. Ca-

Q. Catulus de Officiorum libello 69.*a.* *de ſuis rebus conſcripſit* 16.*a.*
M. Cato Stoicus 72.*c.* *Philoſophiam in forum deduxit* 73.*a.*
Cedant arma togae &c. 12.*a.* 37.*b.* *quomodo Plutarchus Graece extulerit* 12.*c.*
Ceſtius Pius, natione Graecus, CIC. *diſertior videri voluit* 8.*c.* 9.*a.* CIC. *Filio poenas dedit* 9.*a.*
Chriſtophorus Longolius Belga 103.*b.*

M. CICERO.

AEmulis nunquam caruit. 7.*c.* 87.*b.* *qui aequales ab eius ſtylo diſſenſerint vt Brutus & Caluus* 7.*c.* 8.*a.b.* *& Aſinius Pollio & Largus Ciceroni infeſti* 8.*b.* 9.*b.* *quatuor genera hoſtium Imitationis* CIC. 8.9.10. *gloriae nimis cupidus* 11.*&* 14.*b. deinceps. Locu pluribus oſtenſum* 13.14.16.26.
Conſulatum iactat 11.*b.* 12.*b.* *excuſata inanis gloriae nota* 13.14.15.21. *rogat L. Luceium vt ſuum exaggeret Conſulatum* 14.15. *Plura ſcripſit quam Plato aut Ariſtoteles* 99.*b.* *& quam Demoſthenes vel Iſocrates* 100. *iactat* CIC. *labores potius ſuos, quam ingenij dotes* 40. *exoptat à M. Catone laudari* 16.*b.* *ſcripſit de gloria* 16.*c.* *Graece & verſibus de ſuo Conſulatu ſcripſit* 21.22.26.111. *arrogantiae ipſius quatuor ſigna* 22.*b.* *de eius Conſulatu aequalium iudicia* 23. *Magiſtratus ipſius* 26. *c. fundi ipſius* 27.28. *an diues & auarus* 27. 30. *haereditas ipſius* 30.*b.* *Ciliciam adminiſtrat ſumma abſtinentia* 31.32.
Ciceronis *morum facilitas* 32.*b.* *Quàm ſtudioſus* 34.*a.* *in bibliothecam ſe quando & cur abdiiderit* 33.*a.* *declamitauit, ſaepe etiam Graece* 35.*b.* *inconſtantiae eius argumenta* 37.*b.* *vt in bello ciuili Pompeiano*

Pompeiano 38.*b*.*c*. *Fuit Academicus* 41.*b*.72.75.*a*. *Ioca eius varia* 54.55. *Popilliam duxit vxorem* 55. *eam repudiauit*. *ibid*. *Philoſophis eſt vſus* 71.72. *Athenas quando venit* 27.*b*. *Latinis Philoſophiam litteris illuſtrauit* 73.*b*. *Obſoleta in illo* 57.58 59.
Reſultationes 79.*b*.
Timidus initio ad dicendum 104.*b*.*c*.

CICERO *ſummo honore ab exſilio reductus* 24.25. *aemuli eius in imitando* 87.*b*.

Ciceronis *filius degener* 88.
Syriae Praetor 88.96.
Laudatus ab alijs 93.*c*.
Togam ſumpſit virilem, poſita praetexta 94.*b*.95. *quo ritu id fieret* ibidem.
Cratippo operam dedit Athenis 95.*c* *ſeductus à Gorgia Rhetore ibid*. *Ebrioſus fit* 95.96.97.
Conſul cum Octauio fuit 96.*b*.

Ciceroniani *an aridi* 99.100. *cur ſcribant vt pauciora, ſic limatiora* 104. *an timidi ſint* 104.*a*. *an extemporanei* 105. *a*. *an Hiſtoriae ſcribendae apti* 108. *an reliquis pertractandis diſciplinis accommodi* 112.113.

Cincia & Titia Leges, de donis ac muneribus in patrocinijs 31.*a*.*b*.

Comitiorum inconſtantia 40.*b*.

Conſolatio CIC. *ſeu de luctu minuendo an eius* 36.*b*.

Conſtantia in ſtudijs laudanda 36.*b*.119.*b*.

de Conſulatu Ciceronis Cicero ſcripſit 21.22.26.111.

Contumeliam facere, *dictum à M. Antonio, cur* CIC. *rectè reprehendat* 60.*b*.*c*.
dictum idem a Plauto & Terentio ibid.

P. *Cornelius Dolabella, qui & Lentulus*, CIC. *gener*. 93.*a*.

Corn.

Corn.Taciti, an M. Fabiȷ ſit Dialogus de Oratoribus, Vide Dialogus.
Corradi duo, Seb.& Q. Marius, diſerti 103.*c.*
Corrupta multa in Tullio a quibus 64.65.
Corteſius Paulus & Gregorius Card. 9.*c.*115.*c.*102.*c.*
Craſſus de Ciceronis *Conſulatu* 23.*b.*
quem idem diuitem nominare ſit ſolitus 27.28.
Cratippus Peripateticus. 72.*b.*
Cuius & cuium 63.*b.*
Cynici notati 44.*b.*

D

Declamitare, *vox tunc noua* 33.*b.*
Degenerantis Eloquentiae cauſſae 117.118.
Demoſthenes cum Cic.*comparatus a Plut.* 12.*b.c.*84.
85.86.*quid* Cicero *de illo.*86.*b. Quibus vterque rebus ſimiles ſunt, & quibus diſſimiles* 84.85.
Demoſthenes Platonem, non Ariſtotelem audiuit 100.*a.*
Meditatus dicebat 106.*c. nimis tetricus, & à iocis alienus* 52.*b.*55.*c.*86.*b. Atticus fuit, vt* Cicero
Aſianus, 87.*octies ſibi Thucydidem tranſcripſit* 87.*a.*
B. Hieronymi de vtroque Oratore Elogium 87.*c.*
De ſe dicere verecundum eſt 15.*b.*
Dicax an Cicero? 43.44.*eius exempla* 44.*b.*
Demoſthenes non item dicax 52.55.
in Dicendo timidi Demoſthenes, Theophraſtus & Cicero 104.*b.*
Dicteria quae 52.*c.*
Dicterijs nimis deditus Cicero 43.*b.*
Dictionum inuerſio 81.*c.*
Dialectica à Cic. *tractata* 114.*b.c.*
Dialogus de Oratoribus M. Fabij potius quam Taciti cur videatur 8.*b.*61.*c.*117.*b.*
Dialogorum mos qualis 41.*b.*

Dialogorum

Dij an viſibiles 41.c.
Diodotus Stoicus 71 .b.c. *caecus fuit & Geometer ibid.*
Dionyſius Longinus vtrumque Oratorem comparat. 83.84. *vt & Caecilius Calantianus* 83.a.
Dionyſius M. Tulli filij praeceptor 94. a. *an idem cum Dionyſio Halicarnaſſeo* 94. b. *huius apud Senecam Rhetorem filius.* 94.b.
Diuinatio qualis. 41.42.
Diuinationum libri Ciceronis, *& De natura deorum* 69.c.71.a.
Docendi alios munus honorificum Ciceroni *viſum* 34.b.35.c.36.a.
Docti homines fere in vxoribus infelices 96.c.

E

Echo, vocis imago *à quibus dicta* 77.b.
Echoicus vel Echoinus verſus 80.b.
Q. Ennij Annales 55.b.
de Epicuro Cicero *quid ſenſerit* 45.b.
Eraſmus hoſtis Imitationis 8.a.9. *eius varia ſcripta & Adagiorum opus* 103. a. b. *eius* Ciceronianum *qui refellant* 10.a.
Ethica optime tractauit CIC. 70.a.
idque exemplo Socratis ibid.
Exilium quid 42.a.
Exilium CIC. *ſedecim menſium* 24.b.
Extemporanea locutio qualis 106.b.

F

M. Fabij an Corn. Taciti ſit Dialogus de Oratoribus. vide Dialogus.
Facetum quid 52.a.
Fauonius Eulogius Carthagin. nunc repertus 67.c.

Fides

Fides vnde dicta 36.b.
Formianum prædium Cic. 28.b.
Franc. Sanctius Brocenſis 105.b.

G

L. Gellius quid de Cic. Conſulatu ſenſerit 24.a.
Gloria an contemnenda 42.b.c.
Gloriae nimis cupidus Cic. 11. & deinceps
De Gloria qui ſcripſerint 20.b.
Gorgias Leontinus numeroſa delectatus oratione 46.
Gorgias alter, Cic. filium corrupit 95.c.
Graeca lingua an verborum inops 37.c.
Graeci cur etiamnum hodie Tullio infeſti 75.b.c.
Graeci qui, & cur ſeipſos in libris nominarint 19.c.20.a.
Gulielmus Modicius Virgilium à calumnijs vindicat 7.b.

H

Hadrianus Imp. de vita ſua ſcripſit 16.a.
Hannibal Phormionem Philoſ. cur reprehenderit 106.a.
Hermogenes quid de Parechemate 82.a.
Herodotus Hiſtoricus 45.c.46.b.
Hieronymus Oſorius, Luſitanus Epiſc. perdiſertus 103.c.
Hircius & Panſa Cic. auditores 34.b.
HISTORIA quid 109. b. digna eſt Oratore 109.a.
eius leges à Cic. latae 15.b. 109. Quando ſcribenda 33.b. funebribus orationibus facta mendoſior 111.
Hiſtoriam ſcripturũ ſe Cic. promiſit 108.b.c. dedidit ſe ipſi 110. a. meditatus & de Geographia 110.b.
in Hiſtoria tria potiſſimum ſpectanda 22.a.
Hiſtorici à Tullio perſtringuntur 45.b.
HOMERVS magni habitus ab Alexandro M. 19.a.b.

ei

ei frequens Παρήχημα 81.82.
Honos quis verus. 17.*b. omnes eo ducuntur* 17.*a.*
Hortenſius CIC. *liber intercidit* 68.*b.*
Q. *Hortenſius ſphingem domi habebat* 21.*c.*54.*b.*

I

Imago, *quaſi imitago,* 77.*b.*
*Infelix vterque Tullius in coniuge & liberis.*88.*b.*98.*b.*
Interpretes librorum CIC. 67.*c.*
Ioach. Camerarius de Imitatione 10.*b.*
Io. Franc. Picus de Imitatione 9.*c.*
Io. Geneſius Sepulueda, Cordubenſis 103.*c.*
Ioca Ciceronis, 47.48.54.55. *tribus libris collegit Tiro libertus* 47.48. *à Turnebo explicata* 48.*a.*
Ioca CIC. *in L. Flaccum* 49.50. *in* Q. *Hortenſium de ſphinge* 54.*b. in Sacerdotem Praetorem* 54.*a. in C. Verrem. ibid. in Sex. Clodium* 54.*b. in Vatinium ibid. in Ouinium* 54.*c. in M. Lepidum* 55.*c. in Sex. Annalem* 55.*b. in P. Cottam* 55.*a. in coquum quendam* 54.*c.*
Iocus iram interdum frangit, vt Pyrrhi Regis 53.*b.c.*
Iulij Caeſaris Scaligeri Oratio in Eraſmi Ciceronianum 10.*a.*
de Iure *interrogari, dictum ambiguè* 55.*a.*
de Iure quid CIC. *ſentiat* 115.*b.*
Iureconſultorum in Pandectis eloquentia 115.*a.*

L

Laberij Mimi de CIC. *dictum* 38.*b.*
Lactantius quid de Philoſophia CIC. 68.*a.*
Chriſtianorum CICERO *eſt* ibib.
Laudari à laudato viro, laudabile 16.*b.*
Laudari qui olim expetierint 51.*c.*

Laude omnes natura ducuntur 17.*a.b.*19.*b.*
Laudis ſtudioſi Varro,& Trebonius 15.*b.*
Laureae Tullij CIC. *liberti carmen de Academia.* 29.*a.*
Leges XII. *Tabularum* 114.115.
de M. Lepido CIC. *quid* 39.*c.*
Liberi a parentibus degenerantes 88.*b. vt Ariſtidis, Thucydidis, Demoſthenis, Hippocratis,* Ciceronis, *& Auguſti* 79.*a.b.*
Licinius Largus de CIC. 8.*b.*
Lingua Latina an inops 37.*b.*
Lipſij de CIC. *imitatione ſententia* 8.*a.*
L. Luceius Hiſtoriã ſui temporis meditatus 14.19.111.*a.*
T. Lucretius Epicureus 74.*c. in* ἐσπαρήχησες 78.*b.*
L. Luculli in villis magnificentia

M

M. Manlius Capitolinus 96.*c.*
C. Marius varicoſus 32.*c.*
Martialis Poëta nimis dicax 51.*b.*
Meſſalla Coruinus CIC. *comparatus* 8.*c.*9.*b.*
Militia an præferenda togæ, ſeu Iuriſprudentia 37.*b.*81.
Militares viri laudis ſtudioſi 17.*c.*
G. Modicius à calumnijs Maronem liberat 7.*b.*
Muſcas vulneribus libentius inſidere 56.*b.*

N

Cn. Naeuij ſepulcro inſcriptum 78.*a.*
Neui quidam in CIC. 56.57.62. *vt & in Terentio* 57.*a.*
Nicander & Aratus Poëtae 74.*c.*

O

Octauius de CIC. 24.*b.*
Officia CIC. *ediſcenda Plinius cenſuit* 69.*a.*
O fortunatam natam &c. 21.*a.*76.*b.*79.*c. cur dicta ſit* nata. 80.*c.*

Opifices gloriæ plerumque cupidi 17.c.
Orator dicteriis modum ſtatuat 53.b.
de Oratore ſuo quid Cic. *ſentiat Leptae perſcribit* 26.a.
Oratori ſeni quid agendum 33.b.
Orationes Cic. *Cōſulares* 25.c. *& pro M. Decula* 63.a.
pro Vareno ibid.
Otio eſt opus ad Hiſtoriam ſcribendā, & Poëſim 111.b.c.

P

Panaetius Philoſophus 44.c.
Papirius Paetus, Eutrapelus 48.49.
Παρήχησις ϗ Παρήχημα *ſchema duplex eſt Euſtathio* 76.c. 81.c.
Parentum feſtinatio in ſtudiis liberorum 118.c.
Patres qui ad gentiliū libros legendos hortentur 68.a.b.
Paulus Corteſius contra Rolitianum de Imitatione 9.c.
Pauli Mauutii diſertae Epiſtolae 103.b.
Peccata Stoicis aequalia 41.c.
Peregrinatio laudanda 38.b.
Peripatetici Philoſophi 38.a.
Perorationibus Cic. *vicit aequales, etiam Demoſthenem* 86.b.c.
Petrus Bembus. Card. contra Picum de Imitatione Cic. 9.ce
Phaedrus Epicureus, & Zeno 71.72.
Phidias faciem ſuam clypeo inſculpſit 17.c.
Philippicae vtriuſque Oratoris 85.86. Ciceronis *quales* 63.
de Philoſophia Cic. 67.69.71.73.111.a.
Philoſophia triplex 69.b.
Philoſophi qui diſerti, Plato & Ariſtoteles 74.75.
Philoſophi à Cic. *notati* 44.c.
Philoſophi quibus domi vſus Cic. 71.72. *gloriae mancipia dicuntur* 18.

Phyſica

Physica Tullius *etiam tractauit* 69.70.71.
Pijſſimum *an probum vocabulum* 61.*a*.
M. *Piſo Peripateticus* 72.*c*.
Platonis loca vitio carentia 65.*b*.
M. *Plautus &* Cic. *iocoſi* 48.*c*. *ſed Plautus ab Horatio reprehenſus* 48.51 *eius epitaphium* 78.*a*.
eius Reſultationem 79.*a*.
C. *Plinius Iunior à Corn. Tacito prædicari vult* 15.*c*.
Plutarchus de ſtylo Cic. 83.*b*. *de ſtudio gloriae in* Cic. 11.12. *in reprehendendo modeſtus* *ibid*.
Poëtica otium deſiderat 111.*c*.
Poetae laudis cupidi 17.*c*.
Poetae & Philoſophi qui 74.*c*.
de Poetis Cic. *iudicium* 37.*c*. *eorum fabulae* 37.38.
Cn. Pompeius gloriae ſtudioſus 15.*c*. *de* Cic. *Conſulatu iudicat* 23.*b*.
Pomponia T. Attici ſoror, Q. Tullij vxor, moroſa 98.*a*.*c*.
Popilliam vxorem cur Cic. *duxerit* 91.92. *cur & hanc repudiarit* 93.
Popillius ingratus cliẽs Ciceronem *obtruncat* 92.*b*.
Popillia & publilia 92.*c*.
Poplicola & Publicula 92.*c*.
Poſidonius Rhodi philoſophus deterritus a conſcribendo Conſulatu Cic. 21.*b*.26.*b*.111.*b*. *Stoicus fuit* 71.72.
in Poteſtatem eſſe bis in Maniliana 59.*c*.60. *Graeca ac Latina ſimilia* 60.*a*.*b*.
praecocia ingenia 118.*c*.
Prouerbia apud Euſtathium 82.*b*.
pueri etiam laude ducuntur 17.*b*.
Pyrrhi iracundiam iocus fregit 53.*c*.

Q.

Qui ab alijs res ſuas conſcribi voluerunt 16.*c*. *vel ipſi conſcripſerint* 16.*a*.

M. *Quinctiliani præclarum de* Cic. *Imitatione elogium* 9.b. *tribus fere Demoſtheni illum anteponit: ſalibus, commiſeratione, & Epiſtolis* 86.b.c. *de nimio gloriae ſtudio in* Cic. 11.b.
ſua fere ex Cic. *hauſit omnia* 14.b.
Quos Cic. *libros Veteres explanarint* 67.c.

R

Recitandi ſua coram doctis conſuetudo 34.c.
Reſultatio in Poetis frequens, 76.b. *vt in Virgilio* 77.a. 78.b.c. 80.b. *in* T. *Lucretio* 78.b. *in Tibullo* 76.c. *in Propertio* 78.c. *in Terentio* 79.a.
Rhetoricae Dialectica ἀντίστροφος 74.a.
Ridiculorum materia quæ 52.53.
de Ridiculis Cic. *diſputatum* 50.51.52. *vel in verbis vel in rebus* 52.c. *ſcripſit de ijs Domitius Marſus* 52.b.
Romulus Vrbis conditor 44.c.
Romulus Amaſaeus eloquens 103.b.

S

Sagum an Togae anteponere oporteat 61.a.
Sales qui 51.b.c.
Salluſtius Demoſthenis & Thucydidis aemulus 87.a.
Sapientiæ iungenda Eloquentia eſt 74.b.
Satin' ſalua res? 54.c.
M. *Scaurus de rebus à ſe geſtis* 16.a.
P. *Scipio laudis cupidus* 15.c.
Q. Ennium ſepulcro ſuo boneſtauit 16.a.
de Scriptis ſuis Cic. *praedicat* 25.c.
Scriptionis huius occaſio 7.a.
Scripturus edat polita 107.c.
Senio vires langueſcunt 63.c.
Senis Cic. *oratio caneſcere viſa* 63.b.
Silenus cur à Poetis inductus 111.c.
Similiter cadentia & deſinentia 55.c.

Singularia

Singularia Cic. *collecta & phraſes* 57.58.59.
Socratis laus 45.a. *eius de moribus Philoſophia* 70.b.
Solœciſmi an in Cic. 64.57.
in Somnium Scipionis qui ſcripſerint 67.c.
Staſeas Neapolitanus *Peripateticus* 72.b.
Steph. Doletus contra Eraſmi Ciceronianum 10.b.

T

Terentia Cic. *vxor qualis* 8. 9. *de eadem*. 39.c. 40.a. *contraxit ingens aes alienum* 90. *idcirco repudiata* 90.b. *quibus nupſerit viris quaeſitum* 90.c. *augurium fuit degenerantis Eloquentiae* 90.91.
Terentia Maecenatis vxor alia 91.a.
diuortit & iſthaec ibid.
Terentij & Plauti loca 60.61.
in Terentio Reſultantia 79.a.
Themiſtocles praedicari voluit 15.17.
trophaeis Miltiadis excitatur è ſomno 18.
Theophraſtus Philoſophus 45.b.
Theopompus Hiſtoricus 42.a.45.c.
Thucydides ac Philiſtus Hiſtorici 45.c.
Timon 50.c.
Tiro Tullius libertus Cic. *eruditus* 47.48.
Topica qui illuſtrarint Commentariis 67.69.
Q. Trebonius 15.b.
de Tribus dicendi generibus Attico, Aſiatico, & Laconico agit Cic. 100.b.
Tuſculanum Cic. *praedium*. 28.b.
Tuſculanarum Cic. *Quaeſtionum vtilis lectio* 68.c.
Tulliam Cic. *filiam non fuiſſe inceſtam* 89.90.
Q. Tullius an Ioca fratris collegerit quaeſitum 47.48. *eius fundi & praedia* 29.30. *eius filij geſta & mors* 97.b.c. *in parentem fides* 9. *M. Antonij etiam familiaris* 96.a.

V

Varices Cic. 25.36.
M. Varro 110.a.b.
gloriae cupidus 15.b.
Vatinij in varices Tullij ſcomma 25.32.
Venuſti qui 51.c.
de Verre quam variè Cic. *pronunciat* 39.c.
Vindicanda Eloquentia 119.b.
Virtutes & artes inuicem colligata 74.b.112.b.
Vocabula ſingularia in Cic. 57.58.59.
Vrbanitas vitae cur neceſſaria 50.51.
Vulgi contemnendum iudicium 107.b.

X

Xenophon de rebus à ſe geſtis ſcripſit 16.

Z

Zeno & Phaedrus Epicurei 92.b.
Zeno Stoicus de Dialectica & Rhetorica 74.a.

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

Ne pagellas tibi aliquot vacuas daremus, operaepretium fore viſum, ſi haec tuo commodo appēderemus, quia SCHOTTVS libro quarto Tullianarū Quaeſtionum, de optimo genere interpretandi M. TVLLIVM abunde diſſeruit. Selectos autem & è multis optimos Interpretes aſteriſco notauimus, & Typographica loca adſcribenda curauimus.

INTERPRETVM CICERONIS INDEX.

ANTIQVI.

★ Q. ASCONIVS Paedianus *in* CIC. *Orationes: in quem ſunt Notae Pau. Manutij, Franc. Hotmani & Titi Popmae Friſij.*

M. Fabius Victorinus in libros II. *de Inuẽtione Rhetorica.*

★ *Boethius Seuerinus in Topica.*

★ *Macrobius, & Eulogius Fauonius in Somnium Scipionis.*

Volcatius Sedigetus in aliquot Orationes apud Pet. Pithoeum.

RECENTIORES.

IN TOMVM. I. CIC.

In Rhetorica ad Herennium

Antonius Mancinellus, qui CICERONI *libros illos attribuit. Venet.*

Dialogus Sinibaldi Antonini in Aldina editione

Franciſcus Maturantius. Ven.

Georgius Capidurus. Baſil.

Iac. à Cruce, Pariſ.

Marinus Becichemus. Baſ.

Pet. Victorij Notae. Item. Georgij Vallae & Giſberti Longolij. Colon.
Geog. Acanthij in eos libros Partitiones Baſ.
Mich. Toxites. Baſ.
Vdalricus Zazius in Locis legalibus
Georg. Heniſchius Auguſt.
Iac. Gripholus in fine Enarrationis in Artem Poeticam Horatij, hos libros CICERONIS *eſſe negat, ſed* Q. Cornificij *potius*
Rheynardus Lorichius in Epitomen redegit.

In Libros duos de Inuentione Rhetorica.

M. Fabius Victorinus, Paris. Ven.
Gisbertus Longolius. Col. Paris,
Naſimbenus Naſimbenius. Ven.
Marinus Becichemus Baſ.

In Topica ad Trebatium.

★ *Boëthius Seuerinus*
★ *Achilles Statius, cum Appendice. Antuerp.*
★ *Ant. Goueanus. I.C. Pariſ.*
Pet. Viſorius Baſil.
Seb. Foxius Morzillius cum Paraphraſi. Antuer.
Vitus Amerbachius
Barthol. Latomus.
Audomarus Talaeus
Georgius Valla
Caelius Secundus Curio. Baſ.
Pet. Velleius Gueuara. Ven. Ald.

In Partitiones Oratorias.

★ *Iac. Ludouicus Strebaeus*
Barth. Latomus.
Claudius Minos.
Vitus Amerbachius.
Caelius Sec. Curio.
★ *Guil. Morelius*
Io. Sturmij Dialogi. II.
★ *M. Ant. Maioragius. Ven.*

Chriſtop.

INTERPRETVM. CIC.

Chriſtop. Hegendorphinus
Leodegarius à Quercu
Io. à Foſſa.

In Libros III. de Oratore ad Q. Fratrem.

★ *Iac. Lud. Strebaeus*
★ *Audomarus Talaeus*
★ *Hadr: Turnebus in Ioca* CIC. *libri Secundi.*

In BRVTVM, qui eſt De claris Oratoribus.

★ *Sebaſt. Corradus doctiſſimè. Florent.*
Caelius Curio eum in Epitomen redegit. Baſil.
Caſtigationes Io. Riuij ac, Pet. Victorij:

In ORATOREM ad Brutum, Seu de Perfecto Oratore.

★ *M. Ant. Maioragius Ven.*
Victor Piſanus Ven.
Marinus Becichemus
Omnibonus Leonicenus,
Audomarus Talaeus. Par.
★ *Melch. Iunius. Argent.*
Ant. Palmyrenus Baſ.
Gilbertus Cognatus
★ *Iac. Ludouicus Strebaeus*
Pet. Rami Brutinae Quaeſtiones.

In PRAEFATIONEM De Optimo genere Oratorum.

★ *Ioan Ant. Viperanus. Antuerp.*
★ *Achilles Statius. Louanij*
Vitus Amerbachius
Leodegarius à Quercu. Par.
Sit ne CICERONIS *dubitare video in Milonianam Aſconium, & Franc. Hotmanum in Manilianam.*

TOMO

TOMO SECVNDO OPERVM CIC.

IN ORATIONES OMNES CICERONIS.

★ *Paulus Manutius eruditiſſimè. Col. & Ven.*
Io. Thomas Freigius. Francof.
Ioan. Helij Biblio:heca Commentariorum in Tomum I. Orationum M. Tullij, *ex omnib. interpretib. Baſil. an.* 1594.
Omnium ceterorum edidit Io. Opprinus an. 1563. & *Lugd.* 1574.
Barthol. Latomus in XIII. *Scholia artificij, & in Verrinas ac Philippicas omnes.*
Franc. Syluius, Ambianus in XII. *Oratt.*
Franc. Hotmanus in XXV. *Oratt. ad Ius pertinentes.*
★ *Q. Aſconius Paedianus in Verrinas, Piſonianam, Milonianam, & aliquot, quarum tantum Fragmenta exſtent.*

NOTAE.

Dionyſij Lambini. Pariſ.
Fuluij Vrſini. Antu.
Ex vtroque Notae cum CICERONE *à Claudio Marnio editae. Francof. in* 8.
Io. Michael Brutus. Lugd. Gryph. Ant.
Ioach. Camerarius. Baſ.

I. Pro P. Quinctio.

★ *Franc. Syluius, & Hotmanus*
Barthol. Latomus. Par.
Ant. Luſchus. Baſ.
Thomas Freigius & Manutius.
Michael Toxita.

2. Pro Sex. Roſcio Amerino.

★ *Franc. Syluius, & Hotmanus*
★ *Ioan. Cyrenius Paraſchius. Lugd. Bat.*

Barth. Latomus
Rolandus Petreius
M. Beumlerus. Spirae
Io. Saxonius,
Thomas Blebelius
Thomas Freigius
Paul. Manutius.
Guarinus Veronenſis.

3. Pro Q. Roſcio Comoedo.

Paul. Manutius
Franc. Hotmanus
Franc. Syluius

In VII. Verrinas.

Barthol Latomus, &
Aſconius Paedianus. qui in omnes.
Sebaſt. Regulus, & Hegendorphinus & in I. & II.
Michael Toxites in I. & II.
Eubulus Dynaretus in V.
Io. Sturmius in VI.

NOTAE.

Franc. Fabricij in I. & II.
Pet. Nannij in IIII. & V.
Lambini, Fuluij, Bruti, & Camerarij in omnes Verrinas.

II. Pro M. Fonteio.

Franc. Syluius, & Hotmanus
P. Manutius, & Freigius
Gabrielis Faerni editio Romana, 1563.
Rolandus Petreius
Notae Gabrielis Faerni, Fuluij Vrſini, Lambini, Bruti, & Camerarij.

12. Pro A. Caecina.

* *Pet. Faber. Lugd. Bat.*
* *Iac. Omphalius. Pariſ.*
Franc. Syluius, & qui in omnes.
Pet. Pellitarius Par.
Io. Tiſlinius

Philippus

Philippus, & Bart. Latomus
Notae eorum, qui in omnes.

13. Pro Lege Manilia.

Nic. Agricola. Baſ. & Rod. Agricola. Col.
★ *Franc. Syluius, & Hotmanus*
Iac. Omphalius
Albertus Lonicerus.

14. Pro A. Cluentio Auito.

Paulus Manutius
Franc. Hotmanus
Thomas Freigius
Notae eorum qui in omnes

15.16.17. In C. Seruillium Rullum pro Lege Agraria, Orationes III.

★ *Bernardinus Lauredanus, Ven.*
Pet. Ramus, Veromanduus. Paris. & qui in omnes, cum Notis Variorum

18. Pro C. Rabirio perduellionis reo.

Pau. Manutius, & Tho. Freigius.
★ *Hadr. Turnebus*
★ *Franc. Syluius, & Hotmanus.*
Pet. Ramus. Baſil.

22. In IIII. Catilinarias.

★ *M. Ant. Muretus. Par. Venet.*
Pet. Ramus, qui ſchemata ferè numerat.
Albertus Lonicerus
Hadrianus Barlandus in I.

23. Pro. L. Murena.

★ *Franc. Syluius, & Hotmanus*
★ *Ioachimus Camerarius. Lipſiae.*
Barth. Latomi ſcholia
☞ *Huic Orationi reſpondet Aonius Palearius.*

24. Pro.

24. Pro L. Flacco.

★ *Gabrielis Faerni Notae. Rom.*
Rolandus Petreius,
Faerni editio Romana an. 1563.
Quique in omnes, cum Notis variorum.

25. Pro P. Sulla.

★ *Claudius Minos, &*
Qui in omnes Oratt, cum Notis.

26. Pro Archia Poëta

★ *Paul. Manutius Rom.*
★ *Io. Laezius Rupellanus. Antu.*
Valentinus Erythraeus. Argent.
Nicol. Agricola
★ *Franc. Sylvius. & Hotmanus*
Martinus Bolerus, Paris.
Barth. Latomus
Albertus Lonicerus. VVitte.
Vitus Amerbachius. Baſ.
Io. Piſcator. Spirae.
Archiae Epigrammata Graeca ex libro Antholog.

Antequam iret in exilium: ſed non eſt Ciceronis.

Vitus Amerbachius
Albertus Lonicerus.
Otto VVerdmullerus. Par.
Vergandus Spanhemius. Lipſiae.

27. 28. Poſt reditum, ad Quirites, & in Senatu.

P. Manutius, Freigius, & Hotmanus
Benedictus Herbeſtus, Leopolitanus.
Vitus Amerbachius
Thomas Blebelius.

29. Pro Domo ſua.

Franc. Hotmanus.
Paul. Manutius
Thomas Freigius &
Notae variorum.

30. De Aruſpicum reſponſis.

Iidem tres nominati qui in omnes
Io. Sturmius

31. Pro Cn. Plancio.

Iidem tres iam nominati, cum Notis aliorum.
Michael Toxites è ſcholis Sturmij.

32. Pro P. Sextio.

Rolandus Petreius I. C, Pariſ.
★ *Paul. Manutius copioſè & varius.*
Franc. Hotmanus
Thomas Freigius
Vitus Amerbachius.

33. In P. Vatinium teſtem.

P. Manutius, & Tho. Freigius.
Vitus Amerbachius
Cornerij Ecphraſis. Baſ. Opor.

34. Pro M. Celio.

Manut. Hotmanus, & Freigius.

35. De Prouincijs Conſularibus.

★ *Ant. Goueanus. Pariſ.*
Franc. Hotmanus, P. Manutius & Th. Fraigius.

36. Pro L. Cornelio Balbo.

Paulus Manutius
Thomas Freigius
Franc. Hotmanus.

37. In L. Piſonem.

Aſconius Paedianus
Manutius, Hotmanus, & Freigius
Gabrielis Faërni editio Romana an. 1563.

38. Pro. T. Annio Milone.

★ *Aſconius Paedianus*
★ *Iac. Cruquius Belga. Antuerp.*
Rudingerus Papebergenſis. VVittenb.
★ *Franc. Hotmanus*
Paul. Manutius & Freigius

Claudius Baduellus. Lugd.
Io. Piſcator.
Matthaeus Dreſſerus. VVitteb.
Vitus Amerbachius. Baſ.
M. Beumleri Analyſis. Spirae.

39. Pro C. Rabirio Poſtumo.

Manutius, Hotmanus, & Freigius.

40. Pro M. Marcello.

★ *Claudius Baduellus, & Cl. Minos*
Thomas Elebelius
Franc Syluius
Franc. Iammetius. Baſil.
Ioan. Piſcator.
Valentinus Erythraeus.
VVolfgangus Heganus.

41. Pro Q. Ligario.

★ *Franc. Fabricius, Marcoduranus. Colon.*
Vitus Amerbachius.
Georgius Trapezuntius. Baſil.
Franc. Syluius, Ambianus.
Xyſtus Betuleius. Baſ.
Marci Beumleri Analyſis. Spirae.

42. Pro Rege Deiotaro.

Matthaeus Cardenus. I. C. Colon.
★ *M. Ant. Muretus. Ingolſt.*
Franc. Syluius. Par.
Ioan Piſcator. Spirae
Vitus Amerbachius
Albertus Lonicerus.
VVolfgangus Heganus.

IN PHILIPPICAS XIIII.

in M. ANTONIVM.

P. Manutius, & Thomas Freigius.
★ *Caelius Secundus Curio. Baſil. 1564. fol.*
Franc. Maturantius

Georgius,

Georgius Trapezuntius
Rolandus Petreius I. C. Paris.
Iodocus Badius Belga, Paris.
Hardr. Barlandus in Philippicam IX.
Thomas Plebelius in 7. *&* 9.
Chriſt. Hegendorphinus.

NOTAE in Philippicas omnes.

Hieronymi Ferrarij ad Pau. Manutium
Gabrielis Faërni, Cremonenſis,
M. Ant. Mureti, Lemouicis.
Item. *Dion. Lambini, Mich. Bruti, & Camerarij.*

In Inuectiuas Salluſtij & CICERONIS.

Falſo illis inſcriptas, vt docet Sebaſt. Corradus in Quaeſtura ſua.
Henricus Glareanus, poſt Comm. in C. Salluſtium
Iudocus Badius Aſcenſius.

TOMO TERTIO:
QVI EST EPISTOLARVM,
I. AD FAMILIARES.

★ *Paul Manutius doctiſſimè*
★ *Sebaſt. Corradus*
Bernardinus Rutilius
★ *Herony. Ragazonius temporibus diſtinxit*
Hieron. Arlotus Ven.
Vbertinus Clericus
Martinus Phileticus Ven. 1591.
★ *Io. Glandorpius. Baſ.*
Thomæ Freigij Notæ Francof. 1592.
Iudocus Badius
Benedictus Herbeſtus in ſelectas, & M. Beumlerus.

Argumenta Scripſere.

★ *Paul. Manutius*

Giſbertus

Giſbertus Longolius
Chriſtoph. Hegendorphinus.

In Epiſtolam IX. ad Lentulum lib. I.

Georgius Merula
Pet. Ramus.

Emendationes.

Pet. Victorij priores ac poſteriores
Paul. Manutij breuia ſcholia, & ad oram
Nicolaus Stelſius. Baſ.
Dion. Lambinus
Guil. Canterus. Plant.
Titus à Popma. Ant.

Obſeruationes, & Phraſes ex his Epiſtolis.

Pet. Philomuſus. Ven.
Georgius Fabricius
Simon Verrepaeus Belga
Chriſt. Vladeracci Polyonyma
Theſaurus Epiſtolarum Andreae Dieter Aug.
Franc. Priſcianenſis de generibus Epiſt.
Stephanus Riccius.

2. In Epiſtolas ad Atticum.

★ *Sebaſt. Corradus Ven.*
★ *Paul. Manutius Ven.*
Io. Bapt. Pius. cum
Iudoco Badio. Par.
Ant. Goueanus I.C. in duos priores libros. Par. 1544.

Emendationes.

Pet. Victorij, & Doctorum virorum.
Leonardus Malaſpina
Dion. Lambinus
★ *Simeo. Boſius Plant.*
Franc. Iunius Biturix.

In Vitam Attici per Corn. Nepotem.

Paul. Manutius
Dion. Lambinus cum AEmilio Probo.
And. Schottus in Fragmentis Nepotianis
Io. Iac. Beuterus, ſingulari libello

3. Ad Q. Fratrem libri III.

* *Paulus Manutius. Ven.*
Io. Tiſtinus: Lugd.

NOTAS.

Leonardus Malaſpina. Ven.
Dion. Lambinus. Par.
Pet. Victorius.

In I. EPISTOLAM AVREAM De prouincia adminiſtranda.

Franc. Hotmanus. Lugd.
Nathan Chytraus ſingulari Libro Hanou. 1608.
Chriſtoph. Cornelij Ecphraſis. Baſ.
M. Beumleri Tigurini Analyſis. Spir.

In EPISTOLAM ad Octauium ſi modo CICERONIS eſt.

Iac. Ludouicus, Strebaeus. Par.

4. Ad Brutum liber ſingularis.

* *Paulus Manutius. Ven.*
Io. Bapt. Pius.

NOTAS.

Leon. Malaſpina
Dion. Lambinus
Pet. Victorius.

QVARTVS TOMVS CIC. PHILOSOPHICA CONTINET.

In Academicarum Quaeſtionum libros duos.

* *Hadrianus Turnebus*
Audomarus Talaus
Pet. Ramus
M. Ant. Palmyrenus, In Lucullum

Io.

Io. Bapt. Pius ſed nomine Hortenſij, non Luculli, in tomo Criticorum, Par.
Io. Roſa. Francof.

Huc pertinent,

Academica ſeu de veriiudicic Petri Valentini Baetici. Plant
Iulius Caſtellanus Fauentinus diſputatione aduerſus CIC. *Academicas.*

De Finibus bonorum & malorum Libri v.

Guil. Morelij Obſeruationes. Par.
M. Ant. Mureti Annotationes. Ingolſt.
Io. Pet. Oliuarij Scholia.

Tuſculanarum Quaeſtionum Libri v.

Philippus Beroaldus
Ianus Pagninus
★ *Ioach. Camerarius*
Hieron. VVolſius

NOTAE.

Dion. Lambini
Franc. Fabricij
Pet. Victorij.

De Natura Deorum Lib. III.

★ *Pet. Marſus. Baſ.*
Xyſtus Betuleius, Baſ.
Matthaeus Dreſſerus. Lipſ.

NOTAE.

Lambini, Victorij, Vrſini, Manutij.

De Diuinatione lib. II.

Xyſtus Betuleius, vt in eius vita legitur.

De Fato, Fragmentum.

Georgius Valla.
Matthaeus Dreſſerus. Francof.
★ *Hadr. Turnebus*
Pet. Ramus, vel Talaeus
Achilles Statius cum appendice. Antverp.

De Legibus lib. III.

★ *Hadr. Turnebus, cum Apologia*

Pet. Ramus in primum
Ant. Goueanus
Io. Lud. Viues in eius Operib.

NOTAE.

Lambini & aliorum.

Officiorum Lib. III.

★ *Paul. Manutij Scholia ad oram*
Aldus Manutius Iunior
Bapt. Leo Albertus Baſ.
★ *Xyſtus Betuleius*
Vitus Amerbachius
Hieron. VVolfius
M. Beumleri Analyſis.

NOTAE.

Caroli Langij Belgae. Ant.
Dion. Lambini Par.
Franc. Fabricij. Col.
Suffridi Petri. Baſ.
Pet. Balduini. Par.
Fuluij Vrſini. Ant.
VVolfgangi Anomegij.

Huc pertinent.

Caelij Calcagnini Diſquiſitiones
Quibus reſpondent Iac Gryſolus &
M. Ant Maioragius.

Laelius, ſeu, De Amicitia.

★ *Martialis Rogerius Lemouix docte, Par.* 1547.
Victorinus Strigelius Pariſ.
★ *Aldus Manutius Pauli. F.*
Barthol. Latomus
Hier. VVolfius
Io. Piſcatoris Analyſis
Iudocus Badius
M. Beumleri Analyſis Spir.
Pet. Marſus.

Cato Maior, ſeu De ſenectute.

★ *Franc. Syluius*
Hier. VVolfius

Ioan.

Ioan. Allurgenſis Methodus.
M. Beumleri Analyſis
Io. Metzlerus
Aldus Manutius
Pet. Marſus. Lugd.
Barth. Latomus
Iudocus Badius
Henr. Glareanus. Baſ.
Theodorus Gaza Graece reddidit vel Max. Planudes.

Paradoxa Stoica.

Franc. Syluius. Pariſ.
★ *Matthaeus Cardenus. Col.*
Io. Moriſotus, qui & Graece reddidit vt &
Hadrianus Turnebus
Aldus Manutius Iunior
Audomarus Talaeus. Par.
Franc. Maturantius. Lugd.
Hieron. VVolfius. Baſ.
Io. Piſcator. Spirae
Iudocus Badius. Lugd.
Victorinus Strigelius & Philippus
★ *Xyſtus Betuleius.*

Somnium Scipionis è Lib. VI. de Repub.

Macrobius Libri II.
★ *Eulogij Fauonij Diſputatio nuper reperta.*
Maximus Planudes vel Theod. Gaza Graece conuertit,
Io. Lud. Viuis Somnium *ſeu Praefatio* , & Vigilia *ſeu explanatio.*
Pet. Io. Oliuarius Valentinus
★ *Elias Vinetus, Burdigalae*
Gerardus Voſſius Romae
Barthol. Barrientos. Salmant.
Io. Sambuci Paraphraſis
Barth. Latomus
Hieron. VVolfius. Baſ.
Matthaeus Dreſſerus. Franc.
Victorinus Strigelius. VVitt.

NOTAE in Somnium Scip.

Caroli Langij
Dion. Lambini, Suffridi Petri, Fuluij Vrſini

Franc. Fabricij
Car. Sigonij & And. Patricij in Fragmenta de Rep.

Timaeus, ſeu De Vniuerſitate ex Platone.

Georgius Valla
Henr. Stephanus in Lexico CICERONIANO.

In Arati Phaenomena, Verſibus a CICERONE conuerſa.

Ioach. Perionius. Par.
Guil. Morelius. Par.
And. Patricius. Ven. qui & in omnia CIC. FRAGMENTA *poſt Carolum Sigonium ſcripſit.*

Quibus potiſſimum ſcriptis illuſtrari CICERO poſſit & debeat.

Carolus Sigonius de antiquo iure ciuium Rom.
Paul. Manutius de Ciuitate Ro. De legibus, de Senatu, &c.
Ant. Auguſtinus de Legibus, & Familijs Rom.
Ioan. Zamoſcij de Magiſtratibus Rom.
Franc. Hotmani Antiquitatum Libri IIII.
Faſti Rom. per Sigoniū, Onuphriū, & Stephanum Pighiū.

Q. TVLLII CIC. de petitione Conſulatus.

Sebaſt. Corradus in ſua Quaeſtura.

Falſo CICERONI adſcripta.

Rhetoricorum ad Herennium Libri IV. quos *Q. Cornificij eſſe Quinctilianus eſt auctor:* CICERONI *tribuit Ant. Mancinellus, abiudicat vero Iac. Bartholus*
Declamatio Antequam iret in exilium
Epiſtola *ad Octauium*
De re Militari, *in Badij editione*
Conſolatio *de morte filij, etſi tuetur Sigonius* CICERONIS *eſſe, negat I. Lipſius, Ant. Riccobonus & Ianus Guilielmius. Pariſ.*
Orpheus, *ſeu de Inſtitutione, Venetijs ſuppoſitus.*
Synonyma *ex* CICERONE *potius collecta,*
De Memoria, *quod vel Tironis eſt liberti de Notis in excipiendo: vel decerpta ſunt è libro* IIII, *Rhetoricor. ad Herennium.*

AVCTÓRES
Quà emendati, quà illuſtrati.

CICERONIS loca illuſtrata 61. Pro lege Manilia: *In poteſtatem eſſe.* & ſimilià pag. 59. 60. In Philippicis *Facere contumeliam* 60. b. c. Emendata: Lib. IX. Epiſt. 4. ad Fam. *Suum* nominat Diodotum Stoicum 71. c. Lib. XV. ad Atticum Epiſt. 26. *Octauam partem aedium* &c. 61. 62. b. Lib. I. de Rep. *Vt ad eam vrbem poſſis adnare* 61. b. Tuſcul. III. gloſſema ſublatum: *Gloria virtuti reſonat, vt imago:* 77. b.

Loca vitio carentia 65. a.

Homeri loca *Parechemate illuſtria* 81. 82.

P. Virgilij loca ſine vitio 61. 66. 78. 80.

Terentij loca expenſa 66. 67.

De Horatij locis quaeſitum 66. c.

Eccleſiaſtici cap. 35. v. 5. *Non apparebis ante conſpectum Domini vacuus.* 82. a.

ERRATA OPERARVM
ſic corrigantur.

Pag. 12. verſ. 5 à fine, Cap. 14. *lege* 24. Pag. 40. v. 8. illa l. ille P. 50. v. vlt. Hippolytus *ſcribe* Bellerophō. 64 v. 5. *lege* eloquentiae. verſ. 8. Citat Eraſinus ex Epiſtolis CIC. locum, qui non occurrit; Ipſe viderit. Similis eſt primo de Oratore, in medio: *Tamen cum Proconſul in Ciliciam proficiſcens Athenas veniſſem, complures ibi dies ſum propter nauigandi difficultatem commoratus &c.* aut. ille Epiſt. 12. lib. IIII. ad Famil de caede Marcelli: *Cum ab Athenis proficiſci in animo haberem &c.* 66. reſcitum 79. prophanos nos. 80. v 15. praecula, *lege* Graecula 82. v. 5. capiet. *leg.* capite 94. v. 6. totius, *lege* toties.

ANTVERPIÆ,

Typis HENRICI ÆRTSII.

CIↃ. IↃC. XIII.

Digitized by Google

FAVONII EVLOGII
RHETORIS KARTHAGINENSIS
IN CICER.
SOMNIVM SCIPIONIS
DISPVTATIO
AD V. C.
SVPERIVM
COS. PROVINCIAE
BIZACENAE.

Typis nunc primùm edita.

Digitized by Google

Digitized by Google

NOBILISS. VIRO

GASP. TAIO

TOPARCHO

IN GOICQ,

AND. SCHOTTVS

ANTVERPIANVS

DE SOCIETATE

IESV

Salut. in Dom.

DVO ſunt M. TVLLII loci inſignes, vt Te omnium minime fugit, eruditiſſ. ac nobiliſſ. TAI, doctis etiam hominibus perobſcuri: puta *De Iocis*, qui eſt lib. II. de Oratore ad Q. Fratrem: alter verò è libro de Rep. VI. in *P. Scipionis Somnio*, aureolo ſanè fragmento; vnde velut ex vngue liceat aeſtimare quantam amiſſis de Rep. libris ſit facta iactura. *Ioca*, quod acutè dictis conſtent, vnde cuiuſque ferè ingenium eluceſcat, ſitque narratio rei geſtae dicteriique occaſio neceſſario inueſtiganda. Somnium verò, quod mea quidem ſententia multorum ſuperat vigilias,

caeleſtem ſphaeram propè continet vniuerſam, ac veluti orbis terrae (vt Romam terrarum Deam Polemon Sophiſta apud Athenaeum ac Galenum nominat) ἐπιτομήν. In ioca ac dicteria doctiſsimus Turnebus operam praeclarè nauauit: in Somnium autem poſt Macrobium, qui Platonicè philoſophatur, ac poſt Cenſorini de die Natali libellum; noſtra parentumque memoria multi vigilandò lucubrarunt: in his Viues, & Oliuarius, Valentini: Parrientus Granatenſis, Ramus Gallus, ac Ger. Voſsius Belga: nemo tamē, meo iudicio, accuratiùs Elia Vineto, Santone. Mathematicis enim imbutus diſciplinis erat, vt & de Logiſtica ſcripſerit, & in Euclidis quaedam; ac demum Auſonium Gallum illuſtrarit. Ciceronis autem verba apponam: *Sed eius temporis ancipitem video quaſi fatorum viam. Nam cùm aetas tua ſeptenos octies ſolis amfractus, redituſque conuerterit, duoque hi numeri (quorum vterque plenus, alter altera de cauſſa habetur) circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint, in te vnum atque tuum nomen ſe tota conuertet ciuitas*: hoc eſt, cùm *ſex & quinquaginta annos* attigeris. Octies enim ſeptena, vel ſepties octo, ſex & quinquaginta annos reddunt: qui & ipſe κλιμακτηρικὸς eſt annus. Septenario enim numero moueri arterias, morborumque pericula naſci ac diſcrimina, Medicorum filij exiſtimant: vt ſymphoniam Muſici διὰ τεσσάρων obſeruāt. Illi etiam κριτικοὺς appellant dies, quos C. Plinius *Decretorios* reddit, quibus quid aegroto futurum ſit, decernant. Summum verò in ſenibus κλιμακτηρικὸν,

tertium

tertium & ſexageſimum aetatis annum, maximéque periculoſum, numerant; quo CICERO noſter, ac Demoſthenes, aliiq; extincti: quod cum ſeptenario nouenarius, impar vterque, concurrant: quem annum cùm Auguſtus exceſſiſſet, περὶ κλιμακτῆρος ſeniorum ſibi vt gratularetur Caius nepos, imperat, apud Agellium lib. xv. Noct. Attic. cap. VII. Verum de his alij pluribus: nos hoc agamus. Copioſiùs quidem de his numeris P. Scipioni praefinitis argutatur *Fauonius Eulogius Rhetor Carthaginienſis*, quem nunc primũ eruimus, in lucémq; reuocamus è vetuſto codice Gẽblacenſis antiquiſſimae bibliothecae, Benedictinorũ in Belgio ſodaliũ: quo in coenobio & Sigebertus hiſtoricus claruit. Vtinã aliud alibi deliteſcẽs exemplar ex abditis bibliothecis lucem tandẽ aſpiciat. Tale etiã fragmentũ *Vulcatij*, ſiue alterius, in M. Tul. orat. pro Sex. Roſcio Amerino (nam in orationes Cicer. Vulcatiũ olim ſcripſiſſe ex S. Hieron. conſtat) vidiſſe ſe Pet. Pithœus, homo de ſtudiis ſi quis alius optimè meritus, Notis ad Legũ Moſaicarũ & Romanarũ collationẽ Tit. VIII. affirmat. His addidimus coronidis vicem *Latini Latinij* de Numeris ac cyclis diſputationẽ Roma ad me muneri miſſã a Scip. Cobellutio, Iuriſconſulto egregio, noſtriq; amantiſſimo.

Philoſophi verò nimium quantùm his numeris tribuerunt: Pythagorici per τετρακτὺν iurandi formulam adhibebant, ſiue quattuor rerũ elementa innuerent (quae ῥιζώματα Empedocles nominarit, veluti φύσεως *ſeminaria*:) ſiue vt alij volunt, βυθὸν, σιγὴν, νοῦν, καὶ ἀλήθειαν.

Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρα ψυχᾶ παραδόντα τετρακτὺν,
Παγὰν ἀενάου φύσεως.——

Plato quoque diuinus animae naturam numeris oſtendere conatus, his eas offundit tenebras, nihil vt Platonicis numeris obſcurius Prouerbio iactetur; quem his libris Cicero potiſsimùm eſt imitatus. *Perfectum* autem numerum dixit ac *plenum*, ad vim reſpiciens, non Logiſtarum more; qui perfectum appellant numerum, cuius partes congregatae totum adaequant: qualis ſenarius eſt. *Septenarius* autem totam hominis vitam regit, aetatéſque digerit; vt è M. Terentij Varronis togatorum doctiſsimi Hebdomadũ libris idem Agellius docet, lib. III. cap. X. *Octonarius* verò corpus conſolidat: cubus enim eſt. Quo fit, vt alter numerus patris, matris alter vicem obeat. Platoni autem in Timaeo octonarius plenus eſt, quia numerum abſoluit orbium caeleſtium, qui octo mouentur. Septenarium autem, quia dierũ Lunae origo eſt. Fit enim Lunę ambitus diebus octo & viginti. Verba Philoſophi apponã: ἔστι δ᾽ ὅμως οὐδὲν ἧττον κατανοῆσαι, δύνατον, ὡς ὅγε τέλεος ἀριθμὸς, χρόνου τὸν τέλεον ἐνιαυτὸν πληροῖ τότε, ὅταν ἁπασῶν τῶν ὀκτὼ περιόδων τὰ πρὸς ἄλληλα ξυμπερανθέντα, τάχη σχῇ κεφαλήν. *Attamen illud perſpici & intelligi poteſt, abſoluto perfectoque numero temporis, abſolutum perfectumque annum tunc compleri denique, cùm ſe octo ambitus confectis ſuis curſibus ad idem caput retulerunt.* De ſeptenario ſic: μεὶς δὲ ἐπειδὰν σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον. Noſtra quoq; memoria *Circulum quadrari* poſſe numeris Ioan. Buteo edito in Gallia ſcripto aſſeruit:

aſſeruit: cùm tamen Ariſtoteles in Categoria Πρός τι, & in Phyſica ἀκροάσεῳς, ſciri quidē poſſe, non tamen ſciri affirmarit. Idemque Philoſophus Pythagorae illam opinionem, quam & Cicero hic attigit, de caeleſtium orbium ſonitu atque harmonia, ita lib. 1. de Caelo oppugnat, vt tantùm non irrideat. Oratoris noſtri verba ſubiicio: *Hoc ſonitu completae aures hominum obſurduerunt. nec eſt vllus hebetior ſenſus in vobis: ſicut vbi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altiſſimis montibus, ea gens quae illum locum accolit, propter magnitudinem ſonitus, ſenſu audiendi caret. Hic verò tantus eſt totius mundi incitatiſſima conuerſione ſonitus, vt eum aures hominum capere non poſſint: ſicut intueri Solem nequitis aduerſum, eiuſq; radiis acies veſtra, ſenſuſque vincitur.* Suprà autem non longe: *Illi autem octo curſus, in quibus eadem vis eſt duorum modornm, ſeptem efficiunt diſtinctos interuallis ſonos: qui numerus rerum omnium ferè nodus eſt.* Hic enim *modus eſt* editum video, locumque gloſſemate foedatum, vocum duarum *Mercurij & Veneris*, quas intruſas ex ora arbitror. Theodorus enim Gaza Graecè interpretando diſcrepat. Vertit enim: ἐκεῖνοί γε μὴν οἱ ὀκτὼ δρόμοι, ὧν διττὴ αὐτοῖς πρόσεστι δύναμις, ἑπτὰ διωρισμένους τοῖς διαστήμασιν ἤχους ἀποτελοῦσι, ὅστις δή τ' ἀριθμὸς σύνδεσμος ἀντικρὺς τῶν ὄντων ἐστίν. *Nodum* legiſſe animaduerto, non *modum*. σύνδεσμον enim reddidit, caretque gloſſemate. ἀλλὰ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ. Venio ad *Eulogium*, de cuius hic praenomine *Fauonij* (quod alibi legere non memini) venit in mentem dubitare an è *Fabij* vel *Flauiani* ſit corruptum; vel denique *Flauij*: vt *Fla-*

nius Vegetius eius propè æqualis Militarium ſcriptor dictus eſt: Mutare tamen religio ſit, quòd & in Africa, & ſequiore illo aeuo Romanà praenomina, gentiumque ac familiarium nomina non ad amuſsim ſeruarentur, quin identidem in alia verterent. Haec verò qualiacunque, nobiliſsime Tai, vt tua conſideratione non indigna, libens offero de numerorum myſteriis, de quibus multa & Philo Iudaeus diſſeruit, & in Photiana noſtra Bibliotheca Nicomachus Geraſinus, aliique pertractarunt. Tuum erit, qua es humanitate, meum in Te amoris pignus in bonam accipere partem, & aequi boni facere. Vale.

FAVO-

FAVONII EVLOGII ORATORIS ALMAE KARTAGINIS DISPVTATIO DE SOMNIO SCIPIONIS SCRIPTA SVPERIO V. C. COS. PROVINCIAE BIZACENAE.

IMITATIONE *Platonis* CICERO *de Republica ſcribens, locum etiam de Regis Pamphili reditu in vitam, qui, vt ait, rogo impoſitus reuixiſſet, multaque de inferis ſecreta narraſſet, non fabuloſa, vt ille, aſſimilatione commentus eſt, ſed ſolertis ſomnij rationabili quadā imaginatione compoſuit, videlicet ſcitè ſignificans, haec quae de animae immortalitate dicerentur, caeloque, ſomniantium philoſophorum eſſe commenta, nec fabulas incredibiles, quas Epicurei derident, ſed prudentium coniecturas. Inſinuat Scipionem illum, qui Kartagine ſubiugata cognomen familiae peperit Africanum, huic Scipioni Pauli filio futuras à propinquis inſidias & fatalis metae denuntiare curriculum, quòd neceſſitate numerorum in vitae perfectae tempora coartetur; ponitque illum aetatis ſuae quinquageſimo ac*

ſexto anno, duobus in ſe coëuntibus numeris, abſolutam caelo animam, vnde acceperat, redditurum: quòd & immortalis eſſet animi mentiſque ſubſtantia, & bene meritis de Rep. patriaeque cuſtodibus Lactei circuli lucida ac candens habitatio deberetur. Has igitur rationes, quibus ſuprà poſiti viri vita perficitur, Arithmeticis approbationibus explanantes, prudentiae tuae, Superi *Vir Clariſſime atque ſublimis, non vt nouas ignotaſque narramus, ſed in recordationem qua poſſumus commemoratione reducimus. Quae ſi doctis auribus tuis placere peruidero, ad alia quoque audaciùs, quae iubere dignaris, operam ſtylumque conuertam.*

*Ac primùm illud exiſtimo praelibandum, quòd Italicae ſapientiae conditor Pythagoras numeris cenſet conſtare naturam, mundumque omnem ratis & competentibus interuallis ad Muſicam caeli conſonâ modulatione decurrere, aliumque alij rei numerum conuenire, vt concordiae publicae nuptialem, vt * edentis partibus* [* *fort.* edendis partubus] *cubicū, alioſq; caeleſtibus, alios terrenis. Quid ſit hoc, totū pro captu meo curabo diſtinguere.*

Numerus igitur res aeterna, intelligibilis, incorrupta, cuncta quae ſunt vi ſua complectitur; totumque ſub numerum venit, quicquid aut ſenſibus aut animi cogitatione comprehenditur. Nam & corpora figuram ex numeris trahunt, & figurae lineis pari ratione formantur: ipſaeque artes praecepta ſua non ſine numeri admixtione pronuntiant: & cùm Rhetorica ſtatus Cauſarum quatuor, Philoſophia totidem aſſerit eſſe Virtutes; & cùm dicimus trigôna lineis tribus, quatuor quadrata deſcribi, vtique vides hoc ad numeros oportere conuerti. Sed numerus eſt quantitas congregabilis, à duobus initium ſumens, & in denariam metam creſcendi acceſſione perueniens. Nam monadem non numerum, ſed ſemen & ſubſtantiam numerorum

merorum eſſe, manifeſtum; & ex illa ſuprà poſita definitione perficitur. Nec enim vnum ac ſingulare quoddam congregabilis quantitas intelligitur: nec par aut impar haberi poteſt, quae ſunt genera numerorum. Ergo initium monas; numerus dyas & trias, cereriq́ue ita reliqui vocabuntur: breuiterq́ue dicemus, quid monas, quid dyas, quid ſequentes numeri valeant in natura.

Monas ſingularitas inſecabilis, indiuiſa, ſola, non ex partibus conſtans: cùm ſit aliud vnum, aliud vnum ſolum. Vnum dicimus mundum, ſed non vnum ſolum: quia conſit ex partibus. vnum populum ex pluribus ciuibus. exercitum ex multis militibus vnum: nullumq́; corpus, vnum ſolumq́ue corpus. vnum ſolum rectè dicetur, quod in partes ſui diuiſione diſcedat. Atque vnum animum non minutis & eoëuntibus portionibus in ſui habitum eſſe compoſitum, ſed naturali ſimplicitate ſubſiſtentem, non vnum, ſed ſolum quoque nominamus. Quamuis circa corpora diuiſibilem Plato *teſtatur, genere tamen vnum eundemq́; cognoſcit. Quicquid enim numeroſa progreſſione non perit, ſingulare natura eſt. Vnus igitur Deus, etſi ſint eius innumerae diuiſaeq́ue virtutes, ſexu per fabulas nominibuſque diſcretae. Ac non ſic mundus vnus; cuius aut duae ſunt partes, Mens & Materia; aut verò quatuor elementa, momentis potentiaq́ue diſtantia. Illud igitur numerus; hoc, quod numerabile eſt, rectè dicetur. Ille complectitur vniuerſa, vt in eo diuina etiam numerentur. Hoc autem accidit numero, ac ſubiacet numerabile. Eſtq́ue numerus, vt Xenocrates cenſuit, animus ac Deus. Non enim aliud eſt quàm quod ei ſubeſt: ſed illud ipſum quod eſt vnum ac ſingulare tantummodo, quod ante omnia in omnibus, & poſt omnia. Quantam enim velis colligas quantitatem, ducetur ab vno, texetur ab vno, deſinetq́ue in vnum. ac pereuntibus aliis quae id*

recipere

recipere poſſunt, immutabile perſeuerat.

Dyas verò, vt Theologi aſſerunt, ſecundus eſt motus. Primus enim motus in monade ſtabilis & conſiſtens, in dyadem velut foras egreditur: primumq́; connubium Poëtae fabuloſè dixerunt ſororis & coniugis, quod videlicet vnius generis numero coëunte copuletur. & Iunonem vocant, vni ſcilicet Ioui acceßio [*fort.* acceſſione *vel* acceſſu] *alterius inhaerentem. Ab hoc numero mundus apparuit mente ac materia* (*quae Graecè dicitur* ὕλη) *conſtructus. Ab hoc iuſtitia naturalis virtus librata partium aequalitate diluxit. Namq; diuiſus hic nunc numerus, quia prior diuidi põteſt, aequali ſectione diſcedit; nec tamen adhuc totus eſt, quia initium finemq́; demonſtrat, medio nullo cenſetur. diciturq́; femineus, quia iunctus alteri pari, parem creat ex ſeſe. quod in eo qui ſeqnitur, non poteſt inueniri. Bis enim bini fit quadratus. Bis terni non facit imparem, ſicut ille ſuperior, quòd ex paribus par, ex imparibus impar eſſe non poterit. Trias, primus eſt totus quod habet, & dimidius, eſtq́;, vt dicitur, Maſculinus, quòd adiunctus alteri impari, creare nõ valeat id quod ipſe ſit.*

Mundus ab hoc numero nomen accepit. Namq́; ex duobus factus in tertium quid genus eualuit. Non enim aut Mens tantùm, aut ſola Materia, ſed vtrumq; eſt tertium quid illorum commiſtione compoſitum: Triaq́; tempora pro ſui natura ſortitus eſt, praeteritũ, praeſens, futurum, triade videlicet operante. Fataliſq́; neceßitas in eo numero eſt, Clotho, *Lacheſis*, Atropos. *Tria rerum genera, Maſculinum, Femininum, Neutrum. Tria vocum diſcrimina, acutum, graue, & inflexum. Tria genera litterarum, Vocales, Semiuocales, Mutae. Tribus lineis figura prima componitur, quae trigõnon nominatur. Tria corporum interualla monſtrant, longitudo, latitudo, altitudo, quibus omne ſolidum continetur.*

Quatuor

Quatuor ſecunda generis alterius plenitudo, duo media pro ſui qualitate complectitur: primuſq; quadratus eſt numerus. Quadratum Arithmetici vocant: qui ductus in ſe, in maiorem cumulũ ſurgit. Bis enim bini quartus; Ter terni nonus, ſecũdus quadratus eſt numerus, deinceps ceteri in ſeſe ducti vſque ad decimi metam quadratos efficiunt numeros. Nam XX. *per ſe cùm efficiunt quadringentos, ad ſecundi verſus pertinent rationem. Verſus Arithmetici dicunt ordines numerorũ, vt ab vno ad decem, à decem ad centũ, à centũ ad mille, & ſic alios verſus progreſsione maioris crementi coaedificant. Idemq; valet decimus ad viceſimum, quod vnus ad duo. duplici enim ſubſtantia ſeparantur, ac ſi diuerſa ſit ſumma; ratio tamen eadẽ perſeuerat, ac ſic in denaria ſumma creſcendi finis, & initiũ ſecundi verſus eſt. Sed is in quaternario numero ſubtili diſputatione colligitur. Nam duo* III. IIII. *adiuncta monade in decadẽ procedunt. Ab hoc numero elementa; ab hoc tẽpora natura diſpoſuit, quae per terna cæli ſigna Solis curriculis dimẽſa variantur. Nam ver in tribus ſignis agitur, Ariete, Tauro, Geminis: Aeſtas in Cancro, Leone, Virgine: Autumnus Libra, Scorpio, Sagittario: Hiems in Capricorno, Aquario, Piſcibuſque finiuntur. Videſque duobus primis ac plenis numeris mundani curſus tempora Solis moderatione conuolui.*

Quinque autem caeli planetas ſub zodiaco poſuerunt, locis motibuſque diſsimiles.

In quinque partes circulũ ſecuere, vt ſit primum medium punctum, quatuor abſides, quarũ altitudo, & altitudo altitudinis, humilitas humilitatis in Lunari globo ratis erroribus obſeruantur. quòd ea videlicet vt vna à caelo omne hoc interuallũ, quod à terra ad caelũ vſque protenditur, obire diuerſis videtur anfractib. ne in vmbrã terrae, quae dicitur eclipſis, ſemper incurrat: quàm dum altior Aquilone, humilior Auſtro incurrat, videtur euadere; niſi

quòd aliquando pro mundanae ſortis, & corporum, quibus aër praeeſt neceſſitate, perpetitur, veluti ſui luminis mortem. Vides ergo quòd numerus iſte, quem diximus, agat in caelo. Conſtat hic ex pleno & non pleno, tribus videlicet & duobus. nec diuiditur ſicut omnis impar aequaliter. Senſus corporis noſtri ſub hoc numero [contineri] *manifeſtũ eſt. Hũc Romani in populi diuiſione ſecuti ſunt, in quinque claſſes omnia ciuitatis membra claudentes.*

Senarius verò, qui ſequitur numerus, potentem ac diuinam naturae ſuae obtinet poteſtatem: ſiquidem τέλειος *primus, id eſt perfectus etiam repetitur.* Perfectum *Arithmetici vocant, qui ſe implet partibus ſuis.* Partem *calculatores dicunt, quibus maior aliqua ſumma componitur: vt hic ex dimidia, tertia, ſexta, coniunctis ſenarium numerum complet. Nam* III. II. & I. *(quae portio eſt ſexta) ſenariam expedit quantitatem. Quod in aliis ex primo verſu numeris non reperies. Nam ceteri pares numeri (aut enim ſe complent, aut etiam tranſeunt) hic ſolus eſt, qui ſuis partibus ſine vllo diſcrimiue ſupputatus abſoluitur. Nam Quaternarius habet Dimidiam Duo: tertiam, propter monadem inſecabilem, non habet. Quartæ, accidens tertij numeri continet ſummam. Colligere ergo non poteſt quatuor, quòd hic tertius ex imparibus conſtans ſolus emeruit. Nam octo, qui ex paribus quartus eſt, cùm habeat dimidiam quatuor, tertia careat, quartam duo accipiat, quintam verò, ſextam, ſeptimamque non habeat, accedente octaua, quae ſupereſt, ſe complere non poterit; vt in his numeris cernas licet.* IIII. II. I. *ſeptem ſunt non octo, qui ſupra ſunt: ſe itaque complere non poterunt. Decas, quintus par numerus, habet dimidiam* V. *tertiam non habet, quartam non habet, quintam recipit.* II. *ſexta, ſeptima, octaua, nona parte priuatus eſt, accedente decima, id eſt, facit octo, non decem. Duode-*

cim

cim rurſum attende, quamuis alterius verſus videatur habere reliquias, aut extra ſortem propoſitae rationis ſit. Quia vt monas in primo verſu, ſic in ſecundo decas obtinet fundamentum. Ergo ſi duodecim partium velis ſupputatione conficere, tranſibit ſemetipſum, nec eadem, quae ſuprà dicta eſt ratione, quadrabit. Siquidem ſex dimidiam, IIII. *tertiam quartam* III. *ſextam verò & ipſa duodecima: ſedecim faciunt. Ita ſibi coaequari non valent. In has enim ſolas partes duodecim ſeparamus. Sed haec de aliis inſtructionis gratia dixerimus: ne de ſeptimo aut octauo numero diſputantes, obſcuritatẽ aliquam, nulla praſtructione poſita, ſubiremus. Nec dicendum eſt, quae ſit horum* plenitudo numerorum, *quibus per alterutrum ductis* VI *conficiuntur anni. His enim Africani poſterioris vita concluſa eſt. Septimus igitur numerus plenus eſt his de cauſis; quia & in initio duo, & tres medio, & duo fine complexus eſt: tum quòd primus ex duobus diuerſi generis plenus eſt, ex tribus imparibus ſcilicet, & quatuor paribus iunctus ſit ipſe pleniſſimus: cuius totae ſunt partes, multumq́ue in rerum natura dominatur. Nam ſidera quae obluctantur caelo, ſunt ſeptem, ſi ad* V. *planetas Solem Lunamq́ue iungamus, totidem circulis euolantia. Septem ſtellas cardo maximus Aquilonius in occiduo fulgore conuertit. Septem ſpecies Luna creſcentis ac decreſcentis luminis varietate componit. Quarum prima eſt quae à Graecis* ἀνατολὴ *dicitur.* 2. ἀμφίκυρτος. 3. διχότομος. 4. πανσέληνον. 5. *item* διχότομος. 6. ἀμφικύρτετος. 7. συνοδικὴ *vocatur. cùm interlunio redit ad Solem. Septem animi motus Philoſophi Stoici poſuerunt: quatuor perturbationes; tres conſtantias; id eſt metum, dolorem, cupiditatẽ, laetitiam: quibus inſipientium animi velut tempeſtatibus agitantur. Sapientium verò motus non* πάθη, *ſed conſtantiae ſunt.*

Vt

Vt pro metu cautio ſit; pro cupiditate voluntas, *aut* ſtudium, *pro laetitia* gaudium: *quod diſtinctionis gratia ſeparamus. Quartus ex malis praeſentibus ſapienti nullus eſt motus: quia nec in motum incidere ſapiens poteſt. Sunt ergo animi motus ſeptem. At verò corporum totidem. Primus eſt circularis, vna linea cōprehenſus. Sex reliqui, dexter, ſiniſter; ſurſum, deorſum; ante, poſt. Sed ille mūdi comes totius, hi pariles* [*fort.* Partiles] *habentur. Diximus ſuprà, quinque ſenſus eſſe corporeos. Hi ſeptē foraminib. emittuntur: duo ſunt viſionis, duo auditus, vnus guſtatus, atque vnus eſt odoratus, ſeptimus tactus, qui per totius corporis membra diffuſus eſt. Et quia cerebri puriſſimam partem animae principatum exiſtimant obtinere, miniſtros eidem ſenſus, ſeptem veluti feneſtris emitti manifeſtum eſt, cùm illos Mineruae tanquam in arce poſitae ſubiecerunt. Cur numerus ſeptenarius Mineruae tribuitur, quae ex Iouis capite ſine Matris vtero procreata memoratur? videlicet quòd ad ſenarium ſapientem conuenientemque ſuis partibus numerum, monas, quae eſt caput numerorum, cùm acceſſerit, Septenarium creat, qui ab Arithmeticis Minerua dictus eſt. quòd neque creatus eſt ex duobus ſui ſimilibus, neque procreare ipſe alios poteſt intra limitem primi verſus. Nam ſi reſpicias à principio, dyas & paritur ex ſingulis, & ex ſe quaternarium creat. Trias* II. *equidem paritur, quia bis ſimilibus numeris coëuntibus aggregatur, ſed generat ſex. Quinarius ipſe non paritur, ſed decimum ex duobus ſui ſimilibus parit. in quo, vt dictum eſt, creſcentium finis eſt numerorum. Quorum ratio ceteris in verſibus ſub maiore ſumma reperitur. Sex paritur quidem, ſed ipſe non parit. Duodecim namque ſecundi verſus incipit habere reliquias. Octauus verò ex duobus quaternariis exoritur, in ſedecim duplicatus excedit: paritur ergo, non parit. Enneadem tres triplicati*

plicati pariunt. Duode-viceſimus ſecundi verſus eſt numerus; qui à lege creandi diuerſus eſt. Decas natus quidem ex bis quinis cognoſcitur, ſed XX. *quos colligit duplicatus hic numerus, non poſſunt dictae rationis habere conſortium. Septimus, qui ſolus nec creatus ex binis vnius generis numeris, nec ipſe alium geminatus effundit. Vnde meritò Minerua ſine matre virgo ſine procreatione perhibetur.*

Hippocrates Cous, naturae ſcrutator egregius, hunc numerum in libris, quos περὶ ἑβδομάδων *appellat, ait creandis ineſſe corporibus. Nam ſemen fuſum & fomitē matris exceptum, ſeptimo die in ſanguinem commutari, ſeptimo menſe perfici, ac plerumque naſci legitimam partus dinumeratione manſurum;* [*fort.* menſium *potius,* ſeptimanarum, *pro* ſeptimeſtrium, vt inf.] *infantiumque dentes à ſeptimo menſe prorumpere, ſeptimo mutari anno, bis ſeptimo incipere pubertatem: ter ſepteno florem barbæ iuuenilis abſolui. quatuor autem annorum hebdomadibus euolutis, ſtaturae creſcentis terminum fieri, nec vltra proceritatem poſſe procedere.* XXX *verò &* V. *annis exemptis etiam ingenij progreſſionē ferè deſiſtere quidam putauere Philoſophi; quod videlicet in quinque redigatur hebdomadas. Muſici verò ſepteni vocum diſcrimina duobus tetrachordis pro rata portione modulatis efficiunt. Vna chorda communi, quae vtriuſque concentum harmoniae modificatione componat. Quod paulo vberiùs exequemur. Dialectici quoque concluſionis hypotheticae modos in ſeptenarium numerum redegerunt; quibus amplius nihil acuta quiuit diſciplina cognoſcere.* [*Macrob.lib.1.Somnij cap.5.]

**De Octauo autem numero non multa dicam; ſed quae huic loco ſufficiant iſta ſunt: Octo, primus cubus:* Κύβον *Graeci; nos Quadrantal dicimus. I forma, quae tria corporum*

porum interualla contineat. Nam cum σημεῖον *lineae ſemen & ſignum ſine vllis partibus animo cogitabis, eadem cogitatione defluere videbis in lineam. Quae quia duobus finibus terminetur linea longitudinis, ſub dualis numeri natura limitatur. Haec in quaternarium duplicatione progreditur, & facit epiphaniam.* i. *ſuperficiem planipedem; quam Graeci* ἐπίπεδον *nominarunt, quatuor lineis angulis deſcriptam. Quae ſi aequè dupli ratione grandeſcat, octauo numero quadrantal illud abſoluet, eritque, vt diximus, in duobus longitudo, in quatuor latitudo, in octo altitudo; quia nihil amplius in lineis corpora perfecta conquirunt, quae à nobis ſolida, à Graecis* ςερεὰ σχήματα *nominatur. Nam color, qui veluti nouus accedit, à pleriſque non naturis corporũ, ſed lucis iactibus impreſſionibuſq; tribuitur. Vnde illud rectè Virgil. Æn.* VI. *v.* 272. Et rebus nox abſtulit atra colorem. *quod vtique dederat, abſtulit. Sed ne de primo cubo dicentes ad alium tranſeamus, & ſit mutilantis ſubtilitatis aſſertio: vt à numero pari, qui femineus habetur, tribus illis limitibus duplicatis natus eſt cubus, ita tribus per ſui naturam ter triplicatis, efficitur alius cubus generis imparis maſculinus. Namque tres lineam faciunt longitudinis; nouem, lineam latitudinis; viginti verò & ſeptem, profunditatem illam ſoliditatis abſoluent. Quod hac deſcriptione ſic intuere:*

Longitudo	II	III	Longitudo
Latitudo	IIII	VIIII	Latitudo
Altitudo	VIII	XXVII	Altitudo

Tum aduerte quod ſumma deſcriptionis climata complectitur. Nempe ſeptem, & hoc ad potentiam numeri Septenarij referimus. Nam & Plato cùm diuiſionem

primam

primam ex cratere illo ſuo, quo animam temperabat, efficeret, & dupli ac tripli diſtantias propinquioribus pro rata parte numeris inſereret, eadem poſuit interualla primigenia; in quibus dempto illo principe, qui communis omnibus lateribus inuenitur, remanent ſummè ſex numeri, vt dictum eſt, potentis atque perfecti, per quem hos duos cubos ſibimet mixtos ſi multiplices, in ducentos & decem cumulus iſte tranſibit. Nam VIII. & XXVII. *fiunt* XXXV. *Hoc ſexies ducito, facies vt ſuprà propoſuimus, ducentos & decem. Qui dierum numerus ſeptem menſes abſoluit. Hac ratione partus ille ſeptimanus eſt plenus. Vide iterum cubos his numeris contineri. Octo binarij generis cubus eſt.* XXVII. *ſeptenarium continent in reliquis. Nam ſumma maior quae in viginti eſt, binorum laterum inſtar. reliquae ſunt eius in ſeptem, quem plenum in loci huius expoſitione iamdiu demõſtrauimus. Ad hũc numerum cubicum, vt Varroni placet, Lunaris curſus congruit reuolutio, quae in* XXVII. *diebus omne tanti ſyderis lumen exhaurit. Adde quod octauus hic numerus dierum noctiumque crementa conuertit. Nam cùm octauam arietis partem Sol ingreditur, lucis, vmbraeque menſuram paribus momentis exaequat: indeque ad Cancri octauam partem lux aucta producitur. Vnde alia rurſus aequalitate regreditur, ad Librae octauam partem, vt fiant Solis contractiora curricula. Nouiſſimè pigras ac breues horas à Capricorni humiliore meta reſtringens in ſolſtitium aliud, quod Brumale dicitur, tẽdit, ac ſic alterno diſcrimine dies à noctibus, vmbraeque à ſolibus ſuperantur, octauae partis quadrifariàm limite diſparato; vt aequinoctia duo, ſolſtitia totidem numerentur. Caeli verò in hunc numerum orbes, ſeu Deus artifex, ſeu Natura prudens diſpoſuit. Nam primus ac ſummus eſt* ἀπλανής. *Qui quia ſemper vno ac iugi continuatus agitur motu,*

nulli videtur errori eſſe ſubiectus. Sub eo Planetarum ſunt V. *circuli, & Solis ac Lunae curricula. Nam terra, vt ait Tullius, nona, immota ſemper ſede manet; & ab illorum motibus ſegregata, obſtipo pondere defixa ſubſedit. Additur cauſis, quòd in Muſica tonus octauae partis detractione conſiſtit per numerum, qui Epogdous nominatur. Iure igitur aetatem hominis hi numeri temperant: quorum in naturae totius cauſa potentia, quam colligi duorum altrinſecus ſubductione perſpicimus. Qui numerus Africani clauſit aetatem, hic quoque pleniſſimus intelligitur. quia & ordinem naturalem per analogiae cõſtituit rationem; & ex his partibus conſtat, in quibus eſt miranda perfectio, id eſt,* XXVIII *duplicans in ſummam. Nam* L. *propinque debemus accipere, ſicuti pro monade decadem. Quinque autem in ordine ſequens ſenarius comitatur, quem ſuperioribus adhaerere cognoſcis.* XXVIII *perfectus eſt numerus in ſecundo verſu; ſicut eſt in primo ſenarius, quòd impletur partibus ſuis, nec abſque hoc alius. Habet autem partes has: Dimidiam* XIIII. *tertiam non habet: Quartam verò habet* VII. *quinta, ſextaque priuatus eſt. Septimã recipit numeris* IIII. *octauam, nonam, decimam, vndecimam; duodecimam, tertiamdecimam ne diſquiras. Quartamdecimã vides in duobus exiſtere: à qua vſque in* XXVIII *nulla ſubductae rationis portio reperitur. Omnes ergo partes eius in ordinem digere, ſimulque ſubductio,* [fort. ſubducito] *in cumulum primitus poſitum remeabunt. Namque* XIIII. VII. IIII. II. I. & XXVIII. *congregatio iugata componet. Qui ſi perfectus eſt numerus, vt ratio comprobauit, duo perfecti magis fecere perfectum. Non potuit ergo Africanus velut immaturae mortis queri diſpendia, quia nihil minus eſt vitae quàm ratus numerorum ordo compleuit.*

Adiungamus huic loco illud quoque de Nouenario, quod

Tullius

Tullius ait; Nouem tibi orbibus connexa ſint omnia; *vt hoc demonſtrato, tutiùs primi verſus plena ſit diſputatio. Eſt igitur quadratus numerus nouenarius, quia ex tribus in ſe triplicatis exoritur, ſicut haec figura compoſita eſt:*

o	o	o
o	o	o
o	o	o

Quoquò verteris, quadraturam videbis, cuncta eius latera congruentia, totuſque habetur ex totis: quia & initium habet ex tribus, & mediū obtinent tres, iidemque finiunt; parteſque ipſius totae ſunt; quòd in aliis nequaquam numeris inuenitur. Tres enim, vt ſuprà diximus, totus eſt numerus, ſed non ex totis ipſe compoſitus. At verò nouem & ipſi tribus partibus toti ſunt, & ipſae partes totae de tribus. Ex quo mihi videtur Maro doctiſſimus Romanorum dixiſſe illud: [VI. Aen. v. 439.]

— Nouies Styx interfuſa coërcet.

Terra enim nona eſt, ad quam Styx illa protenditur: myſticè ac Platonica *dictum eſſe ſapientia non ignores. Nam Poëtica libertate inſerit fontanae animae à caelo vſque in terras eſſe decurſum.* Nam *ſub pedibus ſummi patris, qui diſſipet (hinc dicitur* πηγαῖα *ſtyx poſita) per omnes circulos fluit, imponens ſingulis velut in curru aurigam, id eſt, vitae ſubſtantiam, ex qua cuncta viuentia originem ſortiuntur; & eidem ſoluta redduntur: manatque illa per cunctas volentes comminiſceri, quod ex natura ſit hiulca, interiectu ſui vigoris ſeparat: &, vt ipſe Virgilius loquitur,* coërcet, *vt ſui generis momenta conſeruet. Inter caelum & terram nouem interualla ipſe conſideres*

licet: ſic: Quoniam primi verſus abſolutio nouenario numero continetur: neque ipſa decimum circulum natura requirebat: Habes de numeris quod ſine libris in agello potui reminiſci. *Sequenti parte ſermonis, etiam ſymphoniã mundi, qua eum perſonare Pythagoras exiſtimat, referemus.*

DE CAELESTIVM ORBIVM SONITV.

Legend. Macrobius lib. II. in Somnium. Scip. cap. IIII.

SEQVITVR *locus, cùm rei obſcuritate, tum expoſitionis à* TVLLIO *poſitae breuitate, difficilis. qui ſub perſonis iiſdem, quas ſupra memorauimus, ſonitum mundi, octo videlicet orbium impulſione concinere, Pythagorei dogmatis aſſertione, perdocuit.* Nam *terra (vt ait idem) nona, immota ſemper ſede conſiſtens nullo canore concutitur, & velut fundamenti vice circum ſe actis octo curſibus defixa libratur: atque vt in cithara teſtudo, ſic ipſam mundanae harmoniae velut machinam praebet. Sed quaedam primitus ex Muſica diſciplina tradenda ſunt, quo facilior intellectus exiſtat. Sicut in arte Grammatica articulatae vocis maximae ac principales partes edocentur,* nomina *&* verba*; harum autem ſunt ſyllabae partes, ac litterae ſyllabarum, per quas in vnum collectae ſignificant aliquid, & in eas rurſus diductae ſoluuntur: ita canorae vocis, quae à Graecis* ἐμμελὴς *dicitur, & eſt numeris moduliſque contexta, principales portiones habentur* συςήματα. *Syſtematum verò partes ex certo contracto pronuntiationis exiſtunt; quae Graeci* διαςήματα *nos* interualla *nominamus. Diaſtematum verò partes ſunt* φθόγγοι, *qui* ſoni *Latinè dicuntur: Hi ſoni quaſi fundamentum ſunt cantus. Eſt autem ſonorum plurima differentia iuxta chordarum intentionem, quae*


non

non vt libet, efficitur, ſed certa obſeruatione numerorum, de quibus mox loquemur. Et acuti quidem ſoni vehementiùs & citiùs percuſſo aëre pulſantur; & vbi nimius incitatiorque pulſus eſt, accentio *vocitatur;* ſuccentio *verò, cum lenior tardiorque pulſatio eſt. Ex accentionibus ratione Muſicae cantio temperata,* ſymphonia *dicitur. Quam ita definiunt:* ſymphonia *eſt conſonae vocis continua modulatio. Dicunturque aliae ſimplices ſymphoniae; aliae verò copulatae. Prima ſymphonia in quatuor primis modulis inuenitur: quae* διὰ τεσσάρων *à Muſicis appellatur; ſecunda quae ex quinque primis modulis conſtat, ac* διὰ πέντε *nominatur. Quibus mixtis in ordinem atque compoſitis, naſcitur ea cantilena, quae* διὰ πασῶν *habetur per* ἐπόγδοον *numerum: Qua veteres Muſici octo tantùm chordis vtebantur, ad circulorum caeleſtium ſimilitudinem referentes. Tres ſunt itaque ſymphoniae ſimplices ac primigenae,* διὰ πέντε, διὰ τεσσάρων, διὰ πασῶν, *quae in Tetrachordo, numerorũ ratione diſpoſito, reperiuntur. Nam ſi vnam chordam, vt libet, intentam ſemel aut iterum verberaris, ſonabit quidẽ vel graue, vel acutum; conſonantiam tamen habere non poterit, quae dicitur Symphonia. Huic chordae ſi alteram iunges diuerſa ratione diſtentam; quae tamen diuerſitas analogiae congruentiam haberet, ſonum verò non irritũ aut ſimplicem, ſed qui & aures oblectet, & rationi, de qua loquimur, ritè conueniat; Tendamus igitur primam chordam momentis ſex, alteram verò octo; comparatio iſtarum chordarum ſymphoniam efficit* διὰ τεσσάρων. *At ſi aliam duobus momentis, aliã tribus intendas,* διὰ πέντε *ſymphoniã vtriuſque percuſſione reſonabit. Si verò aliam ſex momentis intorſeris, aliam duodecim, dicetur haec ſymphonia* διὰ πασῶν, *quam duplicatio ex vtraque ſuperius demonſtrata pepererit.*

Sed ne confuſiùs haec à nobis tradantur, dicam quot modis inter ſe numeri comparentur. Denique quae ſit numeris modiſque cognatio, ad efficiendam conſonantem iugiter cantilenam. Numerus *igitur aut* διπλάσιος, *aut* ἡμιόλιος, *aut* ἐπίτριτος, *aut* ἐπόγδοος *appellatur.* Διπλάσιος, *Latinè qui dicitur* duplex, *ſub exemplo ſenarij duodecimi numeri demonſtret, quae inter ſe ſummae, vt vides, longius diducuntur.* ἡμιόλιος *verò propinquior ex duobus ac tribus eſt numeris; cùm minorem ſummam maior alia conlata, media minoris ſuperat portione.* N*amque vides tres duobus vno anteire numero, qui minoris dimidia pars eſt.* T*ertia comparationis eſt ratio ex* ἐπιτρίτῳ *numero, cùm ſcilicet maior minorem ſummam non medietate minoris eiuſdem, ſed tertia parte progreditur: vt quattuor ad tria ſunt. Quamquam enim vno ſuperentur, tamen hic vnus non media portio minoris eſt, ſed tertia videlicet.* Ἐπόγδοος *autē tunc eſſe dicitur numerus, cùm maior minorem ſummam octaua parte minoris antéuenit: vt ſunt nouem ad octo: qui cùm vno ſimiliter, vt ſuperiores, antéeat, tamen, vt vides, octaua pars minoris eſt vnus: quia comparatione nullam arctiorem fieri poſſe Arithmetici aſſerunt, vel in numeris, vel in ſonis.* N*ec enim poſſumus decem ad nouenariam ſummam pari ratione conferre, prohibente* E*pogdoi verſus memorato ſuperius limite. Expoſitis igitur comparationibus numerorum, dicamus quae cum his ſit ſymphoniarum ab* H*armonica diſciplina coniunctio. Fac igitur tetrachordum ex his quos proponam numeris temperatum; quorum ſit prior ſenarius perfectus, ac ſapiens numerus, ſecundus, octauus; tertius, nouenarius; duodecimus qui eſt, locetur extremus. In his quatuor chordis omnes ſimplices ſymphoniae varia chordarū percuſſione naſcuntur.* N*am ex interuallo ſenariae atque octonariae ſummae ſymphonia* διὰ τεσσάρων *efficitur, atque* ἐπιτρίτῳ *numero*

mero

meri continetur. Qui etiam in duabus, quae ſunt reliquae, ſicuti cernis, apparet. Nam duodecim ad nouē eodem comparantur ἐπιτρίτῳ, recinuntque ſimiliter ſymphoniam, quae διὰ τεσσάρων appellatur. At ſi altrinſecus prima tertiam, item ſecunda & extrema pulſetur, ſymphonia reſonabit; quae dicitur διὰ πέντε, ex ἡμιολίᾳ orta ratione. Prima ergo & extrema percuſſæ διὰ πασῶν efficiunt ſymphoniam, ex diplaſio *numero conſonantem, cuius vmbilicum* epogdous *ille contineat, qui octo ac nouem videtur inſertus. Huius igitur figuram aſpice Tetrachordi:*



At quia non quatuor circulis ſed octo, vt traditum eſt, harmonia mundana compacta eſt, non διὰ πασῶν, ſed δὶς διαπασῶν ſymphonia concinunt, ex duobus velut tetrachordis inter ſe coëuntibus. quorum interualla doctiſſimus ille Pythagoras oſtendit: qui à terra vſque ad illum verticem, qui dicitur ἀπλανὴς, duodecim ἡμιτόνια patere cognouit: quorum diuiſio ad dupli conuenit rationem, ſi octo ad quaternarium numerum referre volueris. Namque ait à terra ad Lunam τόνον eſſe; à Luna ad Mercurij circulum hemitonion; *indeque ad Veneris hemitonion: à quo ad Solem tria hemitonia. à Solis autem orbe ad circulum Martium tonon eſſe, à quo ad Iouem hemitonion: indeque ad Saturni, hemitonion; à quo ad*

Signiferum circulum, ſimiliter hemitonion: ita fieri vt ſex tonis caelum diſtet à terra, duodecim ſcilicet hemitoniis, fieríque his traditas ſymphonias. Namque à terra ad Solis circulum *diateſſâron reboat ſymphonia: à Solis verò ad zodiacum,* diapente. *Totum autem* diapasôn, *quae ex duobus primis aeque duo ſunt hemiſphaeria, ſuperius & inferius, &* diſdiapasôn *totius mũdi ſonitus cõcinit,* XXIIII *videlicet hemitoniis: quae licet ad duplum rurſus accipias. Nam vt octo à quaternario duplo diſtant, ſic* XXIIII *ab octo. Habent enim eoſdem in ſe & alios totidem duplicatos, quae dupli natura eſt. Sic ergo per tonos, qui* epogdoâ *ratione conſertim vinctimque miſcentur, efficitur conſonae iugitatis continua modulatio.* Quam, *vt ait Cicero,* imitati docti & ſapientes, aperuerunt ſibi reditum in caelum. *quòd & Muſica diſciplina faciat purgatos animos labe corporea, & imperioſis pateat via carminibus in vſque illum, qui dicitur* γαλαξίας, *animarum beata luce fulgentem. Verba ergo Ciceronis attende: Dixerat Africanus:* Quis eſt qui implet aures meas ſonus? *Mirificè* implet: *Quid enim eo pleniùs, aut grandiùs cogitaueris? qui auditum noſtrum nimio ſono vocis obtundit, & oculos multo lumine caligantes ipſa ſui ſubſtantia cernendi nimietate debilitet? Cui reſponſum eſt:* Hic eſt, qui interuallis diſiunctus imparibus. *Quae ſunt* interualla? *Quae, vt dixi, Graeci* διαστήματα *nominauerunt, non locorum, ſed numerorum ſpatia, quae in metris aures ſenſu metiuntur, diſparibus tamen, ſed non pugnantibus. quod hac ratione quoque probabitur. Quatuor poſuimus ſummas:*

II.	IIII.	VIII.	XVI.

Quid tam diuerſum? tamen naturalem inter eas cer-

ne

ne concordiam. Hac primam cum extrema. item vnam ex mediis in ſeſe, eamdem colligent quantitatem. Bis etenim XVI *ducti*, XXXII *efficiunt. & ſexdecies bini idem colligunt. Medietas verò prima in ſe ducta* XXXII *colligit. quod faciunt ambae medietates ſibi confertae. Namque quater octoni* XXXII. *& octies quaterni* XXXII *efficiunt. atque ita naturalis illa vnitas congruentiaque ſeruatur, dum idem ſunt extrema quod & media; mediumque in ſe verſum extremorum efficiat quantitatem. Quid? quod item notare nos conuenit, ad perſpiciendam numerorum inter ſe caritatem. Vt enim prima medietas cum extrema ſumma collecta* XIIII *efficit; ita ſecunda medietas ſibi complexa atque in ſemet adducta, eamdem, quam modo poſui, exhibet quantitatem. Haec in Arithmetica diſciplina* Proportio, *Graecè* Analogia *cenſetur: quae partcrementorum ordine ſic progreditur, vt mediis extrema, primaque coniungat, faciatque eadem, quae fuerant naturâ diſcreta. Quam in ſonis quoque caeleſtium circulorum diuinitus eſſe ſeruatam, doctiſſimè* TVLLIVS *ipſe commendat, dicens:* Qui interuallis diſiunctus imparibus, ſed tamen pro rata parte ratione diſpoſitis, impulſu eorum orbium efficitur. *Haec eſt enim Graecè Analogia, quae numquam in duobus oſtenditur, ſed tribus, & deinceps; vt fiat quotquot eius eſt proprium: Quantum hoc ad illud, tantum [hoc] illud ad hoc. Nam vt duo prima, quatuor dupli ratione ſuperant; ſic eodem duplo vincuntur ab octo; rurſuſque ſedecim duplo ſuperant octonariam ſummam. Hoc igitur in ſonoro ſeruari Muſico & ſcientia profitetur, vt ſic diuerſis temperetur vocibus cantilena, vt ipſa fiat rata diuerſitas, & concentum perficiat, quicquid abſonum canere videbatur.*

Nam

Nam cùm, ſicut ipſe nos docuit, ex alia parte acutum perſonet mundus, ex alia graue, temperantur haec mediis, & ita gradatim vniuerſa miſcentur; vt ſit in ceteris vis duorum, acuti ſcilicet atque grauis: vt acuto zodaicus circulus, graui Lunaris, illudq́ue dicatur νήτῃ, *hoc* ὑπάτῃ, *ſono Dorio moueatur. Quod in noſtris vocibus quoque animaduertere conuenit: in quibus à graui ſono in acutum ſurgit accentus: &, vt lingua pulſatus aër, ſenſibile quiddam auribus reddit: ſic circulis impellentibus, atra* [*fort.* à terra, *vel* alterna : *an* rata? *vt litterae ſint tranſpoſitae*] *permixtum percuſſione diſſimili editur mundi conſonum melos, Tonis, veluti pedibus, metiendum. Nam Tonus certa menſura eſt cum octaua, vel tibia parte dimenſa, vel aeris in pondere, vel in fidibus torquendo, diverſitas numeri rata & pro competenti ſeruatur. Nam ſi tibiam cuiuſlibet lõgitudinis ſumens, & octaua eius portione deducta cauernam imprimas, tonus auditur; ſi ſextamdecimam ex reliqua metiaris, hemitonium conſequitur. Itaque cauernis harmoniae lege diſpoſitis edentur ſymphoniae, quas docui per numerorum interualla congruere. Hoc idem in ſiccandis chordis pondera moliuntur, vt inter duas pari habitudine facta epogdoi diſcrimina reſeruentur, octauae partis ſemper acceſſione dimenſa, ex qua, vt dixi, Tonus exiſtit: ſi verò hemitonium tono copulare volueris, ſextadecima ponderis parte minor chorda ſiccabitur, atque ita concinentia conſonae modulationis orietur. Idem in organis, atque in aere ſeruabitur; auribus peritè indicantibus ſpatia vocum, vel incitatius enuntiantium, vel tardius grauiuſq́ue ſonantiũ. Hinc illa* [Virg. 6. Aen. v. 646.] ſeptẽ diſcrimina vocum *exiſtunt, de quibus ait idem* TVLLIVS: Septem efficiunt diſtinctos interuallis ſonos. *Quod ſic intelligere conuenit, vt aut ſeptem interualla octo circulos diuidant,*

aut

ac vnius, id eſt, Solis, commune ſit melos: vt duo iſta tetrachorda quodammodo non biantia neque diſſona videantur in medio, fiátque ab imo vſque ad ſummum diſdiapaſon *iugiter audiendi modulatio cantilenae.*

Scio, Me, vir doctiſſime, *reprehendi poſſe in hac temeritatis audacia, qui haec iamdiu ſolis abolita* [*fort.* ſcholis abdita, *vel* obolita] *non tumultuaria ſed meditata lucubratione digeſſerim. Sed habeant alij ſcientiae gloriā; mihi pro defenſione ſit ſtudio tuo paruiſſe: quòd ita flagras amore diſcendi, vt ea quoque inter iudicationum tuarum occupationes audire volueris, quae peritius ipſe docere alios potuiſti.*

CICERO

M. T. CICERO
IN
SOMNIO SCIPIONIS
E LIBRO VI.
DE REPVBL.

EIVS *temporis ancipitem video quaſi fatorum viam. Nam cùm aetas tua ſeptenos octies Solis amfractus reditúſque conuerterit; duóque hi numeri (quorum vterque plenus, alter altera de cauſa, habetur.) circuitu naturali ſummam tibi fatalem confecerint, in te vnum atque in tuum nomen ſe tota conuertet ciuitas: te ſenatus, te omnes boni, te ſocij, te Latini intuebuntur. tu eris vnus, in quo nitatur ciuitatis ſalus.*

EX

EX COMMENTARIO ELIAE VINETI SANTONIS.

DVOQVE hi numeri.] *Septem & octo, qui pleni habentur, abſoluti, & perfecti, alter altera de cauſa, & peculiari ſua vterque ratione: quique quod genuerint inter ſe multiplicati, veluti numerum quinquaginta ſex, non poteſt non eſſe plenum, & abſolutum ob eam ſuam plenitudinem, natura res ita comparante, vt nata eorum ingenium referre ſoleant, à quibus procreata ſunt. Cùm ergo duo hi numeri circuitu à natura conſtituto, & congeſtu ſuo, definitam annorum vitae tuae ſummam confecerint, ac compleuerint, tunc in te ſolum, ac in tuum nomen, & cetera. Voluit autem* CICERO, *litteris multis praeditus, plurima variaque ſcientia homo, oſtendere hoc loco, ſe ne Pythagoricae quidem doctrinae ignarum eſſe. Pythagoras enim, & eius ſectatores, in numeris varia quaſi myſteria notauerunt, illiſque virtutes (ait Gellius lib.* III. *cap.* X.) *poteſtateſque multas, ac varias attribuerunt. Sic de* Septenario *mirabantur, quòd vtraque vi ſa in caelo ex ſeptenis ſtellis eſſet. Quòd Vergiliae (quae Pleiades Graeci) ex totidem. Quòd Planetae ſeptē. Quòd ſeptimis menſibus, & ſignis ſolſtitia fierent, & aequinoctia. Quòd Luna quater ſeptenis diebus curriculum ſuum conficeret. Quòd ſeptē in homine, quae dicuntur nigra membra, lingua, cor, pulmo, iecur, lien, renes duo. Quòd ſenſuum in capite ſeptem foramina, vnum oris, narium, oculorum, aurium bina. Quòd modus adoleſcendi corporis humani ſummus eſſet ſeptem pedes. Quod homini naſcerentur*

dentes

dentes menſe ſeptimo, & vt plurimum anno aetatis ſeptimo exciderent, ac naſcerentur alij. Quod aegris corporibus periculum ſanitatẽmve ſeptimi dies denuntiarent. Quod Motus eſſent ſeptem, ſurſum, deorſum, antè, pone, ad dexteram, ad laeuam, & ad medium. Sed ne longior ſim, haec omnia, & huiuſmodi plura de Septenarij numeri dignitate, & virtutibus, non ſolùm ex Macrobio *tibi cognoſcenda, qui ex antiquis Pythagoreis multa congeſſit ad eam, quã* CICERO *ſignificat, plenitudinẽ Septenarij numeri perfectionemque explicandam, ſed etiam ex Hippocrate De partu ſeptimeſtri, & natura partus: ex eodẽ, & aliis Medicis, de morborum iudicio: ex Philone Iudaeo, Clemente Alexandrino, Aulo Gellio, Cenſorino, Lactantio, Hieronymo in Prophetam Amos, & Micheam; Auguſtino libro vndecimo de Ciuitate Dei, & in Pſalmum ſeptuageſimum ſeptimum: ex Beda, & aliis.* De Octonario *autem numero idem Pythagoras hoc praedicabat, quòd mundum vniuerſum contineret. Cùm enim probaſſet, nihil eſſe in rerum natura, quòd Muſica ſymmetria quadam, & conuenientia vacare poſſet, vniuerſam harmoniam Muſicam, & conuenientiam eò numero contineri oſtendebat. Ex octo enim ſonis conſonantia dià paſôn conſiſtit, intraque ſunt cõnſonantiae dià teſſáron & dià pénte, quae ipſam etiam compoſitae reddunt dià paſôn. Addebat, aetheris praecipuae Mundi partis, & praeſtantioris, octo eſſe; quas dixerunt Graeci Sphaeras: reliquas quatuor mundi partes, quae elementa vocantur, eius numeri dimidium. Denique vt ſemel finiam, hanc Macrobius plenitudinis numeri Octonarij rationem affert inſignem, quod corpus ſit ſolidum. Eſt enim cubus octo, atque eorum numerorum, qui cubi, & teſſerae appellantur, primus. Ipſum lege Macrobium, Marcianum Capellam, &* τὰ τ̃ ἀριθμητικῆς θεολογούμενα.

LATI-

LATINI LATINI VITERBIENSIS

NVMERORVM CYCLORVMQ. CONSIDERATIO.

AD CICERONIS E LIB. VI. DE REP. SOMNIVM SCIPIONIS.

CVM *Phyſica ratione deprehenſum Africanus apud* CICEROMEM *in Somnio aſſirmarit, Annum magnum, quem* verrentem *appellauit,* annorum quindecim millium curriculo perfici; *quae nam verò Phyſica illa eſſet ratio, cuius certo fundamento iacto niſus ego quoque ad difficillimam quaeſtionem expediendam peruenire poſſem, diu in longa ac permoleſta noctis vigilia meditatus, nihil ex iis qui eum* CICERONIS *locum explicandum adhuc ſuſceperunt, reperiſſem, conuerti me ad eos Chriſtianae profeſſionis ſcriptores, qui de temporum ratione, multa firmioraque, certa quadam progreſſione prodiderunt:*

eamq́ue progreſsionem Phyſicam illam veterũ ſapient. m rationem omnino eſſe interpretatus ſum; qua Africano ſuperſtite maiores deprehenderint integram caeli totius conuerſionem annorum quindeçim millium *ſpatio, non maiore, minoréve conſtare. Ex Bedae igitur de Temporum ratione commentariis, Lunae cyclum annis decem & nouem; Solis verò annorum viginti octo periodo abſolui comperi; ex his verò in ſe multiplicatis Cyclum maiorem produci* annorum quingentorum triginta duorum, *quem Paſchalem Dionyſius Abbas appellauit, quòd eo temporis interuallo ſeptem inerrantia ſidera, plena conuerſione peracta, in eumdem, vnde paulatim progreſſa fuerant, reuertuntur locum.. Quoniam verò ea progreſsione vſus, tamquam planè Phyſica ratione, eo adductus eram, vt non temerè ſperarem me ad caeli totius integram conuerſionem, quae quindecim millium annorum peracto ſpatio conficitur., peruenire tandem poſſe, dixi intra me: Quid, ſi ego maiore Cyclo quingentorum triginta duorum annorum vicies octies multiplicato, experiar quantum proficiam? Intelligebam enim, mihi ſine vllo veritatis periculo in noctis ſilentio quidquid vellem mecum meditari, atque in digitos vtcumque mittere licere. Semel igitur, iterumq́ue, ac tertio expertus, intellexi me non longè à propoſito ſcopo aberraſſe. Nam ſupradictorum cyclorum numerum non plures quàm centum quattuor annos redundantes inueni, quos peritorum Aſtronomorum erit definire, emboliſmis ne, an alia ratione decoquere oporteat. Ego enim eius diſciplinae omnino rudis, nihil audeo affirmare. Haec autem non facilè adducor vt credam, neminem ante me cognouiſſe: ſed in infinita paenè ſententiarum varietate, deſperaſſe ſe poſt tot virorum ſingulari auctoritate praeſtantium definitas ſententias quidquam litte-*

ris

rio conſignare poſſe, quod vel pauciſſimis ſatisfaceret. Si qua enim vmquam in difficili quaeſtione ſententiis variatum eſt, in hac praecipuè factum eſſe neceſſariò cogimur confiteri. Quot enim capita, tot varias ſententias numeramus.

Sed veniendum nunc tandem eſt ad id, cuius gratia, quae ſuprà ſcripſi, ſummo quidem ſtudio inueſtigata, ſed non ſine errore collecta ſunt: id eſt autem quantum ſit vniuerſum tempus ab orbe à Deo condito ad natum Redemptorem noſtrum, Dei & hominis filium CHRISTVM IESVM. *Quod autem de Cyclorum maiorum Dionyſij progreſſione certa comperimus, confirmari maximè poteſt, praeter ea quae attulimus, auctoritate veteris ſcriptoris, qui* de mirabilibus ſacrae Scripturae *multa tribus libris complexus eſt, exſtantque inter ſancti Auguſtini opera Tomo tertio, in Appendicem à Louanienſibus meritò reiecta. Is palàm indicauit, ſe Britannum, vel Hibernum natione fuiſſe: Quae ſcripſit autem operaepretium eſt hic totidem verbis referre, ex ſecundo libro, capite quarto. Sunt autem haec:* Quinto namque cyclo à mundi principio anno centeſimo quarto-decimo, generale totius mundi diluuium ſub Noë venit: qui poſt diluuium quadringenteſimo decimo-octauo anno deceſſit. & inde alius incipiens, id eſt ſextus, in octauo aetatis Abrahae anno finitur. & nono eius anno ſeptimus incipiēs, trigeſimo-quinto anno egreſſionis filiorum Iſrael de Aegypto, id eſt, quinquennio ante mortem Moyſi concluditur. poſt quem octauus, in quo eſt illud ſignum in Sole & Luna factum, trigeſimo-ſexto anno egreſſionis Iſraël de Aegypto incipiens, in trigeſimum-primum annum Aſae

regis Iuda incidit. cuius trigeſimo-ſecundo anno nonus exordium capiens, in quo & aliud ſignum in Sole, Ezechiae regis tempore, de quo paulò pòſt dicemus, factum legitur, centeſimo-octauo anno poſt templi reſtaurationem, quae ſub Dario facta eſt, ſui curſus ſpatium conſummauit; donec decimus inde oriens nonageſimo-ſecundo anno poſt paſſionem Saluatoris, Auiola & Panſa Coſs. peractis curſibus conſummatur. poſt quem vndecimus à Conſulatu Paterni & Torquati ad noſtra vſque tempora decurrens, extremo anno Hibernienſium moriente Manichaeo inter ceteros ſapientes, peragitur. *Conſtat igitur ex hoc vetere ſcriptore, qui poſt ſancti Auguſtini obitum annis ducentis triginta hos Commētarios edidit, atque ante Venerabilem Bedam annis centum & ampliùs, motus caeleſtis initium cum Cyclorum maiorum Dionyſij (qui ante ipſum paenè centum annis floruit) initio cœpiſſe currere. Confirmatur haec eadē veritas* Georgij Cedreni *ſcriptoris Græci teſtimonio, in hiſtoriarum compendio, qui anno trecenteſimo-ſecundo Sethi, peractam fuiſſe primam periodum quingentorum triginta-duorum annorum ab initio creati caeleſtis motus tradidit. Duorum horum teſtium confirmata ſententia, annorum* CHRISTI *initium cum initio Paſchalis Cycli à Dionyſio, Beda, & aliis, ſine vlla, quòd legerim, ſententiarum diſcrepantia conſtitutum iam ante aliquot ſaecula, nouerunt omnes qui de ea re aliquid vel leuiſſimè inueſtigarunt. Hoc igitur iacto fundamento, quis mihi audeat negare, diē quarto creatum firmamentum cum Sole, Luna, ac ſtellis, quae tempora, dies, & annos diſtinguerent motum, caeli quoque eodem momento creatum fuiſſe?*

iſſe? Certè videre nequeo, cur non neceſſario conſequens ſit, cyclos ſuos Lunam Solemque ſtatim inchoaſſe cum motu: quod, quia veriſſimum eſſe cogimur confiteri, eâdem qua ſuprà, progreſſione vſus ſum, id eſt certiſſima ratione Phyſica, ad vſque natum CHRISTVM *eiſdem Cyclis tam minoribus quàm maioribus vniuerſum ab orbe condito tempus concludi oportere, quantumcumque illud tempus metiri quis, id eſt prorogare, aut coartare velit. Si igitur cum caeli motu cycli coeperunt currere, quid nam venire in mentem potuit* Mariano Scoto, *cur initium quarti Cycli decemnoualis Lunæ anno quarto vitae Adami aſſignandum putarit? quod mihi abſurdiſſimum viſum eſt, & cum ratione Phyſica ita pugnat, vt nemo tam ſtupidus ſit, quin videat id fieri nullo modo poſſe. Quid enim? ceſſauit ne caeli neceſſarius motus, an aliquo ſecretiore myſterio anni trium cyclorum* quinquaginta ſeptem *in hoc temporis ſpatio praemittendi, aut ſilentio condemnandi ſunt? Eumdem autem Scotum cum Dionyſio, Beda, & aliis in eadem ſententia fuiſſe ſaepè legimus, initium annorum* CHRISTI *initio Cycli Paſchalis tribui. Quare veriſimiliùs mihi videtur, in libro acephalo, in quo ſeptem prima capita deſiderantur, paginam vnam aut alteram deeſſe, in qua & trium cyclorum, & quattuor Indictionum curſus ſuo ordine explicatus notabatur. Hoc vnum verò eruditis conſiderandum relinquo. Ego enim (ingenue fateor) cùm diutiùs in ea difficultate ſoluenda fruſtra laboraſſem, nihil reperi quod ſatisfacere cuiquam poſſe mihi videretur. Inter eos autem qui ab orbe condito ad* CHRISTVM *natum annorum ſummam diligenter notaſſe referuntur (eorum autem longam ſeriem Xyſtus Senenſis in ſacra Bibliotheca lib.5. Annotat.68 collegit) neminem inueni, qui minùs à Cyclorum integritate diſcedere, & ad tem-*

*poris totius veritatem propiùs accedere mihi videat*_, *quàm beatus Auguſtinus. Is enim (vt referunt multi) vniuerſum tempus ab orbe condito ad* CHRISTVM *natum* quinque millibus trecentis quinquaginta-tribus annis *comprehenſum fuiſſe ſtatuit: quod ſpatium ſi quis in Cyclos maiores Dionyſij partiatur, inueniet, ſupra decimum Cyclum nihil amplius redundare, quàm* annos triginta-tres, *quòd librariorum vel negligentia, vel temeritate commiſſum exiſtimare quis facile poterit. Decem enim Cyclorum curſus* quinque millium trecentorum viginti annorum *interuallo neceſſario perficitur. Vbi autem à S. Auguſtino eum annorum numerum definitum fuiſſe teneamus, adhuc quaero. Opinor verò triginta trium annorum numerum ſupra integros Cyclos à quopiā forte additum, qui putarit ab orbe condito non ad* CHRISTI *ortum, ſed ad mortem eius eſſe referendum. niſi forte verum ſit quod aliqui aſſerunt, Neſtorianorum conſuetudinem fuiſſe,* CHRISTI *annos non ab eius ortu, ſed ab aſſumptione in caelum numerandi, quod poſt aſcenſionem diuinitatem eius confeſſi fuerint, non ante. Ego verò quouis ſacramento contenderim (quandoquidem neceſſarium eſſe oſtenſum ex praedictis eſt, Cyclorum initium ſtatim cum caeli motu coepiſſe currere, & vſque ad natum* CHRISTVM *Cyclos integros omnino numerari oportere) Alfonſi Regis, qui Aſtronomicas tabulas compoſuit, annorum numerum notatum, manifeſto corruptum eſſe; facileque deprehendi à quouis poſſe. Primus enim Cyclus,* 532. *annis conſtat. Secundus,*1064. *Tertius,*1596. *Quartus,*2128. *Quintus,*2660. *Sextus,*3192. *Septimus,*3724. *Octauus,* 4256. *Nonus,* 4788. *Decimus,* 5320. *Vndecimus,*5852. *Duodecimus,*6384. *Praeter hos autem numeros conſiſtere integri Cycli non poſſunt. Quare numerus Alfonſo tri-*

butus

b *tus non 6984. ſed 6384. reſtituendus eſt. Verum coniecturis fruſtra niti in re grauiſſima, tantaque ſententiarum varietate, hominis otio potiùs abutentis, quàm prudentis aut induſtrij viri eſſe iam pridem ſtatui. Haec ego etſi veriſſima eſſe, ideoque probanda omnibus viſum iri confido, eruditis tamen maturiùs conſideranda propoſui; vt quia me hominem, in quem error cadere poteſt, agnoſco, ab eis admonitus, errores meos corrigam.*

Romae, VII. *Id. Aprilis.* M. D. XC.

ANTVERPIÆ,

EX TYPOGRAPHEIO

HENRICI ÆRTSI.

CIↃ. IↃC. XII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google